This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

24[illegible].5
X1 L

Clinton 274

L. ANNAEI SENECAE

TRAGOEDIAE

RECENSVIT ET EMENDAVIT

FRIDERICVS LEO

VOLVMEN PRIVS

OBSERVATIONES CRITICAS CONTINENS

BEROLINI
APVD WEIDMANNOS
A. MDCCCLXXVIII.

DE SENECAE TRAGOEDIIS

OBSERVATIONES CRITICAE

SCRIPSIT

FRIDERICVS LEO

BEROLINI

APVD WEIDMANNOS

A. MDCCCLXX VIII.

LIBRARY OF THE
LELAND STANFORD JR. UNIVERSITY.

a.426.04

JUL 26 1900

GEORGIO KAIBEL

CAROLO ROBERT

VDALRICO DE WILAMOWITZ-MOELLENDORFF

AMICIS

D. D.

ADDENDA ET CORRIGENDA

(pensabo his notulis socordiam meam qua in prioribus capitibus corrigendis locorum quos attuli numeros cum poetarum exemplaribus iterum conferre neglexi).

p. 1 adn. 2. non satis certum videtur num Lactantius scripserit quod in editionibus (Stat. Theb. IV, 530) circumfertur. fragmenta Ambrosiana comiter Studemundus mecum communicavit se excussisse et mox publici iuris facturum; quare de illis nihil dicere praestabat. **p. 8 v. 1** *resonares*] *resonare*. **p. 11 v. 7** sic: *vultus – obtutu M vultu – obtutus EAN* cf. p. 27. **p. 12 adn. 10** non Sil. XV, 157 sed 187. **p. 21 v. 5** non 1815. 16 sed 815. 16. **p. 24 v. 7** non 372 sed 362. **p. 26 v. 3** non Med. sed Phaed. **ib. v. 6 sq.** cf. p. 108 adn. 10 ubi ante dicta fere repetii in plagulis corrigendis immemor prioris loci. magis pudet quod ne ibi quidem intellexi *nocte relicta* necessarium esse propter *nitidum diem*. recte p. 108 Aen. IX, 346 non 348. **ibid. adn. 9 v. 3** non Med. 931 sed 941. **p. 27 adn. 12** non 1079 sed 1179. **p. 32** ad Tro. 942: adquiescendum in Gronovii emendatione: *Σίγεον* Quint. Smyrn. VII, 562. XIV, 649. **p. 35** ad Tro. 889: et necessaria est Thetidis mentio et consulto componuntur Peleus et Nereus cum Thetide et Tethye. **p. 38 v. 10** non 733 (qui est vulgaris numerus), sed 770. **p. 39** adde Iuv. 8, 72 (*iuvenem*) *inflatum plenumque Nerone propinquo*. **p. 39 med.** Achill. II, 183 non 182. Sil. XII, 81 non X, 81. **p. 40 v. 6** non 430 sed 420. **p. 45 med.** Oct. 174 *se manu*] legend. *ne manu*. **p. 45 adn. 3** de Nicolao Trevetho praeterea cf. Peiper. praef. ad Boeth. consol. p. 44. **p. 50 adn. 1** omisi locum qui et Senecae et Lucano et Statio exemplum praebuit Verg. Aen. VI, 412 *simul accipit alveo ingentem Aenean; gemuit sub pondere cumba sutilis* e. q. s. **p. 51 med.** Hf. 1080 *nec torva prius pectora linguas* lege *linquas*. **p. 54 adn. 4** non I, 93 sed 91. **p. 55 adn. 5** adferre poteram Thy. 681 *laxantur adyto fata et inmugit specus vocem deo solvente*. **p. 56 adn. 6** Sil. II, 367, non 366. **p. 59** ad HO 907 (*sibi, non furori*) cf. e. g. Med. 425 *recipe turbatum malis,* | *era, pectus, animum mitiga*. **ib. ext.** nullo modo excusari potest quod versum Hf. 1162 a Schmidtio l. s. adlatum hoc loco neglexi: explicatur eo quod versum post v. 1161 non tolerabilem dudum obelo notaram: *quis Lycus regnum obtinet* quis tanta Thebis scelera moliri ausus est *Hercule reverso?* **p. 60** ad *solvite superi, fingite superi* cf. Buecheler. Mus. Rhen. XXXIII p. 36. **p. 62** ad v. 1245 adferre debui Phoen. 140 *quid perdis ultra verba?* Hf. 380 *quid ultra est*? **p. 63 med.** fast. II, 97 non 93. **ib. ext.** Stat. Theb. I, 557 non 554. **p. 64 med.** Theb. IV, 207 non 204. **ib. adn.** Aen. IX, 229 non 231. **p. 66** *eheu:* Cat. 30, 4 non 30, 6. **adn. 14** lege: Acc. Eurys. **p. 67 v. 1** adde: *heu heu* Ciris 264 et *eheu* ibid. 469. **ib. v. 14** art. am. I, 176 non 166. **adn. 15 ext.** lege: Acc. Eurys. **p. 68 v. 10** adde: Ciris 237 (*ei mihi*). **ib. v. 25 sq.** non quadrat computatio; addere scilicet omisi: sedecim in epistulis. quam culpam ut redimam, adscribam locos: her. 2, 106; 3, 14; 5, 60; 9, 145; 11, 112; 12, 7; 13, 48; 15, 233; 16, 90. 246; 17, 125; 19, 107; 21, 45. 108. 203; am. I,

6, 52; 14, 54; II, 3, 1; 5, 4; 18, 20; 19, 34. art. I, 672. 741; II, 274; III, 737. met. I, 523; VI, 227; VII, 842; VIII, 491; IX, 520. fast. III, 506. 618. trist. I, 1, 2; 2, 45; 6, 29; 9, 36; II, 243; III, 2, 23; 8, 24; 12, 51; IV, 3, 11; V, 1, 20. ex Pont. II, 2, 5. IV, 6, 4; 8, 13. cf. epic. Drus. 9. 88. 176. **p. 78 v. 8** dele 66, 29. **p. 79 v. 17** lege: v. 347—49 non 247. **p. 81 v. 3** serm. II, 3, 303. **adn. 5 ext.** 423 Dindorfii numerus est, Nauckii 432. **p. 88** in Quintiliani loco *an ʿgradus* pro *ʿan gradus*. **p. 90 v. 11** XIV, 561 non 461. **p. 91 v. 21** non 55 sed 555. **p. 93 v. 10** met. X, 637 non 673. **ib. v. 21** Tib. II, 1, 25 non II, 125. **p. 97 v. 35** non 784 sed 794. **p. 100** Phaed. 79 sq.: v. 81 *fave* codd. omnes (*s* eras. post *e* quae in ras. 2 m. scripta est *N*). **p. 104 v. 8** Aen. IX, 587 non 590. **ib. v. 21** Ach. II, 407 non 406. **v. 22** *Ossaea* non *Onaea*. **p. 107 v. 13** Richtero substitue Peiperum: quamquam coniecisse talia et recepisse perinde est. **ib. adn. 9 v. 3** II, 546 non 544. **p. 108 adn. 10** v. s. ad p. 26 v. 3. **p. 113 adn. v. 7** *introrsus* (non *introrsum*) legitur Phoen. 173. Thy. 108. HO 1674. **ib. v. 15** met. III, 387 non 383. **p. 123 adn. 25 v. 3** I, 276 non 283. **p. 141 adn. 11 ext.** ad Phaed. 799 cf. Copae v. 34 *a pereat cui sunt prisca supercilia*. deinde Hor. I, 19, 6 (non 5). **p. 145 adn. 13** nunc in Analectis Plautinis indicem scholarum Gryphiswaldensem auspicantibus Adolfus Kiessling comprobare studuit iam Plautum dimetros iambicos praeter Graecorum consuetudinem conseruisse. **p. 153 adn. 6** fast. III, 638 non 637. **p. 154 adn. 9** addendum erat Troad. 353 *tu qui Pelasgae vincla solvisti rati morasque bellis* ut v. 813 *classis Argolicae moram*. 1126 *classis moram hac morte solvi rentur*. cf. Ag. 160. **p. 155 ext.** addere potui Med. 630 *Thracios sparsus iacuit per agros*. HO 979 *alias in urbes sparge*. **p. 156 med.** non Luc. IV, 454 sed VII, 454 (*mortalia nulli sunt curata deo*). **p. 157 v. 14** contr. IX, 5, 17 non IX, 6, 17. **ibid. sq.** accuratius Ovidius adolescens art. I, 337 *flevit Amyntorides per inania lumina Phoenix*. **ib. sq.** Hf. 547 non 552. **p. 165 adn. 7** addere potui Culic. 246 *ite quibus taedas accendens tristis Erinys sicut Hymen — pro fata — dedit conubia mortis*. et p. 166 ad v. 38 Med. 970 *victima manes tuos placamus ista*. denique ibid. pro *Megaeram* scribe *Megaram*. **p. 167 adn.** locutionem *in interpretis ministerium placuit* si exemplo comprobare opus est vide Ag. 99 *placet in vulnus maxima cervix*. **ibid. v. 10 ext.** X, 676 non XI, 676. **p. 168 adn. 9** legendum *aures pepulit*. **p. 171 v. 15** 967. 68. non 567. 68. **p. 181 v. 6** *functas* prout libet corrige. **p. 192 adn. 22** 499 Richteri numerus est. scribe 487. **p. 198 adn. 9** adde hamulum: *ʿaut*.

I.

Novem [1]) Senecae tragoedias ante extinctas Romanorum litteras [2]) data opera homo aliquis non indoctus interpolavit. idem Octaviam praetextatam, primis Flaviorum temporibus scriptam, novem tragoediarum corpori iniunxit mutatique ordinis locum tenere iussit nonum [3]). qui cum ita opera sua functus esset, ut sanis ad arbitrium commutatis, corruptelis temeraria manu oblitteratis limate tandem et polite decurrentem versuum contextum lectoribus proponeret, factum est ut, quod fatum inter scriptores veteres non Seneca tulit unus, interpolata editio obtineret, genuina tantum non periret. quare grates de servata poetae manu habendae sunt viro erudito, quisquis fuit, qui unum saltem novem tragoediarum exemplar genuinum a communi exitio vindicavit. e quo codex Laurentianus 37, 13, quem Etruscum appellare post Gronovium consuemus (*E*), librique pendent duo quos ipse repperi et excussi Ambrosianus *D* 276 inf. (*M*) et Vaticanus lat. 1769 (*N*). reliqui tragoediarum codices cuncti interpolatae editionis (*A*) exemplaria sunt.

Atque ut primum vulgarium librorum fidem strictim — nam vix eget causa verbis — ad Etrusci fidem exigamus, non ubique in librorum turba veteris interpolatoris lectionem integram apparere consentaneum est; illorum enim magna pars aut novicias passim Italorum correcturas aut singulas Etrusci scripturas quacumque via derivatas in se receperunt, cum interea vetusta interpolatio subinde temporum iniuria in peius abiret. at perraro accidit ut difficile sit veteris interpolatoris a recentibus discernendi negotium. ille igitur plerumque artis leges Senecaeque morem tam perite secutus est, ut, nisi fons purus pateret, nobis non minus quam Lipsiis et Scaligeris versus solidi dimidiive ab

[1]) de recensendis Senecae tragoediis disserui in Hermae vol. X p. 423 sq. ubi quae recte disputata sunt ea praeter minutiora quaedam hic repetere visum est.

[2]) cf. Richteri et Peiperi praef. p. IV. Usener. in Mus. Rhen. XXVIII p. 391. Habrucker. quaest. Annaean. p. 7.

[3]) eundem qui novem tragoedias interpolavit Octaviam illis inseruisse probabiliter coniecisse mihi videor. nec minus verisimile est ut reliquas Octaviam quoque ab illo pertractatam et politam esse (cf. Herm. l. s. p. 439); quamquam argumenta quae ad persuasionem sufficiant non attuli.

illo confecti probati plerique forent; nec refutare, quod exemplo sit, valeremus *caerulum gregem Nereidum* quem ille *pervio regi Nereidum,* pervio scilicet imis in undis Amoris spiculis, substituit (Phaed. 336 [4])). sed iam in talibus una valet Etrusci auctoritas nec immorari attinet in eis quibus nemo se decipi patitur. saepius fraudem adhuc ille criticorum industriae facit ubi locos re vera corruptos inventis suis oblimavit. qualia aut neglexerunt viri docti, ut Etrusci scripturas, quas pravas esse recte ille intellexisset, reciperent; aut prae apertis Etrusci vitiis in interpolatoris correcturis adquieverunt. rei gravissimae exempla dabo pauca sed ad persuadendum ut puto apposita. Phoen. v. 106 Oedipus mori cupiens ensem postulat filiam:

ensem parenti trade, sed notum nece
ensem paterna. tradis? an nati tenent
cum regno et illum? faciet, ubicumque est, opus.
ibi sit, relinquo. natus hunc habeat meus,
sed uterque.

in hac Etrusci scriptura *opus facere* (v. 108) idem significare posse quod *suum opus facere* non probavit Gronovius; quod cum latinum non esse interpolator sensisset, male corrigebat: *faciet ubicumque est scelus.* intactum reliquit *ibi sit.* quod sic stare non posse vidit Peiperus, sed infeliciter tentavit *illis relinquo.* in propatulo sita erit emendatio cum intellexeris *ibi sit* arte coniungendum esse cum eo quod praecedit *ubicumque est opus.* scribendum erat nimirum:

facinore ubicumque est opus,
ibi sit : relinquo [5]).

Troad. 503 quod antiquitus inepte traditum est:

succede tumulo, nate. quid retro fugis
turrisque latebras spernis?

inmutavit interpolator scribendo: *turpesque latebras.* quod non minus inepte Andromacha dicit antequam cognovit cur fugiat filiolus latebras. veram poetae manum Ambrosianus praebet: *tutasque latebras spernis* [6])?

---

[4]) versus numeris notamus ante Peiperum et Richterum usitatis.

[5]) cf. Petron. p. 94, 12 B. (c. 80) *inter hanc miserorum dementiam infelicissimus puer tangebat utriusque genua cum fletu petebatque suppliciter, ne Thebanum par humilis taberna spectaret neve sanguine mutuo pollueremus familiaritatis clarissimae sacra. quod si utique, exclamabat, facinore opus est, nudo ecce iugulum, convertite huc manus, imprimite mucrones.*

[6]) cf. Lucan. V, 743 *quorum tibi tuta latebra Lesbos erit.* VIII, 13 *tutis fatum celare latebris.* Sil. IV, 332 *tutas petit — latebras.* XVII, 617 *inde petit retro montes tutasque latebras.*

Herc. Oet. 318 haec in interpolatis libris leguntur nutricis verba Deianiram a scelere deterrentis:

rogos in istos terra consurget parens,
domusque soceri prima et Aetolum genus
sternetur omne; saxa iam dudum et faces
in te ferentur. vindicem tellus suum
defendet omnis e. q. s.

nescio quid hic sibi velit terrae parentis consurrectio; sed scio illam, si quando consurrexerit, non singulas gentes domus mulierculas aggressuram, sed omnia susque deque habituram esse. iam vide unde parentem sibi suam interpolator edolaverit:

Angor. in istos terra consurget lares

sic Etruscus. quae verba adhuc sensu cassa ita emendanda esse patet ut comperiamus qualis terra fuerit quam *in istos lares* incessuram esse nutrix nuntiat. quae cum statim adiciat: *vindicem tellus suum defendet omnis,* priore loco tantum Herculis patriam nominare potuit. scribendum igitur:

Graiorum in istos terra consurget lares.

in eodem conloquio nutrix Deianiram consolatur praedicando in omnes puellas praeter ipsam brevi amore Herculem caluisse. v. 366:

Arcadia nempe virgo Palladios choros
dum nectit, Auge, vim stupri passa excidit
nullamque amoris retinet Herculei notam.

at Telephi matrem nullam amoris Herculei notam retinuisse audacter dictum est; nec sane ad rem: agitur enim de Herculis animo amicarum immemore. ad quam sententiam propius accedit Etrusci scriptura: *retinet Herculis notam.* quam vitio metrico purgaturus sensum, ut solebat, pessumdedit interpolator et invertit; reddere autem poetae debuit:

nullamque amoris Hercules retinet notam.

atque his quidem locis satis modeste officio suo corrector functus est; proteriorem eiusdem manum et saepe deprehendas et e. g. Phaed. 641; ubi cum scripserit Seneca, quod vidit Gronovius:

intimis saevit ferus
visceribus ignis mersus,

in Etrusco legitur: *intimis ferit ferus.* quod ulcus ut sanaret ille versum Phaedrae orationi solidum ex eiusdem tragoediae v. 279 sq. confictum intrusit scripsitque:

intimas saevus vorat
penitus medullas atque per venas meat
visceribus ignis mersus.

haec ostendunt, ne in eis quidem quae corrupte Etruscus praebet ullam esse vulgaris lectionis auctoritatem; Etrusci igitur corruptelas utique emendandas, nusquam recipiendas esse interpolatoris coniecturas, nisi aut verum ab illo inventum esse — id quod et perraro accidit nec saepe contingere potuit ei qui veritatis simulacrum quoddam, non veritatem sectaretur — aut Etrusci scripturam post interpolatoris operam vitium traxisse certa ratione constiterit. atque in universum quidem novem tragoediarum corpus, quale interpolatae editionis auctori ad manus fuit, non magis purum et integrum fuisse quam quale nostrae aetati servatum est, exemplis modo adlatis comperimus. easdem enim ille corruptelas tollere studebat quibus Etruscum inquinatum esse videmus. confirmatur illud vetustis codicis Parisini 8071 fragmentis (v. Richteri et Peiperi praef. p. XXIV sq.) in quibus vix quicquam rectius quam in Etrusco traditum est. at fieri non potuit quin per multas librariorum manus propagatus verborum contextus passim depravaretur; sic e. g. in nominibus propriis exarandis vel Etrusci librarium vel eius praecessores neglegentiores fuisse observamus. legimus enim in Etrusco, ut pauca adferam, Thy. 115 *terra* (*Lerna*). Oed. 112 *phoebe* (*Thebe*) 233 *phoebis* (*Thebis*). Troad. 247 *patriamque* (*Priamique*). 923 *mille navium* (*Menelaum*). Ag. 173 *alio* (*Aulis*). praecipue et hoc et omne depravationis genus in Hercule Oetaeo grassatum est, quam in Etrusco non modo multo magis quam ceteras corruptam, sed etiam singulis versibus non paucis et duobus maioris ambitus locis mancam legimus. ac propriam quandam in hac tragoedia transcribenda oscitantiae et socordiae methodum librarius secutus est. nempe persaepe genuinas voces eliminavit aliis ex eodem versu sive ex antecedentibus sequentibusve in illarum locum inductis. sic 1174 *superique quondam dexterae testes meae A dexterae quondam meae E.* 1228 *nec ossa durant ipsa A durant ossa E.* 1473 *lux ista summa est: quercus hanc sortem mihi* e. q. s. *A hanc summam mihi E.* 1776 *quem parere rursus Herculem possum Iovi A quem parere possum E.* 1148 *spolium tibi* pro *tui* ex 1147, deinde 1149 *faciat* pro *fiat* ex 1148 et multa eius generis.

praeterea autem in hac ceterisque tragoediis quaedam ad arbitrium immutata videntur. ut Herc. fur. 1238 (*saepe error ingens sceleris obtinuit locum*) in *E* legimus *semper furor ingens:* qualia videlicet librario aliud agenti exciderunt. item cum in vetustiore quodam libro singulis vocibus hic illic aliae superscriptae essent idem vel simile quid significantes, postea illae sive cum genuinis coniunctae sive illarum loco verborum contextum inva-

serunt; ut Phoen. 47 *mortemque totam recipe admitte.* Hf. 684 *Maeander undis errat ludit.* Tro. 1166 *maria — repetat secura classis* pro *secet* contra numeros. accidit etiam ut alius generis interpretamenta versibus adscriberentur, ut Ag. 932 *etsi timendum caesus Agamemnon docet A timendum quid sit Ag. docet E* 970 *iustae parenti satis A dixi p. s. E* Thy. 907 *miserum (virum) videre nolo.* Tro. 135 *bis pulsari (vidit) Dardana Graio moenia ferro.* qualia cum in interpolationum numero vix habenda videantur, quaedam tamen inveniuntur quae releganda sunt unde malam pedem intulerunt. sic Phaed. 264 *haud quisquam ad vitam facile revocari potest* versus interpolatus exulat in plerisque interpolati generis codicibus; nec Thy. 389 (*rex est qui cupiet nihil*) ab *A* alienus video qua ratione cum antecedente (*rex est qui metuit nihil*) conciliari possit. denique uno saltem loco accidit, ut varia lectio ex interpolata editione sumpta et in Etrusci archetypo adnotata genuinae vocis locum insederit. Agam. 741 haec sunt furentis Cassandrae verba ut in editionibus circumferuntur:

quid me vocatis sospitem solam e meis,
umbrae meorum? te sequor, tota pater
Troia sepulta. frater auxilium Phrygum e. q. s.

sic codices vulgares, praeterquam quod nonnulli cum Etrusco *Troia sepulte* legunt. neque esset cur scripturam istam reprehenderemus, nisi ita haec in *E* scripta essent:

— *umbrae meorum. testis vel tota pater*
Troia sepulte.

statim apparet *vel tota* variam lectionem esse ad *testis* adscriptam et in verborum contextum falso inlatam, unde expulit, quod genuinum est, *te sequor.* interpolator cum haec verba: *te sequor testis pater Troia sepulte* corrupta esse videret, suam versui medelam adhibuit. at debuit hoc poetae restituere:

te sequor testis, pater,
Troiae sepultae.

Haec fere sunt in quibus Etruscum ab illo novem tragoediarum exemplari quale interpolatae editionis auctori ante oculos fuit degenerasse cognoscimus; in quibus cum interpolatorum codicum ope non possit careri, utique sequitur interpolatam lectionem cum Etrusco conferendam, nusquam vero ab Etrusci corruptelis ad scripturas vulgares confugiendum esse, nisi veram in eis poetae manum certa ratione agnoveris. itaque in reciperanda ea novem tragoediarum forma, quae interpolatori veteri praesto erat, harum tragoediarum recensio absolvitur; ulterius progressuro emendatoris opera suscipienda est.

In hoc recensoris officio profecisse aliquid mihi videbar, cum duorum codicum genuinam lectionem prae se ferentium auxilio fidem eius librarii qui Etruscum codicem exaravit aestimari posse mihi persuasissem. Ambrosianum enim et Vaticanum ex Etrusci gemello pendere, illorum igitur et Etrusci lectione inter se comparata communem archetypum restitui pro certo habui et explorato. qua de re quamquam aliter statuendum video postquam ipse Etruscum codicem excussi, tamen libris illis accurate describendis et cum Etrusco conferendis supersedere nec volo nec debeo.

Mediolani in bibliotheca Ambrosiana tragoediarum codex asservatur saeculi XIV membranaceus oblongae formae duodequinquaginta foliorum (quinionum quattuor, octo unius senionis foliorum) binarum columnarum sexagenorum quaternorum versuum, manibus tribus aetate aequalibus exaratus (1. quin. I ad IV med. [HO. 38]; 2. ad sen. fol. 4 [Oct. 43]; 3. ad finem), quem recentis aevi neminem legisse foliorum margines docebant partim situ pridem cohaerentes. mihi *M* audit, catalogo bibliothecae *D* 276 *inf.* continet Etrusci ordine et nominibus novem tragoedias, Octavia in fine adiecta, cuius nomen *Ottaviâ* scriptum codicem in Italia compositum esse docet. septem tragoediarum versus verbaque cum genuina editione consentiunt: cum interpolata Phoenissae et Medeae prior pars.

et hunc codicem ipse excussi et tertium genuinae editionis exemplar (*N*), quod continetur foliis 197^{v} ad finem codicis Vaticani 1769; leguntur in eo una manu scripta Quintiliani declamationes (f. 1—48^{v}), Senecae opera philosophica, insertis inter libros de providentia et de ira Senecae 'de civilibus causis ad Novatum' libris X (f. 66^{v}—80^{r}), sententiae metricae et pedestres (f. 192^{r}—195^{v}), minora quaedam, tragoediae. membranaceus est saeculi XIV formae oblongae foliorum 246 binarum columnarum sexagenorum binorum versuum. in tragoediarum ordine nominibus specie cum Ambrosiano conspirat, praeterquam quod Phoenissas et *Oedipi* nomine inscribit et post Oedipum collocat. interpolatae lectionis Phoenissas et Medeam, in fine adhaerentem habet Octaviam. sed dubitandi spatium non concedit tragoediarum titulus:

Marcj lutii annei ſenece tragedie novem. hercules. troades. phenissa medea. phaedra. oedipus. agamenon thieſtes. hercules. octavia. feliciter incipiunt. Iuno.

non computavit librarius nomina: nam decem sunt. genuinus *igitur numerus* est, non mutatus adiecta Octavia. adscribam

item quod in tragoediarum calce legitur praemissis Senecae vita metrorumque conspectu, non tam belli tituli[7]) quam notae temporis gratia; quamquam haec ex alio codice transcripta esse verisimile est.

M. CCCIII. *mense Ianuario Ego rolandus de plazola* (*r. d. p.* i. ras. 2 m.) *dum Romae essem legatus civitatis Paduae* (*P.* i. ras. 2 m.) *apud ecclesiam S. Pauli forte inveni et vidi marmoreum saxum cum his litteris:*

M. A.
LVCANO · CORDVBENSI
POETE · BENEFICIO
NERONIS CAESARIS
FAMA SERVATA.

Atque omnium primum constat, *M* et *N* communis archetypi (Σ) apographa esse; hoc et vitiorum consensu efficitur (cf. Hf. 688 *stigis (strigis);* 1277 *virtute tibi agendum (virtute agendum);* 1312 *letede (letale)* — nam cumulare talia non attinet) et magis etiam scripturis diversis quidem sed in unum coeuntibus. cuius generis sume Hf. 1303 sq.:

natum potes servare tu solus mihi,
eripere nec tu: maximum evasi metum.

v. 1304 sic vulgo interpolatus legitur:

Theseu ipse necdum maximum evasi metum.

in *M* vero hoc scriptum est post v. 1303:

Theseu ipse necdum maximum evasi metum.
eripere nec tu maximum evasi metum.

in *N* hoc:

Theseu ipse necdum maximum.
eripere nec tu maximum evasi metum.

in Σ igitur genuino versui interpolatus adscriptus erat.

et hoc et innumeris eiusdem generis exemplis edocemur, Σ exemplar fuisse genuinae editionis collatum cum interpolatae exemplari e quo variam lectionem corrector adnotavit. quam vel alter vel uterque in verborum contextum recepit marginive variae lectionis loco adpinxit, vel denique utramque scripturam coniunxere variaeve partem tantum recepere. cuius generis unum exemplum proposui. pauca addam.

Troad. 1009 *dulce maerenti populus dolentum*
dulce lamentis resonare gentes.

---

[7]) De titulo olim famosissimo cf. O. Jahn. in prolegomenis Persii p. XXXIII.

sic libri vulgares recte cum *M; dulce maerentes resonares gentes E dulce lamentis et maerentes resonare gentes N.*

Agam. 173 *Aulis AM alio EM v. l. Aulis alio N.*
507 *ars cessit malis EM in magnis malis AM v. l. ars in magnis malis N.*
551 *pepulerunt gradu E* (ex 549) *mitti dextera A mitti dextra gradu MN.*

HO 636 *donet A ponit EM podonet N.*

his exemplis satis constare credo, comparanda duorum apographorum lectione codicem archetypum ita restitui, ut ne intricatioribus quidem locis dubitari possit, quid in communi fonte extiterit. codicem Σ autem olim comprobare studui ex Etrusci archetypo et ipsum pendere. qua de re primam mihi dubitationem iniecit Etrusci cum illo in minutissimis quoque rebus consensus multo frequentior quam ex Peiperi et Richteri editione cognosci poterat ac fere constans. quem tamen ad communem quoque originem plerumque referri posse patet, quamquam restituendo exemplari eisdem quibus Etruscus vitiis scatente nihil iuvamur. omnino autem de tam subtilibus nec raro ambiguis in hac quaestione momentis agitur, ut explicatius exponendum videatur qua ratione Etrusci gemellus ab eiusdem progenie discerni queat.

atque universas codicis Σ, sive mavis codicum *M* et *N* inter se comparatorum scripturas, veras falsasque, ita disponere possumus, ut primum de codicis Σ cum *E* contra *A*, deinde de eiusdem cum *A* contra *E* consensu, denique de propriis codicis Σ scripturis agamus. primum igitur quae cum *E* communia habet fere omnia ad communem fontem referri posse diximus, etiam minutissima quaeque, ut Med. 853 *caecatus* pro *citatus,* 865 *ganticicum* pro *gangeticum,* 969 *relinquere* pro *relinque et,* vel quam maxime propria, ut in versibus distribuendis errores Oed. 474 sq. Tro. 492 et similia. idem de eis quoque contendi potest quae ex corruptelis in Etrusco comparentibus magis depravata esse constat; ut Tro. 167 *edoce E et doce M (reduces).* 1011 *lenius E levius Σ (lentius).* 1121 *tumultum E tumutum N (tumulum).* Phaed. 28 *flius E fluis N filius M (Phlyeus).* Oed. 829 *petituro E perituro M (petitur).* Med. 913 *exitum E exitum N (exitium).* HO 1098 *parcat E pareat Σ (Parcas).* 1443 *afflauat E afflauit N affluit M (afflabat).* 1448 *ille E illa Σ (Hylle).* 1975 *discet EN discedet M (decet).* alia vero eundem explicatum non admittunt. nam certo quodam corruptelarum genere Etrusci archetypum discimus et maiusculis litteris et verbis inter se nondum

segregatis exaratum fuisse. alterum corruptelae docent quales sunt Tro. 1160 *egeus (coetus)*. Oed. 1038 *fligere (eligere)*. Thy. 810 *feruitur (struitur)*. Agam. 538 *magis (Aiacis)*. Med. 655 *morsus (Mopsus)*; alterum innumeri errores verbis male diiunctis orti, ut Phoen. 341 *frigiamque flammam et eterias tali soli (frugemque flamma metite natalis soli)*. Hf. 18 *mundus puellas fert. anobis lac egent (mundus puellae serta gnosiacae gerit)*. iam si librarii maiusculas litteras non recte transferentis errores Etrusco cum Σ communes esse videas, ut HO 379 *galatam EM (gnatam)*. Med. 977 *perpenda EN (perdenda)*. Tro. 533 *caecas EΣ (Calchas, Calcas)*. Hf. 1123 *vili EΣ (ulti)*. Agam. 81 *faciunt EM v. l. (fugiunt)*, hunc consensum e communi fonte repetere dubitabis; magis etiam cum eius generis menda in peius abiisse cognoveris, ut Phaed. 505 ex *Alphei* (ALFEI) in *E* factum est *ale et* [8]), in *N* post *Alphei* erasum est *et*. eodem refero Tro. 607 *Danai dic EM Danaydie N (Danaidae)* et 633 *sicre E scire NM v. l. (sero A*, sed scribendum *saepe* [9])). item si in Σ non aliter quam in Etrusco coniungenda male diremta esse, secernenda male cohaerere animadvertas, haec uni Etrusci librario imputanda esse iudicabis. cf. Hf. 916 *nobilis dircenaq; EN (Dircen aquae)*. 963 *recipi sed EΣ (recipis et)*. Agam. 298 *sub rupe reductus EM (subripere doctus)*. Phaed. 148 *perpetua in EΣ (perpetuam)*. Oed. 433 *eden ope depulsavit EΣ (Edoni pede pulsavit)*. Med. 899 *haustu citatum EN (haud usitatum)*. HO 1180 *turpe scelus EM (turpes colus)*. 1866 *quid amplius EΣ (quiddam plus)*. 1954 *Pluto niger EM (Pluton iter)*. addam alias Etrusci scripturas in Σ magis etiam a pristina specie deflexas. Phaed. 1068 *freni sequi E frenis sequi N (frenis equi)*. Oed. 351 *terrore scient E terrores scient N (terrores cient)*. 773 *explicer rores E explicet rores N (explica errores)*. 1034 *socer e stuprum E socer est stuprum Σ (socer est utrum)*. HO 1230 *pestis at est E pestis adest Σ (pesti sat est)*. 589 recte in archetypo scriptum erat *gracilisque gradu serperet aequo*; in Etrusco legitur *gradusẽper et aequo* compendio litterae *r* alias non usitato; *N* vero praebet *gracilisque gradus semper et aequo*; *M: g. gradu aequo semper* et in margine: *gratilique gradu serperet aequo*, quod correctori deberi apertum est, nisi quis cum Peipero mare fluere opinetur.

---

[8]) sic Tro. 817 ex *Phthie* (FTHIE) factum est *et hie*.

[9]) *utinam timerem; solitus ex longo est metus. dediscit animus saepe quod didicit diu* i. e. ita saepe ad aliquam rem animus insuescit, ut eiusdem conscius sibi esse desinat: tam diu timere didici, ut dedidicerim.

deinceps quae Σ cum *A* communia habet ab Etrusco diversa, ea omnia correctori tribui possunt, dummodo illum non temere officio functum esse sumas. haud raro enim in eisdem versibus Etrusci corruptelas eliminavit in quibus quae ab illo recte contra *A* tradita essent reliquit. pertinent autem huc lacunae quoque, quas in Hercule Oetaeo potissimum Etruscus passus est, omnes praeter versum 1750 merito omissum in Σ expletae, in eis quadraginta duorum versuum locus alterque triginta trium; quo certissime comprobari videbatur codicem Σ non ex Etrusco pendere. at in versibus amplius centum ex archetypo nondum decurtato transcriptis in corruptissima et istis quoque in versibus satis corrupta fabula multa deberent rectius vel saltem aliter tradita esse quam in vulgaribus libris circumferuntur. sed tantum abest ut interpolatorum codicum corruptelae tollantur, ut cum deterioribus libris loci isti plerumque consentiant, cum talibus scilicet quale in Phoenissis Medeaeque parte priori codicis Σ exemplar est. v. 407—439 omnino cum interpolatis facit praeter v. 431: *si coniuges expellit* (*sic coniuges A*); sed v. 411 *viva* 415 *concepto* 422 *etholia.* in altero maioris ambitus loco 1564—1606 (nam in vv. 182—224, quos primo omissos proprio folio postea scriptos Etrusci librarius servavit omnino Σ cum *E* consentit) cum nonnulla ab Italis correcta sint, nihil proprium Σ habet praeter omissos vv. 1578. 79, iure quidem omissos illos sed non ex auctoritate vetusta, cuius praeterea nulla extant vestigia: 1570 *recepti* cum Gothano et Moguntiaco (*recepto*); 1572 *tamen M* cum Rehdigerano (*tantum*); 1576 *veniunt* cum Gothano (*venient*); 1584 *discedet* (*descendet*); 1590 *habeatne ulla* (*habeat nec ulla A habeat nulla* Mogunt.; *horreat nulla* recte Lipsius); 1591 *potest* (*putet* Mogunt. recte); 1595 *heu* cum Melisseo omisso in fine verbo (ut Rehdig. et Goth.); 1604 *humilisque* cum Gothano (*humerisque*). praeterea v. 1438 (*video nitentem regiam*) cum Gothano Σ *intentam* praebet (*intensam* Melisseus); 1469 cum aliis (e. g. Laurent. 37, 6) *extulit*, ubi ceteri *expulit* legunt et *expuit* recte a Delrio emendatum est. haec satis mihi comprobare videntur versus istos non ex optimo fonte fluxisse sed ex interpolato codice a correctore suppletos esse; nec impedit quod versum 1755 ab Etrusco iure omissum et ipse omittit, cum v. 1753 iniuria omissum reduxerit; nec denique quod v. 1809 fortasse recte praebet *quis memor vivi tui* (*vivet A*) et 1810 rectissime *omne iam ingratum est genus* (*nam A*): nam talia ipsi correctoris ingenio tribui posse statim intellegemus.

postremo enim de scripturis codici Σ propriis disserendum

est; quae si corruptelae merae sunt, verbo non egent. at non pauca solus ille recte tradidit: Thy. 100 *sequor*. Fur. *hunc furorem*, ut iam in Aldina correctum est. Phaed. 560 *huius incestae stupris* (*cuius incestae A huius incesti E*). Tro. 394 *ut nubes gravidas — Arctoi Boreae dissicit impetus* (*dissicat E dissipat A* cf. Ovid. met. I 328 *nubila disiecit*). Oed. 1007 *sensitque raptum* (*censitque E sensimve A*). Agam. 238 *iacensque vultus languido obtutu stupet* (*obtutus EA;* idem quod Σ ex Melisseo dedisse videtur Lipsius, non ipse invenisse). HO 546 *graviore prome M* i. mg. (*gravi deprome E graviore profer A*). 568 *ne pateant doli* (*pateat E ne pateant mala A*). 1223 *sanguinem vexat vapor* (*sanguine E sanguinem avexit A*). 1738 *nunc es N* (*est*). 1749 *minima M* (*nimia*). 1751 *repetit* (*repedit E recipit A*). plurima sic vides comparata esse ut tribui alicui possint qui Etrusci scripturas cum vulgaribus contulerit. minus facilis est correctio quam HO 1738 invenimus, ubi *es* quidem in *N* recte scriptum esse monuimus (*nunc es parens Herculea, sic stare ad rogum te, mater, inquit; sic decet fieri Herculem*); sed in eodem versu cum *Herculem* pro *Herculea* in *E* legatur, *N* hoc praebet: *nunc es parens, sic Herculis stare ad rogum* e. q. s., *M: sic Herculem st. a. r.;* atque illud cum primo saltem obtutu adrideat itemque v. 1739 quod in *E* et Σ legimus *stare*, ut legendum cuipiam videri possit:

nunc es parens: sic Herculis stare ad rogum
te, mater, inquit; sic decet stare Herculem,

tamen in utroque versu Etruscum corruptum — in altero autem solito more quem supra tetigimus (p. 4) — in Σ vero corruptam Etrusci scripturam interpolatam esse intelleget qui acrius oculos intenderit. non aliter iudicari potest de Agamemnonis versu 746 nondum emendato; qui cum sic vulgo legatur: *sed lacera membra et saucios vinclo gravi fortes lacertos*, in *E* haec extant numeris sensuque cassa: *sed lacera menbra connectens vinculo gravi illos lacerto*, in Σ vero: *s. l. m. vinculo nectens gravi illos lacerto*, ut facile in suspicionem adducaris scribendum esse *et vinculo nexos gravi*. ut ut est quod in Σ legitur interpolationem sapit sarciendorum numerorum causa factam. dubitationem eximit Thyestis v. 488 (*unum genitor hoc testor tamen E M u. g. h. hortamen est A*) sic in *N* scriptus: *unum genitor hoc ortamen est et male*. aenigma solvitur codicis *M* margine, in quo plane idem legitur praemissa variae lectionis nota. *et male* patet pro *sed male* positum esse, correctorem codicis Σ igitur suum iudicium enotatae variae lectioni adiecisse: quod qui fecit, ei omnis generis interpolationes imputari posse sciunt qui veterum scriptorum codices in manibus habuere. idem apertius etiam nota ad Thy. 778 (*lancinat natos pater*)

in *M* adscripta prae se fert: *al' laniat, sed putatur quod male quia versus non staret.* Agam. 133 Statii versus (Theb. I, 379 *dat stimulos animo vis maesta timoris*) in Σ margini inlatus in *N* amissi versus locum occupavit; item Tro. 492 in *N* Statii versus (Theb. VIII, 283) in margine legitur. iam vero magnum numerum variarum lectionum marginem potissimum in *M* obtinentium ad correctoris eiusdem coniecturas referemus; ut Hf. 1157 *al' victor* (ad *exurge virtus*). Thy. 676 *al' tertio* (ad *trino;* debuit *al' terno* [10]); 1004 *al' obsequuntur* (ad *oblocuntur*). Phaed. 174 *al' furiis* (ad *patris*) et multa eius generis. itaque quaecumque codicis Σ propria sunt non ut genuinae lectionis reliquias suspiciemus sed aut in mendorum aut in emendationum numero recensebimus.

confirmabit terminabitque hanc disputationem Troadum locus quo uno omnem quaestionem profligare poteram; at explicatius haec exponendi officium mihi iniunctum putabam. Troad. 635 (*sacrum antecessit nec potest uatem sequi*) Peterus adnotavit *uxtem* in *E* legi. nempe librarius cum primum verbis male discerptis scripsisset *nec potes tua tem sequi,* dein ipse coniungenda coniunxit, dirimenda diremit in hunc modum: *nec potes t'ua-tem sequi.* iam lineola inter *a* et *t* ducta deceptus Peterus *xt* legere sibi visus est; quae est in Etrusco litterae *x* forma. nec Petero soli correctio ista fraudi fuit; nam cum in *M* versus recte scriptus sit, in *N* hoc legimus: *nec potest uatem t'uxtem sequi.* vides Etrusci scripturae in Σ fideliter depictae correctorem *uatem* superscripsisse, Vaticani librarium correcturam inter *potest* et *ua-tem,* quod et ipse *uxtem* esse putavit, inseruisse, insuper autem litteram *t'* ante *ua-tem* retinuisse.

itaque prorsus abicienda essent ista Etrusci germina — nam

---

[10]) *saepe latratu nemus trino remugit;* probe callebat poetarum usum qui *terno* versui inferre voluit. Hf. 62 *terna monstri colla.* 784 *trina vasto capita concutiens sono E* (*terna A*). 796 *per ora missus terna.* Phaed. 943 *ut vota prono terna concipiam deo* (*trina A*). cf. d. benef. VII, 9, 4 *bina ac terna* legitime in distributione. Vergilius et Horatius *trina* ignorare videntur (*terna* aen. I. 266. V, 120. 247. 560. 580. ecl. VIII, 73. 77. Hor. III, 19, 14; serm. II, 4, 76); Ovidius ubique *terna* (met. VII, 190 *ternisque ululatibus ora solvit;* 414 *ternis latratibus.* X, 22. her. IX, 38 *et haesuros terna per ora canes.* fast. VI, 216. trist. II, 481. III, 12, 24); sed fast. IV, 480 *cornua trina* Ianus Ulitius (*prima* codd.); V, 146 *numina trina* (*terna* codd. aliquot Burmanni). Manilius ubique *terna* (II, 295. 313. III, 368. 457. IV, 302. 484) praeter II, 334 (*trinis*). Prop. V, 10, 2 *trina* Tib. I, 3, 12 *trinis,* sed IV, 1, 50 et 112 *terna.* Stat. silv. IV, 9, 15 *trino.* V, 3, 253 *trinis* (*terna* Theb. V, 509). Silius *trinis* XV, 157. XVI, 628. XVII, 332. *terna* I, 279. X, 93. 122. XIV, 574. pedestrium scriptorum locos et grammaticorum testimonia conlegit Neue II, p. 165 sq. (ed. II.).

corrigendis quae in illis correcta vidimus et ipsi sufficimus —, nisi Etruscus quoque, et ille quidem postquam apographum Σ confectum est, correctorem passus esset, qui volgares scripturas hic illic margini intulit, genuinas non nullas erasit. ubicumque igitur prima Etrusci manus deleta est, codices *M* et *N* certos habemus pristinae lectionis testes. quod ut exemplo comprobem, ex Herculis prioris initio, in quo impudenter versati sunt correctores duo, eliminatas ab illis Etrusci scripturas secundum Σ ante oculos ponam: v. 8 *recenti*. 12 *ferro minax*. 21 *escendat*. 34 *fruimur*. 36 *patrem probavi gloriae feci locum*. 38 *Aethiopas*. 43 *iura*. 56 *durae*. 62 *et terna monstri colla devicta intuens*. 63 *minimum*. 90 *feros*. 110 *delecta(t)*. 183 *flatur*. 184 *suis*. 188 *tempore*. 213 *a primo*. 219 *lumine*. 236 *qua*. 257 *capiti*. 259 *tremet*. 302 *Eleusin*. 316 *timoris*. 321 *adit*. 324 *super habuit*. 368 *reducere* e. q. s. hac igitur in re de qua in sequenti capite copiosius dicendum erit, Vaticani et Ambrosiani auxilio uti non dedignabimur.

quae de Etrusci apographo disputavi non pertinent ad Phoenissas Medeaeque illam excipientis partem priorem; quae ex Σ nescio quo casu ablatae, cum Medeae posterior pars fere inde a v. 700 ex Etrusco pendeat, alio de codice ab eodem puto quem in reliquis tragoediis corrigendis occupatum deprehendimus, suppletae sunt; deinde in *M* suis locis transcriptae in *N* immutato ordine leguntur, ut recto loco Medea, post Oedipum Phoenissae extet et ipsa Oedipi nomine inscripta. codicem illum interpolatae sectae fuisse consentaneum est. quare harum tragoediarum in apographis duobus lectio vix cognitu digna foret, nisi in eo certe momenti aliquid inesset, quod eadem fere erat Melissei libri lectio, amissi post Lipsii operam, sed laudato multum et desiderato. qui cuius generis fuerit iam intellegi poterit.

de Melisseo quae sciri possunt e Lipsii commentariis repetenda sunt, qui quae ad emendationem aliquid conferre possent enotavit. ea igitur quae sine codicis ope emendare studet, in codice non melius tradita fuisse certum est. sed ne forte fallamur, nunc ea tantum respiciemus quae in Melisseo extitisse disertis verbis testatur. ea vero, ut de Phoenissis primum agamus, cum *MN* omnia consentiunt praeter hos locos: v. 4 *in recta MN* (*in rectum* Mel. alii). 64 *utere* (*vertere*, quod idem est). 181 *coepit* (*coepi*). 182 *magnanime miseranda* (*mis. magn.*). 257 *tractas* (*tinctas*). 320 om. *exemplum ingens*, sed legitur in margine *M*. quibus de locis iudicium certum erit, ubi communia quaedam composuerimus: 178 *audies verum Oedipe* (*Oedipum AE*). 328 *sceptra* (*scelera AE*). 331 *exempla facinorum* (*fac. ex. A*).

463 *nunc alter aberit ergo iam numquam duos AE*
ergo numquam duos Mel. *NM*
qui versus praecipue nativum arguit consensum. magis etiam v. 62
regam abnuentem, dirigam invitum gradum A
inviti gradum E
invitum patrem Mel.
invitum patrem vel gradum MN
quam scripturam sic natam esse patet, ut in *Σ gradum* adscriptum esset ad id quod in verborum contextu extabat *patrem*.

ad Medeam accedamus. in qua dissentiunt a Melisseo v. 92 *vir longe superet viros* (*v. l. ut superat v.* Mel.). 669 *iusso N* (*vivo* Mel. sed *divo*, quod Lipsius coniecerat, *M* habet i. ras.). quibus vitia quaedam communia opposuisse satis erit: v. 30 *curvi* Mel. *M* 1. m. *N* (*puri*) [11]). 198 *vox* Mel. *M*. 204 *caput* (*putet*). 214 *exercet* Mel. *M i. ras.* 236 *flamina* (*flagitia*). 345 *pergeret* (*spargeret*). 393 *induit scelus* (*medium sc.*). eius generis corruptelis, quas nemo umquam corrector in codicem intulit, communis origo extra dubitationem ponitur. cf. praeterea Med. 55 *quae scelere parta est scelere linquenda est domus E linquatur domus AN rumpatur fides* Mel. *rumpatur domus M* (*quae scelere pacta est* Mel. *M* 1. m.): correctionem recepit totam *N*, partem tantum *M*. discrepantiis igitur quas attulimus id unum efficitur, non ex Melisseo ipso has tragoedias pendere, sed ex codice eius gemello qui aut correctoris manum aliqua ex parte passus erat aut archetypi correcturas non omnes adsumpserat. Melisseum vero cum praeter scripturas cum Etrusco communes proprii nihil habere videris nisi vitiosa et interpolata, ceterum pessimis non meliorem esse, certe et gaudebis testibus, quibus istius libri fides aestimari possit et mecum nullam in posterum eius mentionem faciendam esse censebis [12]). ortus enim est Melisseus ex libro interpolatae sectae, quem nescio quis ex Etrusco aut eius cognato ita passim correxit, ut quae adscriberet ad libidinem conformaret. illius libri duo saltem apographa iam novimus: Melisseum alterum, alterum codicum *M* et *N* in Phoenissis Medeae v. 1—700 et Octavia archetypum. nam ad Octaviam quoque

[11]) v. 171 *te ipsam vide* (Mel.) quod non extat in *MN*, in Melissei archetypo ad *Medea* (v. 171) sive ad *cui sim vides* in eodem versu adscriptum erat a lectore quodam. v. 388 *oculos uberi fletu rigat E* Mel. *o superi oculos f. r. A, o superi* om. *NM*. fortasse *uberi* in archetypo erasum erat et vulgatum in margine adscriptum. quod accidit certe Phoen. 393 *hinc atque hinc rutt E* Mel. *hinc atque illinc ruit M* (*illinc* ex interpolatis). erasum erat alterum *hinc*. itaque *N: hinc atque ruit*.

[12]) iam conferas quaeso Phoen. 193—198 quales cum libro suo conlatos transcripsit Lipsius.

quae ex Melisseo Lipsius enotavit, ea omnia in *MN* leguntur praeter v. 249 (*nisi duo* Mel. *insidioso NM* v. l. *insidivo M*) et 269 (*perdidit — prodidit*). praeterea v. 853 (*abstrahere nostris coniugem caram toris*) *coniugem tantam* in Melisseo et *M*, *c. fata* in *N* legitur. interpolata sunt v. 37 *uno latentis MN* (om. *sub*), v. 376 *animam — fudit (reddit)* et fortasse alia.

itaque in futurum quoque unicum recensionis fundamentum Etruscus habebitur, cui ubique interpolatae editionis lectio adhibenda est et, si quando prima Etrusci manus periit, eius apographum Ambrosiano codice et Vaticano inter se comparatis restitutum. reliqua emendatoris sunt.

II.[1])

Ne cui de ratione inter Etruscum meorumque librorum bigam intercedente turpiter errasse videar — quamquam ne turpiter quidem errasse tam aegre umquam laturus quam intellecto errore gavisus sum — eis effectum iri spero quae de Etrusco codice nova docere possum. quem totum ita excussi ut si quis eundem rursus adire volet non multa quae neglexerim inventurus sit. hoc ut spondere possim certe eo potissimum effectum est quod lectionem a Gronovio Petero aliisque ex eodem codice enotatam operae meae adhibere potui. at si mireris me affirmantem post tot virorum doctorum curas nunc demum certa me de optimo libro prolaturum, Gronovium credas cum levitate incredibili in promulgandis Etrusci scripturis versatum esse; Peterus autem nec ipse satis diligentem huic libro operam navavit et schedis eius editores perquam incuriose usi sunt.

atque non una quam primo loco posui ratione inducor ut quae ad corrigendas de Etrusco falsas opiniones in primis necessaria videantur non reservem ipsi tragoediarum editioni; ab illa nempe superfluam qualemcumque et inertem molem arcere certum est. scio autem, nisi de gravioribus saltem viros doctos certiores fecerim, sescentiens eventurum ut diserte fidem profiteri, testium dissensum diiudicare, constantem denique et inutilem Teubneriani exemplaris rationem habere cogar. itaque non plura de codice optimo monebo quam ut in editione quaecumque nude posuero non dubitaturus sis quin re vera in Etrusco legantur, nec magis quin a prioribus oculorum iudiciive culpa illi iniuria tributa sint quae omisero.

primum igitur quod ad fata codicis post renata litterarum studia attinet, eum in eorum numero fuisse qui ex testamento Nicolai Niccoli in monasterium S. Marci inlati inde per multas vicissitudines tandem in publicam S. Laurentii bibliothecam pervenerunt, in primae paginae summo margine scriptum nunc

---

[1]) in hoc capite cedendum est necessitati utendumque Richteri et Peiperi numeris, quandoquidem ad editionem eorum spectabunt quaecumque de Etrusci scripturis referam.

aegre legitur. tam diligenter enim verba ista erasa sunt, ut ex depictis eorum vestigiis non possessoris tantum alicuius nomen, sed et 'diras in libri raptorem' editores enucleaverint [2]). nempe si oculos attenderis apparent haece:

iste liber est conventus S. Marcj de Florentia
ordinis praedicatorum, habitus de hereditate
Nicolai [Niccoli
civis doctissimi et florent[issimi

quibus superscriptum fuit:

iste liber . . . . . de (XVIIII?) *bancho ex parte occide[ntali*

ac si Bandinium evolvas, ab illo ut saepe disci potuisse intelleges quod de codice a viris doctis bis terve pervolutato et descripto in editionibus nusquam narratur.

codex igitur Marcianus — *πολὺς γὰρ ἐν βροτοῖσι κοὐκ ἀνώνυμος* — totus una manu exaratus est, mutatis tantum subinde et calamo et atramento. correctorum opera nec continua fuit et plerumque modesta, vel potius correctoris; nam praeter secundam manum quamquam tres diversae deprehenduntur, eae parcissima reliquere industriae vestigia. secunda autem manus atramento usa nigriore quam prima hic illic litteras mutavit, lineolas addidit, haud frequenter verba integra versusve adiecit, pauca ita erasit ut quid subfuerit dispici nequeat. ab hac manu diversa est alia quae e. g. vulgatam lectionem Hf. 37 restituit et praeterea non multis locis occurrit, Herculem priorem vix excedit. diversa rursum manus scholiis margines complevit, in scaenarum plerumque initiis; quae postea omnia spongiis detersa sunt, non ita tamen ut nihil erui possit: satis certe superque ut de pretio eorum securus degas. eadem vero manus in singularum paginarum summis marginibus fabulae nomen pinxit et non nusquam versibus quaedam ipsis adscripsit. a quibus omnibus diversa est manus quae in Phaedrae loco 634 sq. et aliis paucissimis glossas inter lineas addidit. denique manus recentis aevi pauca correxit. huc cum accedat ut prima manus post scriptum librum ipsa non nulla antea omissa suppleverit, vides discernendis manibus quantumvis magnam diligentiam impendendam esse. id quod nec in hoc libro ante nos factum est nec in aliis vulgo fieri solet. idem valet de litteris vocibusque erasis scriptisve in rasura, de quibus ut recte iudicetur operae pars longe difficillima est necdum sane in Etrusco dextere administrata. itaque primum locos de quorum correcturis liturisque parum recte a prioribus relatum est paucos

[2]) praef. p. XXVIII.

quidem componam, sed e quibus poetae verbis emolumenti aliquid eveniat.

Hf. 8 *hinc qua tepenti vere laxatur dies*
tepenti interpolatum epitheton scriptum quidem est secunda manu, sed correctum, ut certe dignoscitur, ex *recenti*. et sic Σ (cf. p. 13 ubi quaedam tetigi hic explicatius tractanda).

v. 12 *fera coma hinc exterret Orion deos*
sic *A* et *E* secunda manu; sed non ex *ferro minaci* prima verba correcta sunt, sed pristinum erat

ferro minax hinc terret Orion deos [3])
id quod totidem literis in Σ legitur. accedit ut corrector ipse in margine adscripserit *ferro minax*, ne ignoraretur qualem scripturam lima sua oblitterasset.

in transcursu moneo, quod ad v. 89 adscriptum referunt *eat* vel *cat* (v. Addenda), id vocis *vacat* alteram syllabam esse, priorem autem ad v. 83 margini sinistro adpictam esse, tertia manu, non secunda utramque: scimus enim, esse libros quosdam uno scilicet exemplari oriundos, in quibus vv. 83—89 omittuntur.

v. 185 *fertur* in foeda rasura 6 litterarum scriptum est tertia, non secunda manu, item *ordine* v. 190 in rasura 7 litterarum 3. manu. itaque in *E* scriptum erat, id quod in Σ legitur:

185 *at gens hominum flatur rapidis (fertur A)*
obvia fatis incerta suis (sui A)
et 190 *certo veniunt tempore Parcae (ordine A)*.

v. 223 nunc quidem legitur

oculos remisso vultu ac placido intuens
sed *vultu* tertia manu (non 2 m.) in rasura vocis quam dispicitur fuisse *lumine*. sic et Σ, *pectore A*.

v. 323 *quam tunc habebat, cum per arentem plagam*
et fluctuantes more turbati maris
abiit harenas bisque discedens fretum
et bis recurrens.

v. 325 *abiit* 2. m. correctum est ex *adit*, cum Σ *adiit* habeat, quod rectum est: formam contractam hoc loco non admitti Lachmannus docebit Lucr. p. 208. reponendum autem esse *adiit* inde patet quod primum ad mare viam sibi aperuisse praedicatur, per ipsum mare pedes migrasse sequenti versu

---

[3]) Stat. silv. I, 1, 44 *magnus quanto mucrone minatur noctibus hibernis et sidera terret Orion.* ceterum mirum est quod Iunonis querelis Orionem intulit in quo de paelice certe querendi locus non erat.

traditur.[4]) haec igitur iungenda sunt: *adiit bisque discedens fretum et bis recurrens*, verborum structura poetis non inusitata; de Seneca vide Oed. 268 *per regna iuro quaeque nunc hospes gero et quae reliqui* et Phaed. 553 *saxaque et ramos rudes vertere in arma.*

Hf. 715 *a fonte discors manat hinc uno latex.*
nihil hic correctum est, sed errore in *c* littera lineola addita, qua similis facta est litterae *s*. error Gronovii est; moneo ideo quia et hic haesitare quispiam possit et aliis locis solemnis fere est vocum quae sunt *discors* et *dissors* inter se permutatio. nec recte hoc loco epitheton interpretati sunt viri docti de diversa rivulorum natura, quieti scilicet alterius, alterius impetuosi; immo nihil significat nisi ex uno fonte dupliçem manare rivum, ut de flamma duplici Oed. 325

sed ecce pugnax ignis in partes duas
discedit et se scindit unius sacri
discors favilla[5]).

de Typhoeo ex homine anguique mixto Med. 776 *Typhoeus membra quae discors tulit.* et plane eodem sensu Horatius (III 29, 28) Tanain discordem appellavit, quippe qui duobus ostiis in mare ingeratur[6]); ubi Bentleius *dissors* scribere voluit, 'quia Tanais nec ad Europam nec ad Asiam pertineat'. idem vero serm. II, 3, 174 vesaniam *discordem* defendit contra N. Heinsium, qui illam quoque *dissortem* praeferebat.

v. 804 obiter moneo nihil post *victrice* erasum esse nisi distinctionis signum; nam cum accuratissime in hoc libro sententiae distinguantur, superflua signa permultis locis recentiore manu erasa sunt: quod saepe Petero fraudi fuit, e. g. HO 127.

Tro. 25 *victamque quamvis videat haut credit sibi*
potuisse vinci

'*aut* (ñc) *E* (ñc 2 m)' Peiperus. ac verum est secundam manum aliquid particulae negativae superscripsisse; quod non esse *nunc* sed *non* (*nõ*) vel coniectura assecutus eris. v. 395 autem (*quo*

---

[4]) quae quantum sciam singularis est huius rei memoria: *cumque deserta rate deprensus haesit Syrtium brevibus vadis et puppe fixa maria superavit pedes.* item nescio num alibi inveniatur quod HO 911 de Hercule narratur: *fonte Cinyphio scelus sub axe Libyco tersit et dextram abluit.* quod ad Iovis Ammonis fontem referendum est.

[5]) cf. Lucan. I, 551 *scinditur in partes geminoque cacumine surgit, Thebanos imitata rogos.* idem Stat. Theb. X, 599. XII, 431. Sil. It. XVI, 546 sq.

[6]) Senecae vero septem: Tro. 9 *septena Tanain ora pandentem bibit.*

bis sena volant sidera turbine) non tertia manus est quae correxisse priorem scripturam (*bis quos sena vocant s. t.*) dicitur, sed recens; nec correxit, sed ex coniectura hoc substituit: *bis quo sena rotant sidera turbine.* adde Med. 255 *afflictum et gravi:* ‘*afflictā*’ correctum ex *afflictet* Peiperus. error proclivis erat. sed non *afflictet* scripserat librarius, sed *afflicte*, ex *e* fecerat *u*, deinde lineolam tam infabre addidit, ut summam litteram tangeret; quod cum non satis clarum videretur, ¯ supra versum repetiit. atque haec pro multis eius generis exemplis sufficiant.

Tro. 603 *invita, Ulixe, gaudium Danais dabo* ‘*Ulixe* erasa *s*?’ Peiperus. nihil erasum est.

Phoen. 123 *obscura nostrae verba fortunae loquar.* sic *AΣ*; idem dicunt ‘*E*² in rasura’ legi, quod nec omni ex parte verum est et plus dignoscitur; scriptum enim est *verba* prima manu et in rasura quidem 4—5 litterarum, quarum prima *f* erat. opineris igitur egregie confirmari Richteri malam coniecturam qua scripsit *fata.* at acrius oculos intendenti apparet scripsisse librarium sequentis vocabuli (*fortunae*) priores litteras, dein errorem vidisse et correxisse.

v. 435 *iamque* correctum esse ‘3 m. ex *omniaque*’ falsum est; correctura enim facta est prima manu, correctum autem *ia* ex *n:* nempe scripturus *namque* errorem ipse correxit. simile accidit v. 507; transcribam Iocastae verba 505 sq.:

non te duxit in thalamos parens
comitata primos nec sua festas manu
ornavit aedes nec sacra laetas faces
vitta revinxit, dona non auro graves
galeas socer, non arva non urbes dedit:
dotale bellum est.

506 *festa E.* 507 *nec sua* codices, quod correxisse mihi videor. deinde *laetas faces* non ‘*E*² i. ras.’, sed prima manu in rasura correctum ex *festas manus:* quo constat haec non tentanda esse. 509 *gazas A arma E.* cf. Eur. Phoen. 336 sq.

Phaed. 673 *duas* non ex *rivas* correctum est sed ex *imas.*

v. 846 *Eleusin: in* non 2., sed 1. m. in rasura; scripserat *Eleusis.*

v. 1064 *continet:* non ‘*t* i. ras. a 2 m.’; rasura nulla est, sed membrana pridem laesa erat. omnia prima manu, nisi quod *t* secunda manu renovatum videtur.

Ag. 817 *obvios:* ‘*obvias* ut videtur *E*’. *obvios* correctum est 1. m. ex *obvius.*

Thy. 597 et 865 non secunda manus in margine adscripsit, sed prima, id quod non nullius est momenti. scripsit autem atramento nigriore, additis litteris initialibus, post scriptum videlicet librum. idem Peteri error Phaed. 1090; 1123. HO 919. 20; 1795; 1815. 16 (recte HO 1729).

HO 160 *vicino Nabatae vulnera dirigit*

ultima vocis littera quae videtur *o* fuisse lineolis deleta supra scriptum *o* m. tertia E^3. etenim ex *vicino* (quod certum est) secunda ut videtur manus fecit *vicinus*, adiecto compendiolo supra inductam litteram, quod putavit *o* esse qui codicem contulit.

v. 639 *vel mille secent arva coloni*

se centaraia, sed statim correxit $E^{1'}$. librarius aliud agens — quod innocens interpolandi genus (cf. p. 5) deprehenditur etiam v. 895, ubi scripsit *thiestem titan fugit* pro *ipse me titan fugit;* contra v. 907 non scripsit *ophiniam* sed *conphiniam* (*confixam*): ex prima syllaba per compendium scripta 2. manus fecit *o* — pro *m. secent arva coloni* scripsit *m. se centauraia c.*, de Centauris scilicet somnians; nec correxit errorem, sed super *i* posuit *u*.

atque haec satis erunt superque; in editione vero adornanda ea tantum adferentur quae ad constituendam primae manus lectionem necessaria erunt: pleraque ac praecipue quaecumque secunda aliisve manibus ex diversis interpolati generis exemplaribus adscripta sunt omnino abicientur.

Iam ad graviora nos vertamus. magna enim scripturarum moles vel inde a Gronovio vel in novissima demum editione Etrusco tribuitur, quarum in ipso libro nec vola nec vestigium apparet. cuius rei causa in eo potissimum sita est quod Gronovius, homo omnium optime de hoc poeta meritus, ita in huius codicis lectione enotanda et promulganda versatus est, ut tantum non malae fraudis, pessimae utique socordiae incusandus sit. explicari autem plurimi eius errores poterunt si in excerpendo codice coniecturas quoque quae sibi subvenerint margini eum intulisse, postea vero dum editionem parat, eas in scripturarum numero habuisse sumimus; at ne sic quidem omnia satis explicantur. deinde novissimi editores quam nacti sunt conlationem ita ad Gronovianam redegerunt, ut quidquid ab illo relatum, a Petero non relatum esset, Peteri neglegentiae imputarent: id quod certe non nimis reprehendendum est in eis qui diversorum testium fide niti debuerint; quamquam Peteri silentium, ut factum est ubicumque Gronovii quoque testimonium deficiebat (ε), utique enotandum

erat. at quamvis crebro ambiguum esse de Etrusci scripturis in novissima editione iudicium meminerint qui his tragoediis operam impenderint, mirabuntur tamen quam instabili adhuc artis fundamento standum fuerit.

haec idoneis exemplis comprobaturi non graviora primo loco largiemur, sed e singulis tragoediis quaedam suo ordine componemus. itaque ut supra ab Hercule initium capiemus quam cum interpolatore ἐπὶ διαχρίσει θατέρου furentem cognominamus.

Hf. 52 *vinctum E* cum *A* (ᶜ*victum* ε᾽).

277 *fertque quae fieri vetat*[7]) *E* cum *A* (ᶜ*ferri* ε᾽).

288 *fulmini quaerens iter E; flumini A* recte: Petero, qui *quierens* enotat, *a* litterae *i* similis fraudi fuit. sic Oed. 177 *maiora*, non *maiori E;* Phoen. 276 (*armavit alias*) *arma vitabas E*, non *armavit aliis*, ut rettulit I. Gronovius.

731 *quicquid*, non *quicqui.*

1083 *devictum*, non *devinctum* quod testatur Gronovius.

1204 *quis potuit arcum flectere aut quae dextera*
sinuare nervum vix recedentem mihi?

sic *A. nervos E* quod recte relatum est. praeterea apud Peiperum legitur: ᶜ*ui cedente mihi E*᾽. hoc non potest Peteri testimonium esse; est Gronovii qui ita loquitur: ᶜsed dein liber optimus *aut quae dextera sinuare nervos vi cedente mihi.* hinc illae varietates apud Delrium: ut enim quisque novus accessit librarius, voluit complere versum᾽; sequitur interpolatarum quarundam scripturarum recensus. dein: ᶜvix tamen videtur aliud restitui posse quam quod receptum est᾽. at coniecerunt inde Bothius *iusta cedentem*, Withofius *paene luctantem*, Peiperus *invita cedentem*, denique nuper Madvicus *nervos rite cedentes.* tot vero tantorumque moliminum Etruscus nihil in se culpae recipit. qui totidem litteris exaratum refert *vix recedentem.* ergo quod sincerum est ac vero proximum — nam scribendum videtur *nervos vix recedentes mihi* — coniecturarum nube offuscatum est propter Gronovii commentum, cuius originem equidem hoc loco exputare non possum.

1220 *exprimet E* cum *A. exprimunt* videtur Scriverii operarum errori deberi.

1306 *ecce quam miserum metu*
cor palpitat pectusque sollicitum ferit

sic rectissime Gronovius emendavit; nollem tamen codici con-

---

[7]) Ovid. fast. VI, 762 *propter te fieri quod vetat ipse facit.*

iecturam tribuisset, qui non aliter quam reliqui omnes *corpusque* exhibet.

Tro. 20 *ceu* cum *A.* nescio unde *seu* suum sumpserit Peiperus.

101 *coma demissa est libera nodo:*
demissa Scaligeri emendatio est.[8]) *E* ut reliqui *dimissa.*

v. 418 *quid maesta Phrygiae turba laceratis comas*
sic *A* nec aliter *E* quamvis ex eo *laceratae* testentur.

v. 483 *sed mei fati memor | tam magna timeo vota*
sic cum reliquis *E* quoque; et videtur Gronovius, qui ex *E fati mei* adfert, calamo errasse.

v. 1146 *Helena E* cum reliquis, non *Helene.*

Phoen. 331 *meorum facinorum exempla appetunt*
sic *A; meorum exempla facinorum* e Melisseo Lipsius protulit; nec potest negari numerosiorem sic versum evadere. tamen Etruscus cui idem tribuerunt editores (ε) *fac. exempla* praebet.

v. 402 *et impia arma matris oppositu impedi*
sic *A;* interpolati aliquot libri, in quibus etiam Σ, *mater opposita* praebent. quod ab ipso auctore esse Gronovio teste 'fidem faciunt Florentinae et Vossianae membranae'. inde in editiones receptum est. sed sine litura in Etrusco *matris oppositu* scriptum est, genere loquendi minime a Seneca alieno; cf. de benef. V, 6, 4 (*luna solem*) *obiectu sui abscondit.* consol. ad Polyb. 5, 2 *ut cruciatu tui noceat tibi.* cf. Sil. X, 210 *dum consternata moratur agmina et oppositu membrorum sistere certat.* Pacuv. Atal. frg. X v. 57 *regnum potitur transmissu patris.* similiter Ovid. met. III, 61 *illius impulsu cum turribus ardua celsis moenia mota forent.* IV, 707 *dimotis impulsu pectoris undis.* III, 49 *hos necat afflatu funesti tabe veneni* in Bernensi legitur, varie in reliquis (*afflati* Laur. *funesta* Marc.).

v. 473 *quo vultus refers E* cum *A*, non *vultu:* compendium neglexit Peterus. cf. infra ad Med. 173. 372.

v. 481 minime omittitur Iocastae nomen.

v. 638 *frangenda palma est:* sic *E* cum *A.* falsus est Iacobus Gronovius (*plangenda*).

Med. 173 *forsan inveniam moras:* sic *E* cum *A;* compendium non intellexit Peterus (*mora*^{s}, non *morã*).

---

[8]) sic Med. 537 scribendum esse *nec deligenti tela librentur manu vel me vel istum* (*diligenti* codd.) vidit Bothius et frustra obloquitur Hennebergerus adnot. ad Sen. Med. et Troad. p. 12. item Phaed. 459 *propria descripsit deus officia et aevum per suos duxit gradus* scribendum est *discripsit.*

Med. 178 in scaenae titulo IDEAI scriptum esse Peterus refert; sine difficultate IDEM legi ne memorarem quidem, nisi Peiperus suppl. praef. p. 34 sic ariolaretur: 'praestabit ex Medicei vestigiis IDEAI repetere MEDEA'.

277 *fugam, rapinas adice, desertum patrem*

sic *A*, non aliter *E*. *rapinasque* non videtur in codicibus esse.

372 *quod fuit huius pretium cursus*?

'*hui E*' Richterus. sed qui codicem contulit compendium non vidit (*hui'*).

v. 441 *quippe sequeretur necem | proles parentum.*

sic *A; neci* testatus est ex *E* Gronovius et coniecit: *nece — parentem.* sed scriptum in illo est *nece*, novissima *e* aliquantulum laesa scholiorum litura. videtur autem lineola quoque super *e* evanuisse, ut *necem — parentum*, quod optimum est, in Etrusco quoque extiterit.

584 *taedis* ('*taetlis*' Peterus).

819 *causa vocandi — una atque eadem est semper Iason*

sic cum reliquis *E* ('*est* om. *ε*').

655 *Idmonem, quamvis bene fata nosset,*
condidit serpens Libycis harenis.
omnibus verax, sibi falsus uni
concidit Mopsus caruitque Thebis.

sic *A*, '*sepi*' *E* v. 656 pro *serpens*. multa de his versibus ariolatus est D. Heinsius, qui eos cum aliis multis Senecae omnino abiudicavit. nam illius aevi homines res fabulosas neglegentius, ut et hic et alias Senecae placuit, tractatas minime concoquere potuerunt. confudit scilicet hoc loco Seneca et Mopsi Idmonisque moriendi genus et Mopsum argonautam cum Mantus filio Thebano: id quod vidit Gronovius. idem vero alias dubitationes movit ad v. 652 suae editionis his verbis: 'neque hic tantum peccasse auctorem quantum librarios censeo, post tot prodigiosas corruptelas ex optimo libro detectas. qui tamen utinam sibi par esset! vestigium certe labis ostendit satis pro *serpens* exhibendo *sepi*; quis hoc ostentum procurabit?' dein 'timide se coniecisse' ait *condidit Saspir.* denique: 'sed repente, dum poscunt hanc chartam operae, venit in mentem, totum quod est in scripto servari posse: *Idmonem, quamvis bene fata nosset, condidit; sepi Libycis harenis e. q. s. concidit Mopsus.* Mopsus, inquit, condidit Idmonem; ipse tabifici sepis venenato ictu in Libya concidit et pro deo habitus'. atque hoc inde Bothii Badeni aliorum editiones insedit. ducentis annis post Hennebergerus (p. 13) omnem difficultatem sustulisse sibi visus est 'levi quadam emendatione sic scribens': *Idmo iam, quamvis bene*

fata nosset, concidit, sepi e. q. s. supervenit Peiperus locumque corrigit scribendo *condidit pestis Libycis harenis.* ac ne satis miseris versiculis inlusum putes, nuper Braunius cumulum facetiis addit hac coniectura: *condidit sedi*, quis condiderit securus (Mus. Rhen. XXXII, p. 79 adn. 1). ego vix confisus sum oculis meis, cum in Etrusco totidem litteris scriptum inveni *condidit serpens Libycis harenis*, quod et verissimum est nec iam ab ullo libro lacessitum. at quid de Gronovio cogites coniecturam suam tantis verborum ambagibus pro codicis scriptura venditante? equidem errasse illum libenter credo, ita nimirum ut, cum Florentiae Lucaneum 'ossaque dissolvens cum corpore tabificus seps' in mentem venerit, coniecturam margini intulerit, Lugduni postea eandem e codice enotatam esse bona fide opinatus sit. sed tot pravarum coniecturarum quarum et ipse sibi et posteris auctor extitit, poenas illum apud inferos solvere existimamus, sive Sisyphi saxum volvendo sive potius Danaidis quae sororum numero deest vices explendo.

Med. 958 *flentes gementes osculis* ut Melisseus, non *oculis* quod Gronovius testatus est. male J. Gronovius *ocius.* locum commendamus eis qui emendare vel, quod magis optamus, defendere eum valeant.

v. 996 sic *E: quid nunc moraris anime? quid dubitas? potens,* non *p̄otens:* lineola enim ad interrogandi signum quod praecedit pertinet. scribendum: *quid dubitas potens?*

Phaed. 127 *conclusit*, non *condusit.* idem Peteri error Phaed. 417. Ag. 976. HO 1204. 1519.

v. 518 *iuvat aut amnis vagi pressisse ripas:* sic *E* cum reliquis, non *iuvit;* quamquam nescio aliud loco remedium.

v. 627 *regna tutari urbium* recte *E*, non 'tutare'. (*tutari patris A*).

v. 687 non legitur in *E*, quod Gronovius testatur, *speculere*, sed *speculare* cum *A*.

v. 776 *languescunt folio ut lilia pallido*

sic *A* (om. *ut*); nec aliter *E:* nam quod *candido* in *E* scriptum testatur Richterus, id et a Gronovio repetitum et falsum est. sed Gronovius hic saltem calami errore lapsus est. dicit enim Florentinum illud praebere 'ut Lipsianum'. Lipsius autem tantum *ut* e Melisseo suo testatus est.

v. 898 *ex cuius ortu nostra dependet domus*

non *nostrã* (i. e. *nostram*) quod Peterus enotavit, sed solito compendio *E* praebet *nr̃a* (i. e. *nostra*). in eodem vocabulo item lapsus est Peterus Phaed. 935. Ag. 732. HO 1503. 1885.

v. 917 *est prorsus iste E* cum omnibus scriptis et im-

pressis ante Bothium, qui *iste prorsus* propter numeros invexit. [9])

Med. 955 *iratos patri*, et sic testatur Gronovius (non *patris*).

v. 1004 *luctifica*, non *luctificam*. scribendum *luctifico* ut edidit Scriverius.

v. 1154 *morte relicta E* cum reliquis, non *nocte*. cf. 1229 *mortem relictam*. Hf. 616 *morte contempta redi*. HO 1165 *ego qui relicta morte contempta Styge — redi*. cf. Serv. ad Verg. Aen. IX, 348.

v. 1238 *cedite*, non *cedire* (*cedat A*).

Oed. 91 *obvias ferrem manus E* cum reliquis, non *obviam*.

v. 472 *te sequitur*, non *et*.

v. 630 *sequitur et Bacchas lacer Pentheus*, non *Bacchis* quod Gronovius testatur.

v. 858 *nec poenitendi sanguinis quaeram fidem,*
sed nosse certum est.

sic *A; vel poenitendi E;* 859 haec Gronovius: 'lege igitur cum optimo — *si nosse libeat*. sic —, non *sed nosse certum est*'. inde Bothius coniecit *si nosse liceat* quod Peiperus recepit. Etrusco autem verbum illud plane ignotum est, qui exhibet *si nosse certum est*, et recte quidem: dicit enim vel inhonestam se originem quaesiturum, quandoquidem inquirere in genus suum decreverit. cf. Soph. OR 1058 *οὐκ ἂν γένοιτο τοῦθ' ὅπως ἐγὼ λαβὼν σημεῖα τοιαῦτ' οὐ φανῶ τὸν μὸν γένος.* 1076 *τὸν μὸν δ' ἐγὼ κεἰ σμικρόν ἐστι, σπέρμ' ἰδεῖν βουλήσομαι.*

v. 991 plusque quam *satis est furit* cum reliquis, non *sat est*.

v. 1069 *pavitante gressu sequere fallaces vias A fallentes vias* ex *E* Gronovius tradidit, *pallantes* Peterus, inde Peiperus coniecit *pallentes* quod ipsum in *E* scriptum est.

Ag. 5 [10]) *en horret animus E* cum reliquis, non *inhorret* quod est Gronovii commentum.

v. 126 non omittit *et*.

---

[9]) haud raro editores vel ut isto loco vel scribendi erroribus lectorem fallunt. sic Tro. 502 *si quaeret hostis* 634 *quaerenda est mihi* in libris scriptis et impressis legitur. sic Med. 931 *et maius scelus* (*est* ed.) Thy. 975 *celebremus* (*celebramus* ed.) HO v. 1161 in *E* ut omnibus libris post 1164 positus est, recto loco, non inter 1160 et 1162. Peiperi error inde natus est quod in Bothii exemplari versus iste numero 1161 signatur.

[10]) AGAMENNON in titulo (non AGAMEMNO) et item in catalogo tragoediis praefixo (praef. p. XXVIII), non AGAMEMNON.

Ag. 163 *pudet pigetque A* et, si credimus editoribus, *piget doletque E.* sed illi Gronovio crediderunt qui et illos et semet ipse fefellit. nam in Etrusco legitur *pudet doletque.*[11])

v. 239 *iacensque vultu languido obtutus stupet*

sic (non *vultus*) *E* cum reliquis praeter *M* (non Σ) praebere p. 11 adnotare neglexi.

v. 261 Clytaemnestrae notam, ut refert Peiperus, 'om E^1, sed *CL.* addit $E^{3'}$; parum recte: nam nomen prima manu minio pictum sed erasum cum scholiis est; dein secunda manus ut videtur *CLI.* atramento repetiit. contra 1055 non additur Clytaemnestrae nomen sed omittitur.

v. 464 *credita est vento rates* Peiperus ex Etrusco scripsit nec mirarer si hoc sequioris originis indicium putaret. sed non favet Etruscus, ut 789; qui hic saltem *ratis* praebet cum reliquis.

v. 622 *pulvereamve,* non *pulveramve.*

v. 655 *quinis bis,* non *bis quinis* quod Ribbeckius testatus est.

v. 774 *alta,* non *alia* quae Italorum correctio est.

v. 1069 *iam iam iuvat vixisse post Troiam, iuvat.*

sic ante Gronovium legebatur; ille: 'Florentinus *tantum iuvat v. p. T. i.* Id est hucusque'. quod cum nusquam gentium traditum sit, videtur coniecturae deberi.

Thy. 116 *latuere venae nec suas profert sacras*
Alpheos undas.

sic cum reliquis omnibus etiam Etruscus, quamvis Gronovius edicat 'scribe cum Florentino *sacer A. u.*' quod cum post illum optimo iure editiones obtinuisse videatur, emendatio est Gronovii, non codicis.

v. 230 *possessor huius regnat, hunc tantae domus*
fortuna sequitur

Gronovius: 'lege cum Florentino et Vossiano *hunc cunctae domus f. s.*' paruerunt omnes; sed Vossiani interpolationem minime agnoscit Florentinus.[12])

v. 509 *quidquid irarum fuit,* non *iratum.*

v. 541 *meam relinquam, nisi tuam partem accipis*

Gronovius: 'Flor. *ni tuam*'. *nisi E.*

v. 650 *regio secessu,* non *regia.*

---

[11]) cf. Acc. Neopt. frg. VII, v. 471 *dolet pudetque Graium me et vero piget.* inc. inc. frg. IX, v. 21 *Hecuba hoc dolet pudet piget.*

[12]) *cunctus* singulari numero HO 1079 *pro cuncta tellus;* quod alias non memini in his tragoediis legi. non inusitatum in collectivis vel ut insit notio collectiva: Hor. IV, 11, 9 *cuncta festinat manus.* Stat. Theb. X, 668 *cuncto — pro sanguine.* silv. II, 6, 11 *maior stemmate cuncto.* at idem audacius Theb. V, 202 *cuncto sua regnat Erinys pectore.*

Thy. 831 *percussa metu* cum reliquis, non *perculsa.*

v. 895 non recte de Gronovii adnotatione Richterus rettulit; ille enim *vacat* in *E* scriptum esse recte dicit, non *vocat.*

v. 919 *hoc hoc mensa cludatur scypho*, non *hoc haec.*

HO 70 *ille E* cum reliquis, non *ipse* quod Gronovio debetur.

v. 140 *qua fluit*, non *qua fugit* (v. ad 989).

v. 165 *pro fato potuit*, non *patuit.*

v. 277 *peperi*, non *reperi* quod tamen rectum est.

v. 283 *non flamma*, minime *num.*

v. 287 *est aliquid hydra peius:* sic *E*, non *potius.*

v. 393 nimium diligentiae primae voci impendit qui *Metas* legit: est enim *Aetas.*

v. 562 *tu fulva nigri sceptra gestantem poli*, non *furva* quae Italorum correctio est.

v. 750 non *regna triumpha*, sed *regna triumphi.* expectat locus a peritiore medelam. ceterum Etruscus hunc versum Hyllo tribuit, id quod Lipsius iam e coniectura fecerat vel potius e Melisseo.

v. 785 *dum lassa Titan mergat Oceano iuga*

sic *E* cum reliquis. falsum est quod Gronovius dicit et editionibus obtrusit 'Florentinus — *mergit Oceano iubar*',

v. 817 *feram* Peteri est; nam quod Gronovius dicit *ferar* in *E* legi verum est.

v. 989 *trepida quid tremuit manus?*

non dixerunt Gronovio deberi quod post illum, qui Etrusco imputavit, omnes receperunt: *trepida quid renuit manus?* quae est proba ipsius emendatio. nam tradita scriptura, quam Etruscus quoque retinet, non defenditur locis in quibus verbum nominis ab eodem verbo derivati casu instrumentali determinatur, ut Thy. 1005 *meumque gemitu non meo pectus gemit.* Hf. 802 *et Cleonaeum caput opponit ac se tegmine ingenti tegit* (ubi interpolavit *A clepit* ex Med. 156). HO 130 *cantu nostra canet tempora flebili.* 140 *qua fluit Ismenos tenui flumine languidus* (*fugit A*). elegantia similis est Tib. I, 10, 43 *liceatque caput candescere canis.* Prop. III, 18, 5 *quid si iam canis aetas mea candeat annis?*

v. 999 et 1000 in *E* desiderari verum non est, siquidem v. 1000 nec deficit et sic legitur: *sed mente nostra. natus Alcidae tibi.* 1001 *perages E*, non *peragas.*

v. 1036 *Thressae sub rodope* (i. e. *Rhodopae*) *iugis*, non '*Rodopes*'.

v. 1117 *ortus*, non *ortos* (*certos A*).

HO. 1172 *non truci rictu gigans E:* falso *nec* Gronovius refert.

v. 1200 *victus* non *vinctus* quae est Italorum correctio.

v. 1402 *cruentis*, non *cruentos*: correxit Gronovius.

v. 1440 *quis sonus*, non *qui*. cf. Phaed. 1178 *membra qui saevus Sinis aut quis Procrustes sparsit?* (*quis A*). Hf. 262 *qui satis Thebas fleat?* (*quis A*). HO 405 *qui sub hoc mundo mihi dabitur maritus?* (*quis A*). 1369 *qui sat est Ister mihi?* (*quis A*). cf. HO 167 *quis vastus Briareus quis tumidus Gyges* (*qui — qui A*). Oed. 322 *quis desit illi quive sit dubites color* (*quisve A*). Tro. 485 *qui locus?* (*quis A*). 1057 *quis status mentis miseris?* all.

v. 1685 *contemto redit*, non *contemtor* (coniuncte scriptum: *contemtoredit*).

v. 1762 Gronovius 'praeclare veterem' praebere dicit *cineremque iactans squalidum Alcmene gemit;* atque *gemuit* in illo esse recte Peterus rettulit; cineris nec volam nec vestigium esse tacuisse videtur. ut ut est, *E* cum *A* quod verum est praebet: *crinemque iactans squalidum.*

v. 1994 *E* cum *A nec Lethaeos*, non *vos L.*, et 1995 *vos fata trahent*, non *nec f. t.* aliud egisse videtur qui librum contulit. nam et 2003 *quatiens oculos* scriptum est, ubi forsan aliud lateat quam *quatiet populos* (*A*).

in omnibus quae hucusque composuimus Etruscum a vulgata lectione recedere falso relatum erat. iam paucos adiciemus locos in quibus corrupta quidem est Etrusci scriptura, sed aliter corrupta quam in novissima editione narratur. quod primo loco pono vulgatum et rectum est.

Tro. 776 *o decus] o decus o*, non *o detus.*

v. 858 *Pylon an senilem] phylonan. selinen*, non *selinem.*

v. 1170 *coetus] egeus*, non *egetus.*

Phoen. 96 *aliquando] alinquando*, non *aliprquando.*

v. 340 *penetrales] penetries*, non *penetriles.*

Med. 873 *gangeticum] ganticicum*, non *gantici cum*, nec *ganticum* (v. Addenda).

Phaed. 30 *Phlyeus] flius*, non *fluis* (Gronovius).

v. 966 *fluctusque ab ipso tumidus Oceano voca] f. a. ipsos tumidos O. v.*, non *ab ipsos tumido.*

v. 1127 *quisque* (*quisq*), non *quisquam* (*quisq*): ut haec elegantia male cesserit Richtero.

Oed. 693 *in utrumque quis est liber etiamnum status] i. u. qui se subter e. stamus* sic 1 m (non *qui se liber e. stantus*).

Oed. 1029 *sensitque] censitque,* non *censitve.* recte Σ (*sensimve A sensitve* Melisseus).

Ag. 782 *ratibus exustis] ruptas bustis,* non *rupta;* 784 *lacerto,* non *lacertos.*

HO 31 *noverca] coercăm,* non *coerca;* addidit corruptelae signum, quo ter in hac tragoedia voces corruptas notavit: 540 *măs* (recte Gronovius *intimas*) et 608 *auĭa* (*aula*). ceterum 31 corruptus est necdum sanatus.

v. 80 *nondum astra merui] 'haud* (om. *dum*) *E'* habet *haud dum a. m.* (*a.* 1 m. ex *u*) recte.

v. 185 *Sipylum] si syphum,* nec *si siphum* nec *sipylum* quod Gronovius cum ipse emendarit codici tribuit.

v. 217 *Toxeu] textum,* non *toxtum.*

v. 382 *famulamne et hostis praeferet natam tibi?] famulam nec hostis p. galatam t.,* non *ne et h.*

v. 566 *colu] colis.*

v. 588 *veneranda] venerande;* idem accidit quod 185.

v. 1265 non *timeris* sed *timeri.*

v. 1562 *Aeacumque inter geminosque Cretas.* sic *A. Aeacosque* ex *E* Gronovius protulit et scribendum coniecit *Aeaconque.* sed *E* habet *Aeacos inter;* satis mirum vero quod *Aeacosque* in Σ legitur. de hac fabula finem faciam in loco conclamato quem certa ratione emendasse mihi videor. v. 1463 ita *A*:

caeci dolores. manibus irati Herculis
occidere meruit: perdidit comitem Lichas.

ex Etrusco testantur *recti dolor es;* varia viri docti coniecerunt: *cassi dolores* Grotius et N. Heinsius, *recte dolori est* Bothius, *aucti dolores* Muellerus, *rati dolores* Peiperus. Hercules dirum se de Deianira supplicium sumpturum pronuntiaverat; quem monet Hyllus iram comprimat: graves illam sceleris poenas dedisse utpote propria manu peremptam. iam Hercules respondere debet id quod viri docti partim tantum et procul attigere: hoc non satiat iram meam, quae meae ipsius illam dexterae deposcit. itaque, cum in Etrusco non *recti* legatur, sed *recte dolor es,* scribendum duco:

relicte dolor es: manibus irati Herculis
occidere meruit

loquendi usu neque aliis poetis nec Senecae ignoto, cf. Med. 608 *rumpe nec sacro violente sancta foedera mundi.* HO 3 *secure regna.* Oed. 1033 *invite loquere nate.* cf. Oct. 31 *coniugis heu me, pater, insidiis oppresse iaces.* quod dolorem suum Hercules adloquitur optime huic stilo convenit. cf. Med. 139 *melius a melius dolor furiose loquere.*

denique quem supra omisi locum inspice qui est Phoen. 550. ibi ante Gronovium legebatur:

totus hoc exercitus
et populus omnis et utraque hoc vidit soror.

malum versum non Senecam procudisse Gronovius docuit cum hanc Etrusci scripturam protulit:

hoc utrimque populus omnis, hoc vidit soror.

qui tamen non melior versus est. atque aliud quiddam in Etrusco legi fidem fecit N. Heinsius (Adv. p. 58), nimirum:

hoc populus omnis utrimque, hoc vidit soror.

quorum utrumque errasse ex Richteri editione didicimus. quippe tertiam scripturam testatus est qui eius in usum codicem excussit:

et populus omnis utramque hoc vidit soror.

scripsit autem Richterus ex Muelleri coniectura:

hoc populus utrimque omnis, hoc vidit soror.

iam quid tribus testibus facias quorum nullus cum reliquorum alterutro consentit et unus quisque lectorem proprio marte fallit? nimirum quartum aliquid re vera in Etrusco legitur quod est:

hoc populus omnis. utramque hoc vidit soror.

unde quod verum est statim elucet. nempe Argivi spectatores minime tangunt Iocastam; quae dixit:

hoc populus omnis, utraque hoc vidit soror.

quod dum codicem tracto inveni, hanc gloriolam occupatam esse tunc ignorans: magnopere utique laudandus est hoc loco Peiperus qui verum vidit (suppl. praef. p. 33) antequam de vera Etrusci scriptura edoctus esset.

his locis cum adhuc inscius fallatur criticus, omnium certe aegerrime ei feruntur loci, in quibus inter plura de codice testimonia optio data est. quales cum frequenter in novissima editione inveniantur, non ubique accidit quod in loco quem modo tractavimus scilicet ut testes falsi sint omnes; quamquam extant similia, ut HO 1791 *petet* N. Heinsius, *peti* Peterus testatur, *petit* in Etrusco legitur, ut ibid. 1403 *aliquid* Gronovius, *aliqui* Peterus, *aliquod* Etruscus praebet. at saepius accidisse consentaneum est ut alteruter testium fidem non fefellerit. et, quoniam inter Gronovium plerumque et Peterum res est, plura quidem sunt in quibus Gronovius falsum tradidit, haud raro tamen de Petero eiusve silentio superior discedit. quare primo loco ea ponemus in quibus Gronovii fidem Etruscus probat.

Hf. 527 *est est sonitus Herculei gradus* (*id est* Pet.)

Hf. 1182 *differte fletus] defer tellus* (*deferte fletus* Peterus, et sic *M*).

Tro. 832 *an frequens rivis levibus Mothone* (*rusus* Pet.).

Med. 226 *gloriae florem inclitum* (*Graeciae ε*).

Phaed. 213 *non tecta sani moris aut ullus cibus* (*ullis* Peterus).

v. 1217 *morte facili dignus haud sum* (*cum* Peterus).

Ag. 449 *et clara lentum remigem monuit tuba* (*movit* Peterus). ceterum ineptum est hoc versu lentum dici remigem cui omnem nimium longam properanti moram fuisse modo audiverimus. scribendum videlicet *laetum*.

v. 727 *Attin* (*atin* Pet.).

v. 971 sic *A*: *quis iste celeres concitus currus agit*. iniuriam faciunt Gronovio editores. ille enim hoc adnotavit: 'Flor. *hospes quis iste concitus*. recte, modo iuves legendo *concitos*'. quod et relatum fideliter et optime emendatum est. prorsus ignotum Etrusco quod Peiperus ei imputat *quis iste hospes*.

Thy. 26 *stringatur ensis* (*eses* Pet.).

v. 1035 *quodcumque* (*quodque ε*).

HO 184 *fatis* (*satis* Pet.).

524 *insertum* (*insertam ε*).

732 N. Heinsius recte tradit *vix quoque est* (*est* om. Pet.). subiciam locos in quibus Gronovius et interdum filius eius vel N. Heinsius minus recte quam Peterus codicis scripturas enotarunt.

Tro. 393 *bis veniens et fugiens* (*vel fugiens* I. Gron.).

v. 499. 500 personarum notae non recte a Gronovio, recte a Petero indicatae.

v. 942 *sinum* (*sinus* Gronov.) versus nondum sanatus.

v. 1153 *et effert* (*et fere* Gronov. ut *A*). scribendum: *stupet omne vulgus utque fit cuncti magis peritura laudant*.

Phoen. 320 *regia stirpe editum* (*edite* Gronov.).

v. 459 *cui nunc sollicita* (*s. n. c.* Gronov. *s. c. n. A*).

Med. 373 *muros terra posuere nova* (*novos* Gronov.).

v. 695 *iam tempus est* (*iam iam t. e.* Gronov. *iam nunc t. e. A*).

Phaed. 153 *ferri* (*ferre* Gr.).

v. 227 *clauserit* (*cluserit* Gr.).

v. 420 *aenades* i. e. *en ades* (*anades* N. Heinsius).

Ag. 242 *sed nunc* (*vel n.* Gr.).

v. 1028 *atiratae* (*auratae* Gr.).

Thy. 616 *nemo desperet meliora lassis* (*laesis* Gr.) idem accidit 658 *lassis rebus* (*laesis* Gr.).

v. 1019 *valle* (*valles* Gr.).

Thy. 1109 *nec quod* (*non quod* Gr.).
HO 168 *stetit* (*stitit* Gr.).
v. 622 *clarus totas ire per urbes* (*latas* Gr.).
v. 1350 *umbram et vile* (*umbret vile* Gr.).
v. 1396 *solum quoque urgeat hinc et illinc nemus* (*solum q. magis urgent h. e. i. n.* Gronov. *surgat hinc illinc fremens A*). scribendum:

et quidquid fuit
solum quoque ingens: surgat hinc illinc nemus
artusque nostros durus inmittat Sinis:
sparsus silebo.

v. 1540 *vetustas* (*vetustis* Gr.).
v. 1719 *inveniet aut damnabit* (*an* testantur Gronovius et N. Heinsius; Gronovius autem deinde conicit scribendum esse *aut damnabit*).
v. 1799 *expetet* (*expetat* Gr. et N. Heins.).
cui florilegio cumulum addit quod ex vv. 1442 et 1473 ab Etrusci librario omissis singulas Gronovius scripturas diserto testimonio profert.

Tandem e saxis dumetisque in amoeniora loca deferimur. nempe quoniam in arguendis virorum doctorum erroribus satis temporis spatiique consumpsimus, iam proponere quaedam in animo est, quae cum nequaquam sine lectionis emolumento pridem nota esse potuerint, adhuc in optimis membranis latuere. videbis autem, quamquam ea tantum recensebimus quibus poetae verba emendari possint, non corruptelarum adhuc ignotarum molem congeremus, messem priores non prorsus exilem reliquisse. ordinem in his quoque ipsius codicis tenebimus.

Hf. 852 *tanta per campos agitur silentes*
turba; pars tarda graditur senecta,
— —
pars adhuc currit melioris aevi,
— —
ceteri vadunt per opaca tristes,
862 *qualis est nobis animus, remota*
luce cum maestus sibi quisque sensit
obrutum tota caput esse terra.

hoc intellexerunt viri docti ut potuerunt: nimirum defunctos et ad inferorum sedem delatos similiter affectos esse animis atque nos cum forte in speluncam subterraneam nos abdiderimus. 'allusit scilicet poeta ad loca subterranea similia cryptae Neapolitanae quam ipsemet nobis descripsit epistola 57 —, quae

consulatur. ex ea enim lux petenda isti loco, quem nescio an aliquis hactenus intellexerit' ut ait Gruterus. atque est haec interpolatio ex earum genere quibus librariorum errores in saecula sanciri solent et in aeternum quidem nisi forte lux protinus emergat e fumo. quod hic una littera mutata fieri potuit et si Etruscum legeris factum erit: etenim 862 *vobis* ille praebet et hac scriptura versus istos sic distinguendos esse praecipit:

ceteri vadunt per opaca tristes.

dein novo spiritu:

qualis est vobis animus, remota
luce cum maestus sibi quisque sensit
obrutum tota caput esse terra?

i. e. quanta vos putandum est affici tristitia, cum primum senseritis in interna terrae vos reclusos esse? nota figura et Senecae usurpata e. g. Tro. 1057

quis status mentis miseris, ubi omnis
terra decrescet pelagusque crescet,
celsa cum longe latitabit Ide?

ex aliis poetis exempla cuivis in promptu sunt: Verg. Aen. IV, 408 *quis tibi tum Dido cernenti talia sensus?* (Ovid.) nuc. 167 *quid mihi tunc animi est ubi sumit tela viator?* cf. Stat. Theb. I, 165 *quis tum tibi, saeve, quis fuit ille dies, vacua cum solus in aula respiceres ius omne tuum* e. q. s.? VIII, 109 *quae mihi mens, cum per cava viscera terrae vado diu pendens et in aere volvor operto?* Manil. V, 589 all.

Hf. 924 *utinam cruorem capitis invisi deis*
libare possem.

ubi *cruore* scribendum esse iam Vindobonensis Etrusco in hac fabula cognatus docere potuit.

v. 1238 *tibi tela frangam nostra, tibi nostros, puer,*
rumpemus arcus ac tuis stipes gravis
ardebit umbris.

ad diversos ordine pueros se convertit; quod non satis exprimitur copulatis per *ac* sententiae membris. recte Etruscus *at tuis.*

Tro. 57 *dominum ecce Priami nuribus et natis legens*
sortitur urna. praeda quem vilis sequar?
hic Hectoris coniugia despondet sibi,
hic optat Heleni coniugem, hic Antenoris,
nec dest tuos, Cassandra, qui thalamos petat:
mea sors timetur, sola sum Danais metus.

58 *praeda quem vilis sequar* sententiae progressum turbat. nempe non in eo Hecubae oratio versatur ut sciscitetur qualis sibi dominus eventurus sit, sed ut queratur quod sola ut anus de-

fecta ne cui contingat a victoribus timeatur: sensu nec Euripidi (Troad. 190 sq.) nec Ovidio (met. XIII, 484) ignoto. verum est quod Etruscus praebet:

dominum ecce Priami nuribus et natis legens
sortitur urna praedaque en vilis sequar.

Tro. 280 sq. hic est in libris interpolatis versuum ordo:

ego esse quicquam sceptra nisi vano putem
fulgore tectum nomen et falso comam
vinclo decentem? casus haec rapiet brevis,
nec mille forsan ratibus aut annis decem.
non omnibus fortuna tam lenta imminet.
285 *equidem fatebor* e. q. s.

vv. 283 et 284 *E* inverso ordine praebet; ac videndum est annon 284 interpolatori debeatur. certe languet sententiae modo succincte et cum colore poetico expressae subdita eiusdem rei pedestris explanatio.

v. 749 *an has ruinas urbis in cinerem datas*
hic excitabit?

has has Etruscum praebere verum est; sed idem corrigit quod pridem viris doctis faciendum erat *urbis in cinerem datae.*

v. 797 *lacrimis, Ulixe, parva quam petimus mora est:*
concede parvos ut mea condam manu
viventis oculos.

in locum epitheti quod nihili esse facile intellegebatur Etruscum *paucos* substituere Peterus enotavit. inde *opacos* Peiperus, *glaucos* Madvicus (adv. II, 120). at in Etrusco legitur:

concede paucas (sc. *lacrimas*) *ut mea condam manu*
viventis oculos.

v. 889 *te magna Tethys teque tot pelagi deae*
placidumque numen aequoris tumidi Thetis
suam vocabunt, te datam Pyrrho socer
Peleus nurum vocabit et Nereus nurum.

889 non *thetis*, sed *thethis* in *E* scriptum est, 890 vero nec *thetis* (ε) nec *Tethys* nec quicquam eius generis. nam totum versum omittit. quem ab interpolatore profectum esse veri quidem simillimum esset, ab eo nimirum qui desiderasset Thetidis mentionem: et post tot pelagi deas male claudicat Thetis superingesta; sed nimium quantum versus isti admonent Catulli (64, 28)

tene Thetis tenuit pulcherrima Nereine?
tene suam Tethys concessit ducere neptem
Oceanusque mari totum qui amplectitur orbem?

nec negari potest, ut hi quidem versus inter dulcissimos omnium

sunt, ita Senecae quoque locum sono non ingrato aures tangere. hoc igitur quibus certius iudicium est diiudicandum in se recipiant. interim cf. Stat. Achill. II, 224 *te Peleus nato socerum et Thetis hospita iungunt allegantque suos utroque a sanguine divos.* I, 655 *quid defles magno nurus addita ponto?* Claud. IV Hon. 647 *quaenam tot divis veniet nurus?*

Med. 127 *si quod Pelasgae, si quod urbes barbarae*
novere facinus quod tuae ignorant manus
nunc est parandum

128 *ignorent E* quod cum non necessarium tum rectum est.

v. 170 Nutrix. *moriere.* Medea. *cupio.* N. *profuge.* M. *paenituit fugae.*
Medea fugiam? N. *mater es.* M. *cui sim vides.*

fiam quod 171 pro *fugiam E* praebet reponendum esse Herm. X, p. 425 monui; sed cum ibidem locum mala coniectura tentarim, nunc quod verum est Etruscus praebuit. in quo haec est versuum istorum inde a v. 168 imago (initiis versuum plerumque minio pictis):

168 NVT *Rex est timendus.*

MED *Rex meus fuerat pater.*	NV *non metuis arma?*
MED *Sint licet terra edita.*	NV *Moriere.*
MED *Cupio.*	NV *Profuge.*
MED *penituit fugae.*	NV *Medea.*
MED *Fiam.*	NV *Mater es.*
MED *Cui sim vides.*	NVT *Profugere dubitas?*
MED *Fugiam sed ulciscar prius.*	
NVT *Vindex sequetur.*	MED *Forsan inveniam moras.*

iam quod verum est cognoscitur, nec mutandum quicquam sed versus recte discribendi sunt hoc modo:

N. *rex est timendus.* M. *rex meus fuerat pater.*
N. *non metuis arma?* M. *sint licet terra edita.*
N. *moriere.* M. *cupio.* N. *profuge.* M. *paenituit fugae.*
N. *Medea* — M. *fiam.* N. *mater es.* M. *cui sim vides.*
N. *profugere dubitas?* M. *fugiam, at ulciscar prius.*
N. *vindex sequetur.* M. *forsan inveniam moras.*

sic restitutus est Senecae sensus qui nescio an inter probatissimos fuerit et ab istius aevi elegantioribus ingenti clamore exceptus.

v. 190 *vade veloci via*
monstrumque saevum horribile iamdudum avehe.

sic Medeam Creo adloquitur. quam quod veloci via vadere iubet uni Bothio offensionem praebuit; sed non ex coniectura scripsit *vade veloci fuga,* ut legitur apud Richterum, sed Etruscum,

I. Gronovio videlicet auctore, praetendens; et iure quidem. cf. Thy. 1046, ubi *E et quaerit fugam, A. e. q. viam.*

denique omisit Peterus quod in fine Medeae post subscriptionem extat: LEGE · INNOCENTI · FELICITER. addo quod Phaed. 330 margini hoc signum adpictum est: R[13]).

Phaed. 440 *turbidam frontem gerens*
et maesta vultus.

quod stare quidem potest; sed *E maesta vultu.*

v. 876 ubi in codicibus reliquis cum versus defectu legitur *heu per tui sceptrum imperi,* in Etrusco id ipsum extat quod pridem editiones obtinuit donec Bothius repetito *heu* mutavit: *eheu* nempe ita scriptum: *PHAEDRAE heu,* ut facile praeteriri posset. sed de hac voce infra fusius agemus.

v. 1039 *fluctus refundens ore physeter capax: fluctum refundens E.*

Oed. 95 sic in *A* legitur:

cumque e superba rupe iam praedae imminens
aptaret ales verbera et caudam movens
saevi leonis more concuteret (sive *conciperet*) *minas*

quae viri docti partim emendarunt: 95 *superna* e Melisseo Lipsius, quod Etruscus confirmat. 96 *alas verbere et caudam movens* Scaliger scripsit; et *alas* quidem in Etrusco legitur, non *ales* quod Richterus testatur, inepta ipse molitus. iam locus nulla labe adfectus ex Etrusco prodit:

cumque e superna rupe iam praedae imminens
aptaret alas verbera et caudae movens
saevi leonis more conciperet minas,
carmen poposci.

verbera caudae solemniter coniungi vel Davus Horatii docebit (serm. II, 7, 49), cf. Lucan. I, 208

mox ubi se saevae stimulavit verbere caudae.

Stat. Theb. V, 538 *destrictus verbere caudae,* et versum qui Senecae loco simillimus est Silii XIII, 330 de Pane:

verbera laeta movens festa per compita cauda,

qui versus multum sollicitatus nescio an emendetur scribendo:

verbera laeta movens festae per compita caudae.[14])

---

[13]) vide de hoc signo in Mus. Rhen. t. XXIV, p. 391 Useneri coniecturam, qui me conferre iussit Hagenum in Fleckeis. ann. 1869, p. 735 et certum de hoc usu testimonium codicis S. Gallensis, in Sitzungsber. der Wiener Akad. 1873 t. 74, p. 276.

[14]) Silius poetarum pessimus, cum quo comparatus magnus vates Seneca est, praeter Vergilium Statium quoque subinde compilavit (cf. interpr. ad XVI, 518 sq. et 546 sq.) et Lucanum saltem ultimo carminis versu (XVII,

Ag. 130 *proin quidquid est da tempus ac spatium tibi.* sic post Lipsium legitur qui ex Melisseo sumpsisse videtur quo expelleret Avantii remedium morbo gravius *proin quid est;* codices enim omnes *proinde quidquid.* sed emendate versus in Etrusco legitur, in quo super ultimam litteram vocis *proin* eadem manus quam in Phaedra et raro alias, ut sequenti Agamemnonis versu, scholia inter lineas adscripsisse supra memoravi (p. 16), lineolam duxit effecitque ut Petero *proinde* (*proiñ*) a prima manu esse videretur.

v. 733 *agrestis ille alumnus evertet domum: agrestis iste E.*

Thy. 48 *non sit a vestris malis*
immune caelum. cum micant stellae polo
flammaeque servant debitum mundo decus,
nox alta fiat, excidat caelo dies.

multa hic viri docti moliti sunt; temeraria Gronovii coniectura Richtero placuit. ipse cum verum dudum invenissem gavisus sum in Etrusco idem deprehendens; quod nunc video a Grotio pridem occupatum esse. nimirum pro *cum* Etrusco auctore scribendum est *cur:*

non sit a vestris malis
immune caelum; cur micant stellae polo
flammaeque servant debitum mundo decus?
nox alta fiat, excidat caelo dies.

v. 51 *alia E* quod vix defendi potest. cf. 120 sq.

v. 53 non *arcesse* sed *accerse E,* ut Oed. 844 *acersite* (*accersite A*) et ubique nisi fallor in pedestribus codices.

v. 155 *hinc illinc gravidis frondibus incubat*
gravibus frondibus E. poetam correxit interpolator.

v. 219 *nefas nocere vel malo fratri puta:*
puto E: idem dixerim de interpolatore quod ad 155.

---

654 = Luc. VIII, 872); Senecam certo tantum in inferorum descriptione, XIII, 595, ubi *taxum* ab illo recepit pro Vergilii *ulmo* et ibid. 603 loco de tyrannorum poena. quae praeterea afferri possint fallacia sunt; serio in duobus tantum de imitatione cogites: HO 1063 *et serpens latebras fugit* | *tunc oblita veneni* = III, 301 *ad quorum cantus serpens oblita veneni* (quod suum in usum vertit Peiperus) et Phaed. 557 *tela faciebat dolor* = VI, 46 *tamen certamine nudo invenit Marti telum dolor* (ubi utriusque idem auctor Vergilius, Aen. VII, 507 *quod cuique repertum rimanti, telum ira facit;* et idem Lucano III, 670 *nudato milite telis invenit arma furor*). reliqua nulli imponent, ut Oed. 631 (*tenetque saevus etiam nunc minas*) et V, 673 (*fronte minae durant et stant in vultibus irae*) vel adeo HO 574 (*cape hos amictus nostra quos nevit manus*) et VII, 81 (*quod nostrae nevere manus venerabile donum*). atque in eorum numero hunc quoque a quo initium cepimus locum habeo.

Thy. 241 sic secum Atreus loquitur:

quid stupes? tandem incipe
animoque sume Tantalum et Pelopem aspice:
ad haec manus exemplas poscuntur meae.

quod ut animo Tantalum sumat semet exhortatur figura utitur poetis latinis frequentata. sic Seneca ipse Thy. 941 *veterem ex animo mitte Thyestem.* Med. 43 *et inhospitalem Caucasum mente indue* (cf. Claud. III Hon. 157 *indue mente patrem*). Tro. 810 *et plenus mei occurre patri.* similiter Thy. 53 *et simple Tantalo totam domum.* cf. epist. 64, 10 *quid ergo? M. Catonem utrumque et Laelium Sapientem et Socratem cum Platone et Zenonem Cleanthemque in animum meum sine dignatione summa recipiam?* Lucan. VIII, 285 *multusque in pectore vano est Hannibal.* Stat. Theb. II, 417 *torvus et illum mente gerens* (Tydeus Polynicen). X, 670 *rape mente deos, rape mobile fatum.* Achill. II, 182 *totoque in pectore Troia est.* multus in hac figura Silius: I, 345 *haustusque medullis Hannibal.* II, 352 *atque animo patria arma movebat* (i. e. bella). VII, 495 *iam monita et Fabium — exuerat mentem.* VIII, 33 *excute sollicito Fabium.* X, 14 *plenus Gradivo mentem* (ex N. Heinsii emendatione). X, 81 *revocate in pectora Cannas* (i. e. praebete vos quales tunc). sed de hoc loco plura dicendi infra occasio erit; videndum potius an Thyestae versus eundem colorem patiatur. quod propterea praefracte negandum videtur, quia vividissime dictum *animo sume Tantalum* aut nihil excipere potest aut, si quid excipiat, id fortius etiam proferri necesse est. iam considera quam claudo pede sequatur *et Pelopem aspice.* omnes scrupulos Etruscus eximit hoc praebens:

tandem incipe
animosque sume: Tantalum et Pelopem aspice.

atque idem Georgius Fabricius pridem, e coniectura ut videtur, ediderat.

v. 322 *quid enim necesse est liberos sceleri meo*
inserere?

liberos sceleri meos E.

v. 469 *tuta sine telo est domus*
rebusque parvis alta praestatur quies

alta solemne quietis pacisque epitheton ab interpolatore est; Seneca vili orationem antithesi ornaverat: *rebusque parvis magna praestatur quies.*

v. 521 *a genibus manus | aufer: manum E.*

Thy. 623 *quis me per auras turbo praecipitem vehet*
atraque nube involvit ut tantum nefas
eripiat oculis?

in *A* etiam *volvet* scriptum est vel *involvet;* atque id sane reciperes si verum esset v. 623 *vehet* in *E* extare. sed ibi *vehit* legitur. cf. Phoen. 430 *quis me procellae turbine insano vehens volucer per auras ventus aetherias aget?*

Thyestes Iovem his verbis imprecatur 1083 sq.

bella ventorum undique
committe et omni parte violentum intona
1085 *manuque non qua tecta et immeritas domos*
telo petis minore, sed qua montium
tergemina moles cecidit et qui montibus
stabant pares gigantes, haec arma expedi
ignesque torque.

orationem vitiosam esse cum videret Scaliger 1088 correxit *hac arma expedi;* quod sane necessarium est, si 1085 *manuque* antecedit. sed aliter, quamquam duriuscule, sententiam a poeta constructam esse Etruscus docet, qui 1085 *manumque* exhibet, ut, cum quattuor versuum spatio interiecto verbum sequatur, obiectum repeti quidem debuerit, sed circumscripto vocabulo ipsa repetitio vitata sit: *manumque non qua —, sed qua —, haec arma expedi.*

HO 558 *si quas decor*
Ioles inussit pectori Herculeo faces,
extingue totas, perbibat flammas mei.

primum 560 *totas*, non *totus* (testatur N. Heinsius) in *E* scriptum est. deinde in eodem versu quod iam e Melisseo Lipsius protulerat Etruscus praebet: *perbibat formam mei.* quod sine dubio rectum est.

v. 585 *Calydoniae deflete lugendam vicem*

cum l. s. p. 433 narrarem in Σ legi *Calydoniae lugete deflendam vicem* scire non potui fore ut idem in Etrusco mox invenirem.

v. 681 *dum petit unum praebere diem*
patrioque puer constitit axe
nec per solitum decurrit iter,
sed Phoebeis ignota secat
685 *sidera flammis errante rota,*
secum pariter perdidit orbem.

ita ex Etrusco locum Peiperus dedit. sed *secat* v. 684 ab interpolatore est qui corruptelam oblimare voluit; Etruscus

enim habet *sed Phoebeis ignota petens.* fortasse post 685 intercidit versiculus qui hanc fere sententiam continuerit:

[praeceps missis fertur habenis].

H0 750 Hyllo in *E* dari, quod pridem Lipsio auctore factum est supra monui. item 752 Deianirae rursum adsignatur.

v. 973 *carituraе Hercule | lux vilis ista est.* corruptelam quidem qua 974 laborat (*lux illa sistat*) attulit Peterus, prioris emendationem neglexit: *caritura Hercule.* quod habet iam ex coniectura, ut videtur, Avantius.

v. 1361 *ubinam ipsa palla est? membra nudata intuor.* Bothius correxit *ista* merito adsentiente Etrusco.

v. 1629 *ultraque totos porrigit ramos nemus*
sic *A.* Raphelengius: *totum — nemus.* sed *E: ultraque totos porrigit ramos manus.*

v. 1780 *quid misera duras vita? quid lucem hanc tenes?*
sic *A;* Etruscus *quid lucem tenes?*

haec fere sunt quae de optimo codice praemonenda putavi. quibus expositis id certe consecutus ero ut in editione adornanda ea tantummodo proferre debeam quae ad recensionem re vera attinent, fidei quam viri docti schedis meis habituri sint securus.

III.[1])

Exemplaria interpolatae editionis quae in Italiae bibliothecis asservantur fere omnia — omnes codices Romanos Florentinos Mediolanenses Neapolitanos Venetos Caesenates Mutinenses Parmensem Bononiensem Ravennatem alios — inspexi et quaedam excerpsi. de quibus cum scitu digna haud pauca proferre possem, pleraque tamen paucissimis tantum accepta forent: ipsis scilicet poetae verbis nec quaesivi inde auxilium nec inveni. id unum memoro, antiquissimum codicum illorum, qui quidem temporis notam ferant, esse Laurentianum 37, 6 scriptum a. 1368; e quo transscriptus est cod. Vaticanus 1647 scriptus annis 1391 et 1392. contuli cum Laur. 37, 6 Herculem Oetaeum; sed illum quoque librum ut in Italia plerosque tam infectum inveni interpolationibus et correcturis ex Etrusco oriundis, ut totum excutere operae pretium non ducerem. ac dolendum est quod illa de causa uno ex volgarium librorum secta duce uti non licet. missis autem ceteris praeterire non debeo codicem Laurentianum 37, 11 membranaceum saeculi XV qui fuit liber Poggii ut ipse in libri calce testatus est. nam quod ibi legitur LIBER. POGGII ipsius manu scriptum esse libri ab ipso exarati qui in bibliotheca Laurentiana inveniuntur docent (e. g. codicis 98, 22 subscriptio). illud igitur tragoediarum exemplar, quod transscriptum est ex Laurentiano 37, 1 vel eius simillimo, a viro docto s. XV correcturis frequentibus adornatum est, quae maximam partem non e codice fluxerunt sed ipsius coniecturae sunt: in quibus quod nova emendatio fortasse nulla est, id exemplaris natura satis explicatur, cuius menda ad versuum normas quodammodo revocasse contentus si optime rem gessit vulgarem lectionem restituit, si minus plerumque tolerabilem, et subinde quidem eam quam Aldina Avantii editio primum refert: quo comprobatur, quod per se veri fuit simile, non omnia quae in illa novata sunt ab Avantio ipso inventa esse. atque libri correctorem ipsum Poggium fuisse maxime probabile est; quod extra dubitationem poni non

---

[1]) abhinc rursum usque ad finem libri Gronovii in notandis versibus utemur numeris.

potuit quoniam quaecumque eius manu scripta in bibliothecae thesauris extant calligraphice exarata sunt, cursiva scriptura ut notulae istae nihil. ut ut est satis eae momenti habent ut paucas saltem proposuisse operae pretium fuerit. ac ne omnem tragoediarum campum rursus pervagari debeamus, adferam quae ad priorem Herculem et Agamemnonem ille adnotavit, praemissa codicis (Laur. 37, 11) scriptura, subiecto correctoris invento, vulgata denique lectione uncis inclusa.

Hf. 76 *congredere, manibus iam lacera tuis] m. Herculem lacera* (*c. m. ipsa iam l. t.*).

v. 77 *quid tanta mandas odia?] tacita* (recte cod.).

v. 96 *quidquid relictum est. uel ueniet ultro et invisum scelus]* [2]) induxit *uel* et *ultro et* (sic recte).

v. 213 *sequitur et prima statim] al' primum vel prior* sic (*a primo*).

v. 227 *quisque regem pabulum armentis datum] suisque* (recte).

v. 285 *quondam fecisti] fuisti* (*stetisti*).

v. 286 *paruere Tempe] patuere* (recte).

v. 298 *reditus lentos nec mei memores querar] reditusque l. et mei immemores q.* (cod. recte).

v. 323 *Syrtium brevibus undis] vadis* (recte).

v. 333 *ubere cingit solo] includit* (*uberi*).

v. 344 *strictus tenetur ensis] tuetur* (recte).

v. 397 *agedum effrenatas] efferatas* (recte).

v. 430 *sceptro quoque nostro] sceptrone* (recte).

v. 440 *partes meae hae sunt]* induxit *hae* (sic *E*).

v. 453 *quem profuga mater tellus errantem dedit] tellus mater* (*terra mater errante edidit*).

v. 463 *quemcumque miserum videris hominem scias]* hoc adscripsit: *hoc convenit soli Christo*, versum igitur Senecae fidei documentum habuit.

v. 501 om. *quoniam]* ante 505 cruce addito scripsit: *deficit unus versus.*

v. 506 *congerite silvas templa ut supplicibus suis ut victa flagrent] c. s. t. supplicibus suis ut iuncta f.* (*t. s. s. iniecta f.*).

v. 546 *victorem suspiciens* (sic cum Aldina) *genu posito] v. p. s. g.* (*v. p. suscipiens g.*).

v. 840 *currit] ruit* (recte).

v. 922 *victima haud ulla gratior] v. ulla aut gratior* (*v. h. u. amplior*).

[2]) idem Rehdigeranus 10 et Lobcoviciensis de quo proprio libello Pauly rettulit: quos vides Laurentiani 37, 11 aut gemellos aut alio cognationis vinculo aequales esse.

Hf. 1014 *amplecte ipsum potius e. b. p.] amplecte potius et virum blanda prece* (*amplectere*).

v. 1191 *cladisne pars ista quam nosti quota est]* adscripsit *va — cat* i. e. delevit versum (*c. tuae*).

v. 1194 om. *illa]* supplet *haec.*

v. 1198 *vix cedentem mihi] pene c.* sine dubio ex codice aliquo. (*vix reced.*)

Ag. 113 *et qui redire nescit cum perit pudor] nescit ut perit* (*r. cum perit n. p.*).

v. 453 *anteire rates] naves* (recte).

v. 457 *et dubia patent montis Idaei iuga] perèunt* quae est inter coniecturas illas optima et fortasse emendatio (*parent* codd.).

v. 503 *haec lacera et omni decore populata levis] populata et levis* (*populato*).

v. 701 *turba fratrum gregis] t. tot fratrum g.* (*t. fraterni g.*).

v. 934 *fidem secunda poscunt adversa exigunt] poscunt fidem secunda et a. e.* ut in Aldina legitur nisi quod illa *at* praebet.

v. 957 *eia tandem doces] me t. d.* (*pietatem d.*)

v. 961 *et esse parem nobis demens te putas] e. e. nobis te parem d. p.* (*e. e. d. te parem nobis p.*).

v. 965 *mitius interea mihi] mitius tandem m.* (*citius*).

v. 970 inter *satis* et *at* inseruit *Ele.* (voluisse videtur *Cly.*, quae est Bothii emendatio).

subiciam quae ad Octaviam adnotavit et pauca et quae nescio an reliquis magis cognoscere cupias.

Oct. 50 *quam secreta] quam* delet.

v. 152 *idemque natus et iuvenis nefandi ingeni]* induxit *iuvenis* (*i. n. iuvenis infandi i.*).

v. 173 *fervens flamma] flamma fervens* (idem adhuc tantum ex Aldina notum praebet Laur. 37, 6 (et Vat. 1647 de quo v. s.) correxit Buechelerus: *funebris flamma*).

v. 181 *expectes aliam] expectet* (sic Mutin. GG 2; alii *expectas, expectat*).

v. 391 *qui sese nescit tantum i. c. ch.]* crucem addidit (*qui si s. tantus*).

v. 731 *pristinus intermissa] p. et i.* (*Crispinus*).

v. 785 *quis furor iste mentes attonitus agitat] q. i. m. agitat attonitas f.* (sic Riccard. 526, Rehdig. 13, Lobcovic. *attonitus A*).

v. 850 *cecidere metus impio ferro duces]* ad *metus* crucem addit (*motus* 2 m. in cod. Regin. 1874; in cod. Laur. 37, 8 per *seditionis* explicatum; impressum *motus* in Aldina; ceterum legendum *impii* ex Buecheleri emendatione).

ita ad Octaviam ultro delati sumus. et sane iniquum foret, si ne dimissa quidem genuina prole nothae paulisper vacaremus. atque cum uno de fonte manaverint libri quibus utimur omnes, ut si qui praeter corruptelas tempori adscribendas propria multa prae se ferant, ea interpolationis suspecta sint, tamen certum habui Octaviae codices non satis multos conferri posse; in fabulam nimirum cuius non extat codex ante XIV saeculum scriptus bonae frugis aliquid undecumque redundare poterit. itaque cum maxime in Italia undeviginti libros totos contulerim, ex aliis quae e re visa sint excerpserim, ingentem variarum lectionum copiam congessi; quam tantum non omnem in scriniis meis sepultum iri persuasum habeas. at certe nunc quid antiquitus traditum quid interpolatum sit vix usquam poterit dubium esse. interim ne credas prorsus inutili me operae tot horas impendisse, in uno alterove loco ostendam potuisse adhuc de praetextatae illius lectione novi aliquid disci.

ad Oct. v. 173 G. Fabricius hoc adnotavit: 'in libro Regiomontani post hunc versum haec verba ad marginem adscripta erant: *hic desunt triginta versus, secundum aliquos; sed nihil deesse credo*'. in ceteris libris adhuc notis omnibus conloquium sine lacunae vestigio decurrit:

Nutrix — *membraque* (Britannici) *et vultus deo*
173 *similes volanti funebris flamma abstulit*
Oct. *extinguat et me, se manu nostra cadat.*
N. *natura non vires dedit tantas tibi* e. q. s.

tamen codicibus non paucis iacturae memoria inest. sic in cod. Ambros. H 77 inf. (4° m. 1380) post v. 173 vacuum relictum est spatium XXXI versuum et cursivis litteris (scholia et variam lectionem per totum librum prima manus addidisse videtur) adnotatum: *hic deficiunt XXX versus secundum aliquos et ideo internisi spatium.* item in Laur. 37, 9 vacuos librarius XXXI versus reliquit, sed nihil adnotavit. contra in codice S. Crucis 24. sin. 4 post v. 178 non expletis XXX versibus secunda manus in margine adscripsit: *nihil deficit secundum scriptum Nicholay de traguet.* quo indicantur commentarii in Senecae tragoedias Nicolai fratris Anglici [3]), modo Traveth, modo Altraveth i. e. ab Traveth (Neap. IV D 47), modo Travetta (Goth. 51 cf. RP praef. p. XXXV adn.), modo Creueth (Vatic. 1650) nuncupati, qui in multis libris servati sunt et in verbosissimo paraphraseon ambitu memorabile nihil continent. illius enim codicem lacunae non tulisse vestigium codex Reginae

[3]) de quo cf. Bursiani praef. in Senecam patrem p. VIII.

1952 docet qui item post 178 vacuas XXXI lineas reliquit, in paraphrasi autem nullam eius rei memoriam refert. denique in cod. Neapolit. IV D 47 (chart. a. 1376 Lucae scripto) ad v. 178 prima manus hoc adnotavit: *hic desunt* XXX *versus qui non erant in exemplo.*

totiens moniti acriter nobiscum exigemus sitne inter v. 173 et 174 revera sententiae rerumve defectus, quo comprobetur non in errorem nos si librariis credamus induci. et fuit quidem cum propter conloquii materiam subito mutatam vel potius deflexam de versuum istorum iactura serio cogitarem. sed apte Octavia, postquam nutrix in Agrippina et Britannico a Nerone interfectis orationem finivit, exclamat *extinguat et me*, subito ira ac dolore stimulata addit: *ne manu nostra cadat;* quo fit ut scelerum Neronis oblitae mulieres novam materiam persequantur. itaque memoriam istam triginta sive triginta unius versuum amissorum errori qualicumque deberi censendum est. nec destituimur testimonio quo illum quoque detegere possimus. scilicet in cod. Reginae 1500 (f. m. 1389) versus 174—199 more solito, i. e. adscripto ante 174 *va*, post 199 *cat*, deleti sunt; et eam quidem ob causam quod versus isti bis scripti rursus post v. 199 leguntur. qui versus cum sint numero XXVI, spatium triginta versuum explent, quia 185—188 inter binas personas divisi octo versibus continentur. iam puto rumoris patet origo. scilicet in vetustiore aliquo libro v. 174—199 bis scripti erant: quem cum describerent, alii religiose quae invenerunt in exemplar suum transtulerunt, alii cum errorem deprehendissent spatium vacuum reliquerunt: unde sequentes conlegerunt spatium istud olim versibus iam amissis expletum fuisse; alii denique nec bis eadem scripserunt nec spatium reliquerunt, quod docet e. g. codex Riccardianus 526 lat. (4° m. XIV) qui est Ambrosiani H 77 inf. gemellus.

praeterea pauca referam de loco corrupto qui sic vulgo scribitur:

409 *mox inquietum* (genus) *quod sequi cursu feras*
auderet acres, fluctibus tectos graves
extrahere pisces rete vel calamo levi
decipere volucres, crate vel calamo aut levi
413 *tenere laqueo, premere subiectos iugo*
tauros feroces

v. 410 in propatulo est cum Buechelero scribendum *gravi*.
v. 412 in Rehdigerano 13 sic scribi Peiperus rettulit:
decipere volucres crate
quo sibi permissum putavit temeraria interpolatione locum cor-

rumpere. quem sanum non esse et manifestum et maiore codicum parte traditum est. primum enim v. 412 in librorum quos inspexi quattuordecim omittitur: cuius rei causam patet homoeoteleuton esse. praeterea in Reg. 1500. Laur. 37, 10. Leop. Strozz. 134. Ven. Marc. 450 sic scribitur v. 412:

decipere uolucres crate aut levi

denique in cod. Mutin. XVII GG 2 sic:

extrahere pisces reti vel calamo levi dec. volucres t calamo aut levi

tenere laqueo e. q. s.

quod eis quae adhuc recensuimus integriorem loci imaginem repraesentat; nam non solum *vel calamo aut levi* in priore versu repetitum, sed etiam *crate* variam lectionem ad *rete* esse sponte intellegitur. itaque vere tradita est haec versuum 411. 412 forma:

extrahere pisces rete vel calamo levi
decipere volucres
tenere laqueo, premere subiectos iugo e. q. s.

atque ita plane versus scripti sunt in cod. Malatestiano fil. XI plut. XX, 1 (f. m. XV). iam si cum versus 412 altera parte cicimus sequentis priorem *tenere laqueo* (quae est Buecheleri coniectura), optime quidem oratio procedit, sed non intellegitur quid sibi voluerit qui haec verba interpolasse credatur; nam in his: *crate vel calamo aut levi tenere laqueo* nihil est quo ipsum verbum referatur. itaque ultimis v. 411 vocibus paullum immutatis et in v. 412 errore insertis genuinam eius alteram partem loco pulsam et amissam esse iudicandum est. apte autem *tenere laqueo* de canibus possit dictum esse, ita fere:

extrahere pisces rete vel calamo levi
decipere volucres, [turbidos forti canes]
tenere laqueo, premere subiectos iugo
tauros feroces.

itaque de recensendarum decem tragoediarum subsidiis quae extra ipsius editionis fines proferenda videbantur protulimus.

IV.

Priorum temporum philologi non unum esse tragoediarum Senecae nomine inscriptarum omnium auctorem persuasum sibi habuerunt cum propter solemnem fere in praenomine poetae efferendo librariorum errorem locumque Octaviae praetextatae in librorum turba inter novem tragoedias concessum, tum obscurum quoddam nec munitum satis et circumscriptum de moribus poetae et ingenio iudicium praetendentes. quo factum est ut multa et arbitraria viri docti, in primis D. Heinsius, de diversis tragoediarum auctoribus comminiscerentur. iam vero inter prudentissimos quosque dudum constat vindicari has tragoedias Senecae codicum titulis, veterum testimoniis paucis quidem sed indubitatis, artis aequabilitate, cognata operum pedestri sermone scriptorum indole; abiudicari singulas philosopho non posse nisi plena argumentatione omnique nomine absoluta.

unam vero fabulam praeter ceteras, Herculem cui Oetaei nomen interpolator indidit, quominus Senecae imputarent iure et veteres et recentes haesitarunt. quod si Richterus qui nuper eam Senecae abrogare studuit (de Seneca tragg. auctore Bonnae 1862) non eo pervenit ut viris doctis sententiam suam probaret, fatendum est illum, quamquam argumenta satis curiose congessit, non prorsus ad persuadendum apposite disputasse. quo magis optandum videtur ut ex integro haec quaestio instituatur, ne ad certiora perveniri non posse perperam credatur.

habet autem haec fabula quibus vel obiter intuenti a reliquis differre videatur: titulum antiquitus praefert cum prima fabula communem; agitur primum ad Oechaliam dein Trachine; chori audiuntur duo; spatium complet reliquis fere duplo ampliorem; et cum bona inter has tragoedias nulla sit, probabilem quandam mediocritatem tribuere non nullis possimus, Herculem Oetaeum nimium quantum puerilem esse et contemnendam omnes concessere. cuius iudicii severitas num possit circumscribi quodammodo et extenuari id postea videbimus. ante omnia concedendum est eius generis argumentis manus non temere dandas esse si intellexeris in rebus metricis plane

hanc fabulam cum reliquis consentire. quod docuere Schmidtius Muellerus Richterus alii.

viam munitiorem forsan indicaverit Richterus cum (de Seneca tragg. auct. p. 30) contendit Herculis Oetaei poetam 'multa ex aliis fabulis, inprimis ex Hercule priore, in usum suum convertisse'. attulit nec multa nec gravia nec quibus imitator coargueretur. ac iure optimo obiecere viri docti solere et in reliquis fabulis, praesertim ubi de rebus similibus agatur, semet ipsum exscribere Senecam. at ne ab ulla parte deterreamur qua adgredienti boni eventus spes qualiscumque detur, videndum est an certioribus indiciis imitatoris operam, si qua est, deprehendere possimus.

ergo quo minus affabre exemplari suo usus erit eo facilius imitatoris manum cognoscas: semper nimirum eius generis locis duriusculi quiddam vel obscuri et contorti inhaerebit. qualibus si ea verba adhibere potueris e quibus expressi sint, inde lucem accipientes fatebuntur originem. id quomodo intellectum velim inlustrari non aptius poterit quam exemplis ex Hercule Oetaeo sumptis. v. 1048:

· *abrupit scopulos Athos*
Centauros obiter ferens.

accurrit Athos ut inter auditores Orphei considat. editiones diu occupavit quod Avantius coniecerat *Centauris obitum ferens.* ille si meminisset loci qui est Hf. 968

saxa cum silvis feram
rapiamque dextra plena Centauris iuga

vidisset quo loco orti essent Centauri cum rupibus ad vatem ambulantibus commode eodem deducti.

1293 *inter infernos lacus*
possessus atra nocte cum fato steti.

D. Heinsius scribere voluit *obsessus,* recto iudicio. nam de homine male dici sensit quod apte de rebus dicitur Hf. 282 *et quidquid atra nocte possessum latet.* aliter e. g. Sil. III, 423 (*Hercules*) *possessus Baccho.*

1347 *agnosce mater; ora quid flectis retro*
vultumque mergis?

tentavit locum N. Heinsius scribendo *vergis* (*vultumque maerens A*). at quod sane non apte dictum est *mergis* (recte Statius dixit silv. II, 1, 209 *et tollis mersum luctu caput*) elegit sibi ut variaret quodammodo quod legitur Hf. 1173 *cur meos Theseus fugit paterque vultus? ora cur condunt suos?*

1392 *surgat hinc illinc nemus*
artusque nostros durus inmittat Sinis:
sparsus silebo.

locum inde ab interpolatore *A* misere a viris doctis laceratum sic recte traditum esse supra monui (p. 33). sed quod et ineptum et duriusculum est *sparsus silebo* (debuit saltem *spargendus*) inlustratur Phaedrae versu 1169 *membra quis saevus Sinis aut quis Procrustes sparsit?*

1556 *teque non solum feret illa puppis.*

versum post hunc intercidisse persuasum habeo talem: *[quae tulit solum metuitque mergi].*[1]) ut ut est non prorsus haec intellegentur nisi in memoriam revocaris Hf. 775 *cumba populorum capax succubuit uni.* paullo post item ex Hercule sensum et ibi male conlocatum peius translatum esse apparet. nempe Hf. 745 sq. de iudicibus infernis locutus reges hortatur Theseus ne crudelitati adsuescant. eandem hortationem prorsus inepte et κακοζήλως HO 1560—1563 insertam legimus postquam vix tetigit chorus iudices et in transcursu tantum poenarum memoriam iniecit.

1721 plane rustico obiurgio in Philoctetem invehitur his verbis: *ignave iners inermis* ceterum compositus et mansuetus. sed transtulit hoc ex Thy. 176 *ignave iners enervis.*

haec versantur in verbis et sententiis exprimendis[2]). aliud imitationis genus est quo solidae fabularum partes scaenae sermones descriptiones exprimuntur vel saltem respiciuntur. legas Alcmenae querelas 1402—1418 easque compares cum Hercule in cognomine fabula furente dormiente surgente. ubi satis apte rem ita instituit ut furore et vaecordia labefactatum corpus somno tandem victum corruat. pater arma removeri iubet ne quid experrectus mali rursum audeat, chorus Somni laudes canit flebilemque rerum statum deplorat. denique expergiscitur Hercules miraturque ubi gentium versetur. in Hercule Oetaeo similia inepto loco accidunt. de calamitate sua multum multumque declamavit et decantavit, de furore nihil audivimus; nec quae novissimo loco dicit magis sunt reliquis insana. subito docemur Alcmenae verbis furorem instare cum dicit:

1402 *ei mihi, sensum quoque*
excussit iste nimius impulsu dolor

statim pergit: *removete quaeso tela et infestas precor rapite hinc sagittas* (Hf. 1053 *removete famuli tela ne repetat furens*), *igne*

---

[1]) alius sed similis est Lucani sensus V, 585 *hanc* (puppim) *Caesare pressam a fluctu defendet onus.* de Hercule in Argo nave Stat. Theb. V, 401 *puppimque alternus utrimque ingravat.*

[2]) alia D. Heinsius ad HO., praecipue v. 661 *nec gemmiferos detrahit aures lapis Eoa lectus in unda* optime ad Phaed. 391 referens: *nec niveus lapis deducat aures Indici donum maris.*

suffuso genae scelus minantur (Hf. 953 *quo nate vultus huc et huc acres refers?* 1022 *pavefactus infans igneo vultu patris*); *quas petam latebras anus?* (Hf. 1009 *Megara — e latebris fugit*) *dolor iste furor est: Herculem solus domat;* huius enim coloris gratia omnis de furore scaena inserta est; sed occupavit illum Hf. 85 *nemo est nisi ipse* (par Herculi): *bella iam secum gerat.* 99 *hoc hoc ministro* (Furore) *noster utatur dolor.* pergit Alcmene: *cur deinde latebras aut fugam vaecors petam?* (Hf. 1012 *quo misera pergis? quam fugam aut latebram petis?*). nato adeo se occidendam praebet, eo ineptius quo aptius idem Amphitruo facit Hf. 1029. 1039. deinde: *ecce lassatus malis sopore fessas adligat venas dolor* (Hf. 1044 *vultus in somnum cadit.* 1078 *preme devinctum torpore gravi*) *gravique anhelum pectus impulsu quatit* (Hf. 1050 *sopor est, reciprocos spiritus motus agit*). nunc cum choro locus fuerit quocum ad nauseam usque Hercules modo alterna cecinit, Alcmena ipsa cantici quod est Hf. 1054—1137 summam his verbis reddit: *favete superi — abeat excussus dolor corpusque vires reparet Herculeum suas* (Hf. 1063 *solvite tantis animum monstris, solvite superi.* 1080 *nec torva prius pectora linguas quam mens repetat pristina cursum*). venit Hyllus occinitque dormienti. quem tacere iubet Alcmena: *longus dolorem forsitan vincet sopor* (Hf. 1051 *detur quieti tempus ut somno gravi vis victa morbi pectus oppressum levet*). tandem expergefactus Hercules quaerit: *quid hoc? rigenti cernitur Trachin iugo?* (Hf. 1138 *quis hic locus? quae regio?* e. q. s.). nec miramur illum statim Megarae suae memorem: *o clara Megara, tunc cum furerem mihi coniunx fuisti?*

hunc locum paene centonem esse ex Hercule furente decerptum et inepto loco insertum postquam fusius demonstravi, iam ipse alia inter se compares quaeso, ut v. 845 sq. cum Iocastae mori volentis sermone (Oed. 1024 sq.), 1377 sq. cum Hf. 1206 sq., 1652 sq. cum Phaed. 812—819, 1027 sq. cum Phoen. 380 sq., 1290 sq. cum Phaed. 951 sq. et alia quae si equidem persequi vellem finem non invenirem. iam vero pauca saltem adscribere licet quae cum similia inter se et fere paria sint nunc facilius concedemus non uni eidemque auctori originem debere.

HO 484 *en locus ab omni liber arbitrio vacat*
Phaed. 601 *en locus ab omni tutus arbitrio vacat*
HO 745 *nescio quod animus grande praesagit malum*
Hf. 1148 *nescio quod animus grande praesagit malum*
HO 863 *et partem mei ferat omne saxum*
Phaed. 1104 *omnisque truncus corporis partem tulit*

HO 911 = Hf. 642 *si novi Herculem*

HO 1065 *et tristes Erebi deos* = Oed. 410 *et tristes Erebi minas.*
vicit nec timuit Stygis = Hf. 611 *et tristes deos et fata vici.*
iuratos superis lacus = Tro. 391 *iuratos superis qui tetigit lacus.]*

HO 1135 *hinc et hinc compagibus*
ruptis uterque debuit frangi polus
Thy. 1011 *stare circa Tantalum*
uterque iam debuimus: hinc compagibus
et hinc revulsis e. q. s.

HO 1237 *astris ab ipsis depulit Stymphalidas*
Hf. 244 *petit ab ipsis nubibus Stymphalidas*

HO 1305 *commoda nato manum*
Oed. 1059 *commoda matri manum* (ad necem utrobique).

HO 1308 *emitte Siculo vertice ardentes, pater,*
Titanas in me
Hf. 78 *Titanas ausos rumpere imperium Iovis*
emitte, Siculi verticis laxa specum

HO 1679 *et dirum fremens,*
qualis per urbes duxit Argolicas canem,
cum victor Erebi Dite contempto redit
tremente fato, talis incubuit rogo.
quis sic triumphans laetus in curru stetit
victor? quis illo gentibus vultu dedit
leges tyrannus?
Hf. 59 *atrum per urbes duxit Argolicas canem*
Hf. 611 *et tristes deos*
et fata vici, morte contempta redi.
Tro. 188 *aut cum superbo victor in curru stetit.*

HO 1797 *quis me locus, quae regio, quae mundi plaga*
defendet?
Hf. 1138 *quis hic locus, quae regio, quae mundi plaga?*

exemplorum quae attuli magnam partem ex Hercule furente sumptam esse neminem fugerit. atque alia extant quibus aperte ad res in cognomine fabula gestas respicitur. sic 267 sq. *quid excutis telluris extremae sinus orbemque versas? quid rogas Ditem mala?* aperte adluditur ad Iunonis sermonem Hf. 1 sq. (91 *hic tibi ostendam inferos. revocabo in alta conditam caligine — discordem deam — et imo Ditis e regno extraham* e. q. s.); v. 1162 *cum spolio redi, quo paene lapsis excidit Titan equis* ad Hf. 60 *viso labantem Cerbero vidi diem*, nam haec apud Euripidem non invenit. alia supra tetigi.

haec omnia non propterea proposui quia talibus rem con-

fici posse existimarem. nempe eius generis quaecumque adferri possunt neminem cogunt ut a diversis auctoribus locos inter se comparatos provenisse concedat. nec mihi videor tale quicquam comprobasse: comprobavi, id quod nemo concedere non potest, Herculem Oetaeum, si a Seneca scripta sit, post reliquas tragoedias, saltem post Herculem furentem, scriptam esse.

quo constituto ultra progredi licet; scilicet bonam frugem iam ex eo disputandi genere capiemus quo plerumque omnino nihil efficitur. demonstrabimus autem huius tragoediae scriptorem hominem ineptum esse et stolidum totoque caelo ab Herculis furentis auctore, tumido quidem et efflato, sed acuto eodem nec perverse cogitante remotum. poterat extare aliquis ac dicere iuveni poetae nondum in hoc genere exercitato condonanda esse quae vituperari debeant: id quod cadere in eum nequit qui iam priorem Herculem composuerit.

atque perlegas si placet canticum quod est inde a v. 1031 et praecipue de Orpheo narrationem 1036—1099, de qua quamquam non omnia recte disputavit Goebelius (Muetzel. annal. XVI, 738 sq.), sufficit tamen semel demonstratum esse quantopere carminis auctor ineptiat. eadem censura Deianirae Herculis mortem sibi exprobrantis morique destinantis lamenta persequaris. pauca tangam.

v. 842 *factum est scelus.*
natum reposcit Iuppiter, Iuno aemulum;
reddendus orbi est: quod potes, redde exhibe,
eat per artus ensis exactus meos.

si superi Herculem reposcunt, non est Deianirae scelus quo occidit; quod orbi illum reddendum putat non est cur se ipsa interficiat: eo aut poenam solvat aut dolori satisfaciat ut quae sine illo vivere nequeat. sed dixit potius quod dixit quia putido cacozeliae genere abstinere non potuit: Herculem reddere nequis; redde igitur quod potes: poenam.[3]) sed audiamus quae secuntur: 'ense me trucidabo; at nimis haec poena levis est; an Iovis fulmine occidam? quin ipsa potius, ne dis molesta fiam, ferrum occupabo; sed cur ferrum? de rupe prosiliam et multiplici morte peribo'. '*levis una mors est — levis? at extendi potest*'. (Oed. 948 *quod saepe fieri non potest fiat diu*). pergit sensu plane ab re alieno: *eligere nescis anime cui telo incubes* (Oed. 1038 *eligere nescis vulnus*); dein:

[3]) *nec piget a Parthis a quibus nondum poenas repetiimus aves petere* non hercle venuste at concinnius suoque loco dixit Seneca cons. Helv. 10, 3.

utinam esset utinam fixus in thalamis meis
Herculeus ensis. huic decet ferro inmori.

ferrum iam bis sibi elegerat bisque improbarat (845. 858). nunc Herculis potissimum ense sibi pereundum putat. at quis poetarum post Pisandrum et Stesichorum de Herculis ense locutus est? minime Sophocles cum Deianiram ferro mori faciat et in thalamo quidem coniugis. poeta Romanus a Vergilio excusationem paratam habebat; nam cur Deianira eius ut Althaeam et Phaethontem non Didonem quoque exemplum sumat? cuius sic meminerat loquentis (IV, 494):

tu secreta pyram tecto interiore sub auras
erige et arma viri thalamo quae fixa reliquit
impius exuviasque omnis —
— super imponas. [4])

mortis consilium his verbis confirmat (922):

frustra tenetur ille qui statuit mori:
proinde lucem fugere decretum est mihi.

debuit: proinde frustra me tenetis. dixit: frustra tenetur qui mori decrevit, proinde mori decrevi; frustra tenetur qui statuit mori, proinde mori statui. qui Senecam legit talia illum non committere haud ignorat.

pudet Herculem lacrimarum (1268):

quis dies fletum Herculis,
quae terra vidit? siccus aerumnas tuli.
tibi (i. e. pesti qua consumitur) *illa virtus quae*
tot elisit mala,
tibi cessit uni. prima et ante omnes mihi
fletum abstulisti. durior saxo horrido
et chalybe vultus et vaga Symplegade
rictus meos infregit et lacrimam expulit.

suum scilicet vultum superari non potuisse nisi alio vultu etiam duriore putidus sensus est; quo quantopere ineptiat scies si praecedentem sermonis partem perlegeris. nempe iterum iterumque questus est quod pestem quae fixa medullis lateat corpusque intus depopuletur videre nequeat multumque divinavit serpensne sit an malum aliquod et Herculi ignotum. iam eius *vultu* rictus suos infractos esse nuntiat.

---

[4]) quo Silius quoque respicit et VIII, 52 (ibid. 148 loco interpolato) et I, 93 *ante pedes ensis Phrygius iacet.* Senecae loco iam Farnabius Vergilium adhibuit.

v. 1302 sic patrem compellat:

Giganta crede; non minus caelum mihi
asserere potui: dum patrem verum puto,
caelo peperci. sive crudelis pater
sive es misericors, commoda nato manum
properante morte.

hoc dicit: caelo peperci quia verum te patrem habui. subaudimus ultro: iam cognovi te verum patrem non esse, quem colorem antea iam pluribus persecutus est (1248 *iam iam meus credetur Amphitryon pater*). sed pergit: '*sive crudelis pater sive es misericors*', quasi de vero patre neutiquam dubitet. debuit utique: sive verus pater es sive falso creditus (sic fere: *sive tu verus pater seu fama falsa est, commoda dextram mihi*). Hercules postquam audivit se Nessi fraude occidere iam fata expleri sentit (1473):

quercus hanc sortem mihi
fatidica quondam dederat et Parnassio
Cirrhaea quatiens templa mugitu nemus [5])

quis haec intellegat? unumne idemque oraculum illi Delphis ac Dodonae evenisse? legerat nimirum qui haec scripsit Herculem Sophoclium ita loquentem (1159):

ἐμοὶ γὰρ ἦν πρόφαντον ἐκ πατρὸς πάλαι
ἀνδρῶν πνεόντων μηδενὸς θανεῖν ὕπο,
ἀλλ' ὅστις Ἅιδου φθίμενος οἰκήτωρ πέλοι.

tenemus unam sortem quae iam ratum habuit eventum:

ὅδ' οὖν ὁ θὴρ Κένταυρος, ὡς τὸ θεῖον ἦν
πρόφαντον, οὕτω ζῶντά μ' ἔκτεινεν θανών.

sed pergit:

φανῶ δ' ἐγὼ τούτοισι συμβαίνοντ' ἴσα
μαντεῖα καινὰ τοῖς πάλαι ξυνήγορα,
ἃ τῶν ὀρείων καὶ χαμαικοίτων ἐγὼ
Σελλῶν ἐσελθὼν ἄλσος εἰσεγραψάμην
πρὸς τῆς πατρῴας καὶ πολυγλώσσου δρυός.

habes alterum oraculum; quod cum Dodonae datum esse dissertis verbis dicatur, quidni prius illud Delphici Apollinis ore ab Iove acceperit? tam claude autem et oblique poeta Romanus haec inter se coniunxit, ut de una tantum sorte loqui videatur. cuius verba et ipsa originem satis luculenter testantur, quippe quae ex Sophoclis gemino carmine item in unum conflata sint:

---

[5]) pro *nemus* scribendum esse *specus* recte coniecisse credo Wilamowitzium. ipse volueram *tripus* (*ἴαχεν ἐξ ἀδύτοιο διὰ τριπόδων ἐριτίμων*), sed mugitus est terrae fragor.

1476 *dextra peremti victor Alcide viri olim iacebis* (1160 ἀνδρῶν πνεόντων μηδενὸς θανεῖν ὕπο). *hic tibi emenso freta terrasque et urbes finis extremus datur.* (1169 ἥ μοι χρόνῳ τῷ ζῶντι καὶ παρόντι νῦν ἔφασκε μόχθων τῶν ἐφεστώτων ἐμοὶ λύσιν τελεῖσθαι.)

iam promisso me stetisse arbitror; sed pro corollario addam 1595 sq.

heu quid hoc? mundus sonat. ecce maeret,
maeret Alciden pater; an deorum
clamor an vox est timidae novercae?
Hercule an viso fugit astro Juno?
passus an pondus titubavit Atlas?

haec proposito conveniunt. sed audi quae secuntur:

an magis diri tremuere manes
Herculem et visum canis inferorum
fugit abruptis trepidus catenis?

ubi *magis* pro *potius* dictum esse in transcursu moneo; nec attinet singula in hoc loco reprehendere. mundus sonuit: inde coniecturas capit chorus; at ut conicere possit manes trepidare Cerberoque aufugiente tumultum exoriri, fragorem imo de fundo audisse debet, ut Hf. 521

cur mugit solum?
infernus imo sonuit e fundo fragor. [6])

hoc non eius est qui usque ad vitium accedat — necesse est

---

[6]) minime excusatur poeta Statii loco Theb. X, 913

ipsa dato nondum caelestis regia signo
sponte tonat, coeunt ipsae sine flamine nubes
accurruntque imbres; Stygias rupisse catenas
Iapetum aut victam supera ad convexa levari
Inarimen Aetnamve putes,

nam caelum peti ab inferis tonitrua indicare possunt. — in cantico de quo agimus v. 1564 sq. valde admonent Lucani I, 50 sq. inprimis conferatur 1572 sq.:

horrido tantum procul a leone
det pater sedes calidoque cancro

cum I, 53 *sed neque in Arctoo sedem tibi legeris orbe*
nec polus eversi calidus qua vergitur austri e. q. s.

Claudianus III cons. Honor. 170 sq. non Senecam expressit ut alias, sed Lucanum. cf. HO 1599 et Luc. I, 56 *aetheris immensi partem si presseris imam, sentiet axis onus.* — ceterum Lucanum tragoedias patrui lectitasse et ultro credimus nec desunt vestigia. confer si tanti est Hf. 67 cum Luc. I, 150; Hf. 251 — Luc. I, 667 (cf. 175); Oed. 967 — II, 184; Phaed. 32 sq. — IV, 439 sq.; Tro. 152 — VII, 612 (cf. Sil. II, 366; XIII, 271); HO 359 — VIII, 77; Thy. 317 — VIII, 282 (cf. Claud. III. Hon. v. 85) alia.

enim hoc facere aliquid grande temptanti —, sed qui ipsum vitium amet, ut Senecae verbis utar (ep. 114) qui ipse ex priore genere fuit.

Deinceps vero non tantum prave cogitantem ex acuto scriptore et sententiarum vibrantium quidem et subinde putidarum, at ingeniosarum plerumque artifice factum esse Senecam, ut qui Herculem Oetaeum post reliquarum unam alteramque scripserit, sed et linguae inopem ex copioso, scribendi socordem ex subtili nec nimis indiligenti ut probem sequitur.

atque Senecam in tragoediis curiosissimum semper variandi sermonis fuisse, abstinentissimum repetendi similia minime dixerim. raro quidem, sed offendunt qualia in nutrice Phaedrae statum enarrante ter repetita incerti gradus mentio (367 *nunc ut soluto labitur moriens gradu* 374 *vadit incerto pede iam viribus defecta* 377 *iam gressus tremunt*) vel vox *gena* brevi intervallo bis diverso significatu usurpata (364. 381). exempla volenti dabit praecipue Thyestae media pars: quae tragoedia cum e deterioribus sit, optime docebit quanto ab ea quoque intervallo Hercules Oetaeus distet. cuius quamcumque partem inspexeris, in molesta elocutionis inopia offendes. sume de morte Herculis narrationem in qua et alia notes et haec: 1656. 58 *fallet. fallunt.* 1655. 57 *certa. certam.* 1671. 72 *vocibus. voce.* 1672. 75 *feminea. femineus.* 1686. 89 *haesere. haesit.* 1713. 14 *hic dies. hic dies.* 1743. 44 *ardens. ardentem;* vel Deianirae cum Hyllo conloquium v. 742 sq. in quo e. g. viciens bis terve vocem *manus* in fine versus positam deprehendas; vel canticum de Orpheo supra satis notatum in quo, ut alia mittam, haec largitus est: 1031 *cecinit* 1046 *cantibus* 1051 *cantibus* 1054 *cantus* 1071 *cantu* 1088 *cantus* 1090 *cantibus* (cf. Goebelius l. s.).[7])

alia conquirant quibus haec non sufficiunt. taedet enim rei exempla cumulare quae posteriorem fabulae partem vel somnolente percurrenti nauseam movet.

neque vero repetitis tantum dictionibus incuriosa elocutio offendit, sed magis etiam sententiis neglegenter constructis sive vitiose pronuntiatis. ut 915 *teque languenti manu non audit arcus.* 1511 *suum dici esse voluit.* 1604 *quem tulit Poeans.* 1854 *cessate matres, pertinax si quas dolor adhuc iubet lugere quas luctus gravis in saxa vertit.* 1925 *et Centauris Thessala motis ferit attonitos ungula manes,* et alia multa quae bono illius aevi scriptore indigna videntur. sed erunt qui male de-

[7]) plura eius generis D. Heinsius adfert p. 347 ed. Scriver.

cantatum illud de bono Homero praetendant et Senecam mediocrem certe poetam quandoque dormitantem non mirentur. demonstrandum igitur quod unum adhuc restat, haud pauca scilicet ferri in hac fabula quae a Senecae usu aliena sint.

atque metricas quidem rationes inter hanc ceterasque fabulas ita aequales esse, ut haud magno temporis spatio sine dubio omnes distineantur, primo loco diximus. quo certe non levamur officio quae forte Hercules Oetaeus diversa habeat examinandi. primum vero quomodo aequalitatem istam intellectam velim exemplis uno alterove exponam e quibus quantulumcumque hanc quoque in quaestionem lucri fiat.

creticos in trimetri fine positos cum antecedente vocabulo coalescere fere legitimum est in Senecae tragoediis (cf. B. Schmidt de emend. Sen. trag. p. 37 sq.); quod tragicorum Graecorum usu et auctoritate factum esse et Schmidtius vidit et confirmatur comparata versuum latino ritu compositorum arte: Terentii enim ut exemplo utar, in Hautontimorumeno 489 trimetros complexa 174 cretici in fine versus extant quorum 27 (i. e. 7 inter centenos) cum voce antecedente coalescunt, 147 (i. e. 30 inter centenos) non coalescunt; item in Phaedri versibus 7 inter 100 coalescunt, 20 non coalescunt. inter Senecae vero trimetros centenos clauduntur creticis cum antecedente voce coalescentibus in Hf. 11, 6, non coalescentibus 2, 1; Thy. 9, 8: 2, 05; Phoen. 10, 2: 1, 5; Phaed. 10: 1; Oed. 8, 4: 0, 5; Tro. 10: 1; Med. 11, 2: 1, 9; Ag. 7, 3: 1, 1; HO 9, 4: 0, 8. in quibus nullam fere differentiam esse vides; in Octavia vero et creticorum usus rarior et non coalescentes prorsus evitati sunt, si recte nuper v. 457 eieci (Herm. X, p. 439). contra invenitur in Octavia bisyllabum bibreve non coalescens cum cretico (393 *genus impium*); cuius rei exemplum cum praeterea in his tragoediis non extet, ter in Hercule de qua agimus occurrit: *caret Hercule; feror obruta; daret Hercules* (406. 757. 1847). cf. Schmidt p. 53.

alterum si iam ab alio occupatum sit me certe fugit. nempe synaloephae usum quem fere nullum esse in personis mutandis Schmidtius (l. s. p. 20) rectissime observavit, artiore etiam lege vel in lenissima sententiarum distinctione adstrinxit. admittitur autem omnium facillime in gravibus monosyllabis: *et ac* persaepe, *hic hinc* etc. unde viciens, *in ab ad ex* octiens, *ut* deciens, *aut an* sexiens, in interiectionibus (*o a*) ter quaterve, *haud* Phoen. 377 *en* Oed. 1053. voces plus quam bisyllabae non coalescunt nisi in secunda syllaba acutae ut synaloepha in arsi fiat: quod ter deciens accidit; in thesi tantum

Med. 679 Phaed. 1185 Thy. 208 Hf. 707 Oed. 275 Tro. 671 Phoen. 231; nam Tro. 788 id falso inlatum esse supra docui et HO 1794 non cum Peipero *supersum, antiqua* scribendum videtur sed *supersum, a quanta supplicia expetet (a qua E).* nusquam vero plus quam bisyllabum in prima syllaba acutum in arsi coalescit; quod inferre voluit HO 1330 Madvicus scribendo *nascatur otium. undique infestum caput* e. q. s.: nusquam dico praeter Phoen. 149 *tela quae ferant letum auferes,* ubi et pausa fere nulla est et in versus exitu excusatio. denique bisyllabae tantum *ubi* Phoen. 17 Hf. 1153 *ego* Phoen. 222. 224 (cf. Lehrs in Fleckeiseni annal. 89 p. 187), quae graves sunt, et, si quidem Tro. 346 cum *A aequor* scribendum est, non *aequora* (*Thetide aequor, umbras Aeaco, caelum Iove*), in Hercule Oetaeo *ipsas* v. 768 et *inquit* v. 823. Octaviae autem scriptor synaloepham in interpunctione nusquam sibi concessit, ne in monosyllabis quidem. [8])

itaque in summa aequalitate modo neglectam modo duriorem in Hercule Oetaeo synaloepham deprehendimus. alia perpauca sunt. nam 981: *et quidquid aliud restitit: ab illis tamen coniunx redisti* quamquam sententiae optime convenit et quidquid tentatum est pingui Minerva tentatum est, tamen cum in *E* legatur *quidquid aliud cessit*, de vera lectione iure dubitatur. v. 906:

ter parricida factus ignovit tamen
sibi: nam furoris fonte Cinyphio scelus
sub axe Libyco tersit.

durior quidem esset v. 907 quam ullus Senecae versus si recte ita scriberetur: nam post anapaesti primum pedem obtinentis thesin gravi interpunctione posita versus corruit. sed verum est quod in *E* legitur:

ignovit tamen
sibi, non furori: fonte Cinyphio e. q. s.

paullo longius a Senecae usu recedit v. 939:

scelera quae quisquam ausus est
hic vincet error

siquidem monosyllabum in fine versus non fertur nisi antecedente monosyllabo (Schmidt p. 39: omisit Oed. 1016 *sub hoc*, 938 *sat est*) nec venia posita est in verbo substantivo non

[8]) novum hoc argumentum accedit quo v. 457 spurium esse comprobetur. at quem item l. s. eicere volui Agamemnonis versum (794), cum iniuria tentavi. etenim neglexi acumen in eo situm esse quod Agamemnonem Cassandra cum Priamo comparat. praeterea huic versui a graeco nomine excusatio parata est, Octaviae loco a latino non item.

coalescente. etiam 1354 réprehendendus scriptor est quod *iratae sat est* scribere maluit quam *iratae est satis*; id quod in v. 1858 non cadit si recte Peiperus scripsit *sat es*. sed prava quoque invicem se tuentur. pessimus est v. 1298

votum spopondit. nullá propter me sacro

quod ut vidit Bothius temere correxit. similis non similis extat 302

pro me gerebas bella, propter me vagas,

qui ut multo minus offendat caesura semiseptenaria efficit; et eius gemellus est Phoen. 336

superate et aliquid facite, propter quod patrem.

haec fere sunt quae de trimetris post alios observanda videantur. nam 1861

defessa quamquam bracchia, ut invidiam deis

trecentis abhinc annis correctum est: nec certe Bentlei aures habuit N. Heinsius qui 1652 (*virtute felix iuvenis has numquam inritas* e. q. s.) coniecit *his utere felix*. at si Peiperi aetate vixisset res metricas melius edidicisset.

in canticis aeque perpauca a communi tragoediarum more recedunt. synaloepham longarum vocalium in Hercule Oetaeo magis etiam quam in reliquis vitatam esse ea docent quae B. Schmidtius p. 25 sq. composuit. tamen unum inter omnes illa quamquam lenissimi generis exemplum habet longae vocalis cum brevi in canticis coalescentis: 1956 *certe ego te vidi*. tetrametri dactylici in quibus illud invenitur uno tenore decurrunt, ut Phaed. 761—63: Oed. 449 sq. non item (B. Schmidt. p. 59). de anapaesticorum arte non habeo quod a Schmidtio observatis addam (p. 67 sq.): quod praeter Octaviam semel in Hercule priore factum est (1064 *solvite superi*), bis in HO. invenimus: 185 *fingite superi* (*figat A*) et 1883 *Arcades obitus*. nam 1887 quem huc trahebant viri docti Gronovii testimonio decepti non *poscite* in *E* legitur sed *poscit*, ut cum 1888 coniungendus sit et sic legendus:

magno Alcidae poscit gemitum
stratus vestris saetiger agris.

de aliis metris adferre tantum possum quod 151

nullis vulneribus pervia membra sunt

in asclepiadeis dodecasyllabis unicus est monosyllabo terminatus (v. s. de v. 939); contra 1543

iusserint nasci iacet omnibus par

non unicus e sapphicis. quamquam praeter Tro. 858 (*quod manet fatum dominusve quis te?*) et 1018 (*nemo se credet*

miserum licet sit) nullus extat. praeterea dudum observatum est has voces: *Hebrus Cyclas hydra fibra* in Oetaei trimetris corripi praeter reliquarum usum (B. Schmidt. p. 34). item Schmidtius vidit formas contractas *perit* etc. nusquam in canticis extare nisi ter in HO 1863 sq. (p. 10).

his omnibus ne coniunctis quidem multum probari libenter concessi et concedo. iam in eis paululum immorabimur quae ad elocutionem spectant. de qua Richterus p. 24 sq. nonnulla congessit quorum aliis utemur alia merito neglegemus.

atque ut primum orthographica quaedam tangam, recte observatum est in Peiperi et Richteri indice formae quae est *quom* tantum in hac fabula certa vestigia comparere: nam in *E* scriptum est 587 596 *quum*, 607 *quem*, 610 *quom*; praeterea 301 *qum*, 208 *quin* i. e. *qum*; deinde fere ubique *volgus volus* et *inclutus* quo epitheto frequenter utitur: in reliquis ubique *cum vultus inclitus*. item ad verborum formas attinet quod in illa *colus* et *domus* plurali numero quartam declinationem secuntur: *domus* quidem quarto casu tantum 1917 servatum est; sed 1633 latere videtur in *nemus:* recta enim praeter vocalem coniectura in Moguntino scriptum est *domos*. item *colus* (Richter. p. 26) sic legitur 218. 768. 1084. 1097; *colus* 1. m. ex *colos* 668; *colos* 372. et *colus* poetam scripsisse efficitur versu 1180 (*perque tam turpes colus mea mors cucurrit*), ubi in *E* extat *tam turpe scelus*. in reliquis ubique et *domos* et *colos*.

758 *non sola maeres Herculem: toto iacet*
mundo gemendus

omnes codices habent, forma non inaudita (cf. Prop. IV, 11, 57 *urbs* — *toto quae praesidet orbi*), sed a Seneca aliena et fortasse librariis imputanda. [9])

de usu loquendi quaestionem qui profligare velit ei colligenda et proponenda esse omnia non sine ratione contendunt; sed ubi de scriptoribus agitur fere aequalibus et eadem disciplina penitus imbutis, melius singulis quibusdam locis res inlustrabitur. initium a levioribus faciamus.

genus pro genere humano quater positum attulit D. Hein-

[9]) *tabe* semper sexto casu ut Phoen. 164. Med. 641. cf. Charis. p. 93, 24 *alia nominativum et ablativum habent ut tabes pluris sireps. faciunt enim ab hac tabe plure siremse. Cinna autem in Zmyrna huius tabis dixit nullo auctore.* cf. p. 145, 31. accusativum interpolator *A* invexit v. 520, ubi *tabum fluentem E* habet et spretis aliorum coniecturis legendum est *tabum fluente volneris dextra excipit.* item *rursumque* v. 1768 *A* (*rursusque E*): Seneca semper *rursus*. cf. Charis. p. 216, 31.

sius p. 345 ed. Scriver. qui quae non inutiliter congessit maximam partem huc pertinent; item Richterus p. 26 *quamquam* non ad verbum finitum accedens (1861 *defessa quamquam bracchia;* addere potuit 1506 *quin ipse, quamquam Iuppiter, credi meus pater esse gaudet*). de particulae *sive* usu alio loco agemus. hic memorandum est tantum secundo loco diiunctis sententiae membris non apparere eam nisi 1652

virtute felix iuvenis has numquam inritas
mittes in hostem; sive de media voles
auferre volucres nube, descendent aves e. q. s.

cf. CFW Müller über den gebrauch von *sive* p. 11. proprius est huic scriptori ablativus absolutus substantivo obnoxius, v. 1500 *sive nascente Hercule nox illa certa est* et 1884 *nondum Phoebe nascente genus.* idem posuit *quiescere* ut verbum agens: 1586 *quam tuas laudes populi quiescant* quod attulit Heinsius. de v. 1830 *sunt haec satis praesidia* cf. Burmann. ad Ovid. met. III, 149. item de v. 1592 *semper impensum tenuisse ferrum* Lachmann. ad Lucr. p. 374.

v. 1243 *haecne illa cervix? hasne ego opposui manus* [10])
caelo ruenti? quis mea custos manu
trahetur ultra Stygius?

hic *ultra* significat *praeterea, posthac,* praeter canem semel tractum. reliquis locis proprio sensu hoc adverbium usurpatur [11]): Thy. 745 *an ultra maius aut atrocius natura potuit?* 747 *quid ultra potuit?* Tro. 287 *exactum satis poenarum et ultra est.* Oed. 860 *quid quaeris ultra?* et sic HO 1320 *quid quaeris ultra?* 1479 *nil querimur ultra.*

v. 796 *gemitus in medias preces*
stupente et ipso cecidit; hinc caelum horrido
clamore complet

ut hoc loco *hinc* (*hic A*) idem significat quod *tum*, sic 1155 *inde* idem quod *deinde*:

vincet scopulos inde Typhoeus

et 1157

feret Aetnaeos inde caminos,

utrumque Senecae quantum sciam nusquam usurpatum (paulum aliter Phaed. 551 *hinc terras cruor infecit omnes*). addi licet

---

[10]) Gronovius *moras* scripsit quod placuit Peipero. deterrere potuit Hf. 528 *caeliferam manum.* iam efficacior erit metopa Olympiae recens effossa, in qua re vera manus Herculis caeliferae sunt.

[11]) Phoen. 366 *misera non ultra suo sceleri occucurrit* correxit N. Heinsius scribendo *ultro.* item Oct. 462 scribendum est: *an patiar ultro sanguinem nostrum peti?* (sic Richteri Lugdunens. et ex meis Lugd. 101 et 372; Ambr. H 77 inf.; Ricc. 526).

usum adverbii *deinde* Senecae non magis notum, quo non temporis progressum indicat sed quod ante dictum est cum vi quadam ad particulam interrogativam accedens repetit: sic 859 *cur deinde ferrum?* cum praecesserit *occupa ferrum ocius;* et 1408 *cur deinde latebras aut fugam vaecors petam?* cum praecesserit *quas petam latebras anus?*

v. 1760 *o quanta Titan ad nihil moles abit*

sic *E, in nihil A:* noverat enim interpolator constantem Senecae aliorumque usum; praecipue ex Ovidii transformationibus notissimum est abeundi verbum translato sensu, quo idem significat quod *mutari*, cum *in* praepositione coniunctum (cf. II, 674 *crines — in densas abiere iubas.* III, 397 *et in aera sucus corporis omnis abit.* IV, 396 all. IX, 152 Laurentianum praebere *incursus animus varios habet* (*abit M*) testari possum); item Seneca Thy. 772 *piceos ignis in fumos abit.* Oed. 67 *pars quota in cineres abit?* Oed. 320 *ultima in tenebras abit.* sic Sen. ep. 23, 6 (*voluptates*) *in contrarium abituras.*

forsitan vel *forsan* cum indicativo futuri poetis non inusitatum esse, multo rarius cum indicativo praesentis vel praeteriti coniungi notum est. Vergilii locum non habeo nisi quem Priscianus adfert II, p. 248, 91 (aen. IV, 19 *huic uni forsan potui succumbere culpae*). Ovidius am. I, 6, 45 *forsitan et tecum tua nunc requiescit amica.* her. II, 14 *nec tenuit cursus forsitan ille tuos.* 103 *te iam tenet altera coniunx forsitan.* trist. I, 1, 69 *forsitan expectas.* V, 10, 40 *forsitan obiciunt.* 50 *non merui tali forsitan esse loco.* fast. II, 93 *forsitan infelix ventos undasque timebas?* ex Pont. III, 4, 12 *aut etiam nullum forsitan ante fuit* (cf. 3, 33). IV, 1, 27 *rogas forsan.* 13, 13 *potest — forsitan* (III, 9, 10 legendum videtur *dixerat;* ‘meliores’ Heinsii *dixerit*). iuvenis igitur et senex illud sibi indulsit. quibus adde her. 19, 136 *forsitan alter adest.* 141 *et forsitan oscula iungit.* 20, 103 *forsitan haec spectans a te spectabar Aconti* (pudet enim haec post Diltheium in editionibus desiderari). cf. Burmann. ad her. 4, 53. Propertii duos locos novi: II, 9, 22 *forsitan et de me verba fuere mala* et IV, 23, 11 *forsitan haec illis fuerant mandata tabellis* (ubi *fuerint* Heinsius). Tibullus I, 10, 13 *et iam quis forsitan hostis — tela gerit.* Horatius Catullus Manilius Persius Silius nusquam nec Petronius in versibus (sed p. 96, 17 Buech. ed. mai.) Lucanus quinquiens, e quibus quattuor noni libri versus sunt (V, 93. IX, 63. 474. 865. 877), Statius in Thebaide quater (I, 554. X, 335. 702. XII, 398), in Achilleide nusquam, in silvis bis (II, 6, 101; V, 3, 185); Valerius ter (I, 170. 712.

VII, 129). Seneca in pedestribus et praecipue in epistolis haud raro idem admittit: epist. 22, 7 *expectas forsitan.* 26, 9 *supervacuum forsitan putas.* 87, 14 *ubi forsitan non potest arte.* 92, 18 *nobis forsitan non aeque adparet.* NQ II, 32, 7 *submissiora forsitan propius in nos vim suam dirigunt.* nec omnino vitavit in tragoediis; sed ut in omnibus praeter HO. bis inveniatur: Phaed. 238 *tibi ponet odium, cuius odio forsitan persequitur omnes?* et Thy. 747 *obiecit feris lanianda forsan corpora?* in Hercule Oetaeo quater:

361 *ipsas misericors forsan aerumnas amat.*
768 *ipsas forsitan trepida colus Clotho manu proiecit*
1780 *teque venientem inferi timuere forsan*
1791 *forsitan poenas petit (petet A)*

quo accedit quod v. 574 *fors* positum est pro *forsan:*

sed iecur fors horridum
flectam merendo (forsan E)

id quod apud Senecam nusquam invenitur, sed apud Vergilium e. g. aen. II, 139. V, 232. Horatius tantum I, 28, 31 *fors et debita iura vicesque superbae te maneant ipsum.* ex epicis post Vergilium frequentius unus Statius: Theb. II, 361. IV, 204. VII, 365. X, 324. silv. III, 1, 162; 4, 4; V, 3, 62; V, 4, 14 ex coniectura Marklandi. bis Valerius Flaccus (III, 665. IV, 620), nusquam Lucanus et Silius.[12])

pronominis personalis casus genetivus interdum ad substantivum ita accedit ut ultro cum pronomine possessivo mutari

---

[12]) nusquam, si quidem Sil. VIII, 146 (*me quoque fors quondam dulci vir notus amore expectat*) interpolatus est ut totus locus 145—225 qua de re si quis adhuc dubitet et illud possit argumento esse et alia quaedam quae indicasse satis erit. v. 199 *et placido Teucros adfarier ore:* infinitivi formas in *ier* Vergilius quidem has admisit *accingier* IV 493 *dominarier* VII, 70 *defendier* VIII, 493 *admittier* IX, 231 *furier* XI, 242 *inmiscerier* georg. I, 454 et paulo plures Horatius in sermonibus et epistulis (*laudarier sectarier avellier mercarier torquerier labier faterier curarier*), uno tantum loco in carminibus (IV, 11, 8 *spargier agno*); quem secutus est Persius (I, 28. 50 *dicier. fallier*); Ovidius etiam et Propertius (*scitarier* met. II, 741 *torquerier* Pr. IV, 6, 39) nisi quis me fugit singula, nullum Tibullus exemplum praebet. ex epicis post Vergilium tantum Valerius II, 421 *adiungier;* sed nec Lucanus nec Statius nec Silius nisi hoc ipso versu VIII, 199. — v. 218 *cumque alio tibi Flaminio sunt bella gerenda* colore non inepto quidem dicit sed, si haec genuina sunt, centum versuum spatio bis usurpato: v. 309 *expectatur que sub ictu alter Flaminius;* ubi *alter* rectius dictum est quam *altus* v. 218. addere plura possem, sed quae maiorem quam par est sermonis ambitum sibi postularent. ceterum non una haec in Silii carminibus lacuna est; multa, quidquid oblocuti sunt viri docti, inter XVII, 290 et 292 intercidere; cui iacturae sarciendae v. 291 interpolatus est.

possit. quod cum mediae latinitatis scriptoribus frequentatum sit, certe plerumque librariorum culpa factum erit. sic in uno Ovidii loco quem huc referre possis (nam VII, 745 *offensaque mei genus omne perosa virorum* aliquantum differt ab illo) met. I, 30 *et pressa est gravitate sui* dubitamus utrum bonos libros Marcianum et Laurentianum an Bernensem VIII. saeculo exeunte scriptum (cf. Riese Ovid. II praef. p. 8) sequendum iudicemus, quem *sua* praebere Hageni beneficio nuper comperimus; non dubitaremus nisi et ille, optimum licet ad Ovidii recensionem tandem aliquando cum ratione instituendam adiumentum, tamen interpolatoris manum prae se ferret: ut de Ovidii transformationum codice non interpolato usquam inveniendo desperandum sit. Vergilii locus qui proxime accedit, aen. IV, 654 *et nunc magna mei sub terras ibit imago,* valde tamen ab Ovidiano distat et item Catulli versus 63, 50 *patria o mei creatrix* ubi cum Guarino *mea* scribere inutile est. in tragoediis praeter HO. nihil eius generis invenitur; in illa v. 557 *peribat formam mei* (*flammas mei A* minus dure) 954 *nunc veram tui agnosce prolem* (*tuam A*) 1217 *nam quis dignus necis Herculeae superest auctor nisi dextra tui?* ubi *tua* ab Ascensio est. accedunt 949 *recipe me comitem tui A tibi E.* 1242 *haec moles mei est A mea est E.* 1502 *licet sit falsa progenies mei E mihi A.* prope accedit 1966 *quidquid in nobis tui mortale fuerat, ignis evictus tulit* locus sine dubio corruptus; nam cum dicere velit: quidquid tui habui mortale erat (v. 1968 *paterna caelo, pars data est flammis tua*), nunc dicit: quidquid eorum quae ex te habui mortale fuerat ignis tulit. fortasse: *quidquid in nobis tui, mortale fuerat: ignis haec victus tulit.* denique cf. Sen. contr. II, 2, 9 *ecce obiurgator nostri quam effrenato amore fertur.* exc. III, 7 *ipse sui et alimentum erat et damnum.* decent haec rhetorem.

Haasius in praef. Sen. III p. XIII observavit particulam *haud* in pedestribus a Seneca nusquam usurpari. eam in tragoediis minus etiam vitavit quam *etsi* coniunctionem (cf. Haas. ibid.) quae legitur Ag. 932 (403 iniuria infertur), Oed. 509, Med. 294. 442. (Tro. 245 *et si* scribendum est ut 534 scribitur.[13]) *haud* cum in tragoediis omnibus inveniatur, *haud dum* pro *nondum* tantum HO 80 (cf. p. 30).

praeter ea quae iam attulimus Richterus l. s. complures proposuit particulas verborumque formas quae tantum in Her-

[13]) *etsi* Tibullus quoque vitasse videtur, non vitavit Lygdamus (III, 6, 47).

cule inveniantur, in reliquis desiderentur; non omnia recte: nam *prŏpter* extat Phoen. 336; *aliqua* 1849 valde ex Senecae more dictum; v. 821 cum Gronovio et Heinsio legendum est:

truncus in pontum cadit,
in saxa vertex: unus ambobus iacet.

denique *nempe* noviens quidem in hac tragoedia legimus, in reliquis raro; sed v. 351—379 quinquiens quasi in una periodo ut membra argumentationis conectat. nos quo huic disputandi generi finem faciamus, exemplo adhuc uno demonstrabimus non inutiliter in talibus indagandis operam consumi.

interiectionum usus apud poetas multo artioribus finibus circumscriptus est quam vulgo credunt. sic in HO 1402 quod Richterus inferre voluit *vae mihi,* ego aliter sentio; nam *vae* in his tragoediis nusquam invenitur et omnino raro: Verg. ecl. 9, 28. Ovid. am. III, 6, 101. Ibid. 203. her. 3, 82 (21, 169). Tib. I, 8, 53. Pers. 6, 50, plerumque adiecto *misero miserae.* Catullus praeter 64, 196 ex proba coniectura 8, 15 *scelesta vae te.* Prop. V, 4, 68 *nescia vae* e. q. s. Hor. I, 13, 3 *vae meum fervens — iecur.* cf. Bentl. ad serm. I, 2, 129.

pro Seneca saepius ita adhibuit ut ad numen testemve qui invocatur proxime accedat: *summe pro rector poli*; *pro sancta pietas, pro gubernator poli,* similia. Hercules Oetaeus eo a reliquis recedit, ut *pro* non invocandis tantum numinibus addat, ut 1531 *pro Titan,* sed subinde idem non arte cum alia voce conexum ut *o* aliasque exclamandi particulas ponat: 210 *pro si tumulum fata dedissent.* 1231 *pro quantum est malum,* alia e quibus optime rem inlustrat

1778 *o nimis felix nimis*
1803 *pro nimis felix nimis.*

heu me coniuncte positum Senecae usitatum est: Tro. 476. 681. Phaed. 898. 997. 1173. item HO 1761. Oct. 32. 169. cf. Bentl. ad Hor. epod. 11, 7.[14])

eheu Catullus et Horatius haud raro usurpant: Cat. 30, 6 *eheu quid faciant dic homines* (*oheu* Veron.) 64, 61 *prospicit eheu* Bergkius (*heue V euhoe* Lachm.) 77, 5 *eripuisti eheu nostrae crudele venenum vitae, eheu nostrae pestis amicitiae* (utroque loco *he heu G heu O,* correxisse videtur qui nuper Catulli

[14]) Enn. Hec. III v. 164 *heu me miseram* (*eheu* Nonii Leidensis. *hei* Hermann.). Pacuv. Niptr. frg. IX v. 264 *heu miserum me: heu me miserum* cum codd. aliquot Bentleius recte. Eurys. frg. VIII v. 346 *heu me miserum.* e comicis Handius plurima congessit.

carmina edidit; Itali *heu heu* more elegiarum: Tib. I, 4, 81; 6, 10; II, 3, 2; 3, 49; 5, 108. IV, 13, 17. cf. Burmann. ad Prop. II, 19, 23). Hor. I, 15, 9; 35, 33 (*heu* Blandin., *heu heu* alii) II, 14, 1; III, 2, 9; 11, 42. epod. 9, 11; 15, 23. serm. I, 3, 66; II, 3, 156 (ubi variant codd.). eum secutus Persius 5, 137: nam Neronis aevo nescio an rustici quiddam huic voci inesse visum sit. Trimalchio saltem in ore illam gerit:

eheu nos miseros, ut totus homuncio nil est,

et paullo ante: *eheu, inquit, ergo diutius vivit vinum quam homuncio* (p. 36, 11), ubi Tragur. *heheu,* Scaligeranus *heu* (ut Cat. 77, 5). item Seleucus (p. 46, 8) *heu eheu, utres inflati ambulamus,* ut Buechelerus recte interpretatus est Traguriensis scripturam *hey est hey.* Ovidius quater: art. am. I, 166. met. III, 495. fast. IV, 406. Pont. II, 10, 30; singulis locis Statius (Ach. I, 68) et Silius (XI, 212 ubi *heu heu* legebatur, *eheu* Colon.). nusquam Vergilius Propertius Tibullus Manilius Valerius Lucanus [15]); hac igitur interiectione Senecam non abstinuisse demonstravi p. 37 ubi Phaed. 868 *eheu per tui sceptrum imperi* e. q. s. in *E* scriptum esse rettuli. item Ag. 868 *eheu quid hoc est?* (Cassandrae verba, ut in Ennii Alexandro). sed et Oct. 290 et HO 1218 male coniecerunt *eheu;* hic saltem in *E* legitur: *heu qualis intus scorpios* e. q. s. (*heu quis A ehu* Ald.)

maioris momenti sunt quae de particula *ei* exponemus. atque ut *heu mihi* nusquam arte coniungitur (nam Hor. epod. 11, 21 (*ad non amicos, heu, mihi postis et heu limina dura*) *mihi* ad *amicos* spectat; item 5, 101 (*neque hoc parentes heu mihi superstites effugerit*) aut *mihi* si fieri potest ad *superstites* referendum aut *ei mihi* scribendum est, quod in epodis non recusandum), ita *ei* perraro invenitur non arte cum dativo pronominis personalis, atque eius quidem ubique primae personae, conexum. Verg. catal. 3, 3 *tuone nunc puella talis ei tuo stupore pressa rus abibit?* Catull. 68, 92 *ei misero frater adempte mihi, ei*

[15]) Enn. Alex. frg. VII v. 54 *eheu videte* (sic Cassandra). Thy. IX v. 307 *eheu mea Fortuna* (sic Lachm. ad Lucr. p. 36. *heu* vel *eu* codd. *heu heu* Vossius). frg. inc. LV v. 402 (*heu mea puella spe quidem id successit tibi*), ubi *eheu* vulgo legebatur, corrigunt *e spe* et *successit.* trag. inc. inc. frg. X v. 22 Ribbeckius scripsit *heu heu* ut grammaticorum normae de *heu* et *heus* satisfaceret. sed recte Charisius (p. 242, 6) *heus heus pater heus Hector* (quae sunt Cassandrae verba ut Ribbeckius voluit, non Astyanactis ut Naekius opusc. I, 350): *heus* doloris nota est e. g. Ovid. her. 6, 41. Stat. Theb. IX, 385. — *ei mihi* Pacuv. Eurys. frg. XII v. 351.

misero fratri iucundum lumen ademptum. 77, 4 Lachmannus emendavit: *ei misero eripuisti omnia nostra bona* (*si V*), item 101, 6 nunc legitur: *ei misero indigne frater adempte mihi* (*heu miser V*). sed sine dubio pessime HO 1321 Gruterus coniecit *ei nulla tellus.*

ei mihi igitur apud Catullum praeter locos modo laudatos semel extat ex Lachmanni emendatione 76, 21

ei mihi, subrepens imos ut torpor in artus
expulit ex omni pectore laetitias (*seu V*)

Vergilius ter idem posuit. aen. II, 274 *ei mihi qualis erat.* XI, 57 *ei mihi quantum praesidium — perdis* (*et R* ut saepissime codices pro *ei*) XII, 620 *ei mihi quid tanto turbantur moenia luctu?* et e Scaligeri emendatione catal. 3, 4 *ei mihi, ut iste versus usquequaque pertinet.* non plus quattuor locis Propertius (I, 3, 38. II, 4, 1. V, 1, 58; 8, 48), tribus Tibullus (II, 1, 70; 6, 28. III, 6, 33). inter epicos poetas post Vergilium Valerius quinquiens (I, 327. VI, 624. VII, 236. 284. 483), Silius semel bisve (XIII, 655 et XV, 732, ubi in codd. aliquot verba ista omittuntur) et omnibus quos adhuc recensuimus frequentius Statius, scilicet in Thebaide undeciens (III, 6. 710. IV, 644. VI, 156. VIII, 111. IX, 629. XI, 285. 624. XII, 99. 340. 379), in Achilleide 1, 535, in silvis ter (II, 6. 14. V, 2, 160; 3, 225). nusquam Lucanus Horatius Manilius alii quibus nec suspirandi nec eiulandi occasionem carminum materia dabat. sed loci isti cuncti si computentur non aequabunt unum Ovidium qui *ei mihi* quadragiens fere posuit, et, si epistolas Deianirae Paridis Helenae Leandri Acontii Cydippae Ovidii nomine paulisper uti non vetes, quinquagiens. quorum locorum in eroticis decem, in transformationibus quinque, in fastis duo, in tristibus et ex Ponto epistolis quattuordecim inveniuntur. memorandum autem est *ei mihi* praeter Vergil. XI, 57. Prop. I, 3, 38. II, 4, 1. V, 8, 48. Petron. p. 132, 9 (ubi Buechelerus *et* solemnem errorem emendavit). Val. Fl. I, 327. Stat. Theb. IV, 644. VI, 156. silv. II, 6, 14. Sil. XIII, 655. XV, 732 ubique, et apud Ovidium sine exceptione, in versus initio conlocari, ut et hoc possit indicio esse Helenae epistolam non scripsisse Ovidium. cf. v. 246

ibit per gladios ei mihi noster amor.

iam ut ad Senecam nos convertamus, ille hac interiectione omnino nusquam usus est. usus est Octaviae scriptor v. 150

intravit hostis ei mihi captam domum

et Herculis Oetaei his locis:

1024 *fugit attonita ei mihi.*
1172 *impendo, ei mihi,*
in nulla vitam facta (impendo male A).
1181 *cadere potuissem, ei mihi,*
Iunonis odio (potuisset mihi E potuissem m. A, correxit Lipsius).
1205 *perdidi mortem, ei mihi,*
totiens honestam (perdidi et mortem mihi E).
1402 *ei mihi, sensum quoque | excussit* e. q. s.
1783 *si quis tamen*
rex est relictus saevus. ei miseras mihi.

et hoc nescio an eos quoque qui adhuc restiterint invitos meam in partem tracturum sit.

sed ipse iam deprecor ne plaudatur praepostere. tantum enim abest ut omnes mihi scrupuli exemti sint, ut facere non possim quin gravem ipse dubitationem moveam. etenim animadverterit forsan lector attentus argumenta quibus ad tragoediam Senecae abiudicandam usus sum fere omnia ex posteriore fabulae parte sumpta esse, ex actibus, ut cum editoribus qui ante novissimos fuere loquar, tertio quarto quinto. neque id casu factum est, sed quae praecedunt re vera paucissima praebent suspicioni merito obnoxia. itaque ut nullus dubito quin a v. 706 quae secuntur ad finem usque fabulae a Seneca scripta non sint, priore fabulae parte denuo examinanda supersedere non possumus.

incipit autem tragoedia in declamatione Herculis qua caelum sibi deberi multis argumentis evincit et si quae adhuc perpetranda restent quibus ad dignitatem istam consequendam opus videatur, ea se libenter aggressurum profitetur; at iniustum esse quod ferae quas devicerit astris insertae sint victore in terris relicto quodque Apollo Bacchus Perseus Pythone oriente Gorgone victis caelum obtineant: multo se maiora perpetrasse. divisio haud inepta est et declamatio ad artis leges composita. multa quaesite, multa turgide dicta sunt, pauca patide. sententias aperte male conexas, perverse pronuntiatas, inter se pugnantes, quale ineptiarum genus supra tractavimus, in hac oratione non deprehendas. versus verbaque permulta inesse quorum similia ex Hercule priore novimus verum est: sed certa imitationis indicia, quorum naturam explanavi, non inveniuntur. et omnino nullus locorum de quibus adhuc disputavimus ad hos versus pertinet, nisi quod v. 80 *haud dum*, alias *nondum* dixit.

sequitur chorus cum lamentatione Iolae. canticum sine

offensione decurrit nec habendum est inter deteriora. beati praedicantur quibus cum fortuna secunda et vitae finem ponere facile sit. se patriae superstites in servitutem duci, Trachina alias, alias Argos Thebasve natale Herculis oppidum. inde occasio data est horribilem Herculis imaginem depingendi: quem cum iratum viderint, tutas se a fortunae iniuriis esse, amplius scilicet mali nihil restare. Iole non commune tantum sed et privatum sibi infortunium modum excedere queritur: non sufficere se tantis cladibus plangendis, nisi querulae avis specie induatur. chorus denique ad sententiam primo loco a se prolatam respiciens casus animo aequo ferre secundum bonum esse indicat. quod in hoc carmine reprehendam non habeo: singulare esse vidimus 151 monosyllabum in fine positum; anapaestum v. 185 similem in Hf. haberi diximus. v. 213 *pro* in Etrusco omitti moneo: quamquam facile illud ferimus.

vv. 1—235 igitur si ipsos tantum spectes non est cur Senecae abiudicentur. sed rei cardo in scaena sequenti vertitur quae continet nutricem inter et Deianiram de Herculis infidelitate uxoris ira amoris remedio conloquium. haec scaena, totius tragoediae sine dubio gravissima et quasi caput, quantopere a sequentibus omnibus differat quod adhuc nulli apparuit non valde miror; scilicet per versuum duo milia ista eluctantis iudicium horrida in infinitis ambagibus sterilitate obtundi necesse est. at Senecae boni rhetoris virtutes, quae in posteriore fabulae parte desiderantur, in priore omnes reperiuntur. furit quidem Deianira et insanit; sed si quis conloquium pangere sibi proposuit inter uxorem paelice domum invecta furentem nutricemque obloquentem, melius ista aetate rem instituere non potuit. omnino, si quid in his rebus iudicii sensusve habeo, qui alteram partem conscripsit stilo utitur a Seneca diversissimo, qui priorem gemino plane et cognato: rhetorum ludos uterque sapiunt, sed ut alter ex Arelli, ex Murredi ludo alter provenisse videatur.

id singillatim persequi lectori relinquendum est; meum est affirmare eorum quae de comprobanda huius tragoediae diversa origine et attulimus et adferre possimus perpauca nec e gravioribus illa ad hanc partem pertinere. atque *caret Hercule* v. 406 a nomine graeco excusationem habet (*ferar obruta* v. 757 non item). restat *perbibat formam mei* v. 557 et *fors* pro *forsan* v. 574; omnino autem eius generis argumentis non alio consilio usus sum nisi ut graviora, quae scilicet ipsum scriptoris ingenium et carminis naturam tangerent, supplerentur et fulcirentur. haec si deficiunt illa nihil valent. atqui sto-

lidae imitationis nullum in hac scaena vestigium deprehendi neque istam in sententiis inveniendis et eloquendis verbisve deligendis imbecillitatem. ergo quod singulare unum alterumve loquendi genus offendit, id eo libentius patiemur quo certius in quavis tragoedia eius modi quaedam indagare possis. sic in Phaedra legitur *nullus his auri fuit caecus cupido* more Horatiano (528), ibidem 862 *properato est opus;* in Medea *sanguis* producta ultima (775); in Hercule priore trimeter cum anapaesticis in fine cantici coniunctus (204) et quae eius generis sunt.

non primus sum qui suspicer plus unam manum in Hercule Oetaeo componenda occupatam fuisse. quippe Habruckerus quaest. Annaean. p. 47 sq. coniecit fabulae initium (1—232) et finem (1691 sq.) ab alio quodam solido Senecae operi adsuta esse. honoris causa illum nomino et ut hanc laudem incolumen habeat. namque argumenta quae protulit non multum valent nec difficultatum quas et alii et nos cognovimus ulla coniectura ista eliminatur; finem vero tragoediae ponit quo terminari omnino nequit, id quod et ipsum iam concessurum puto; denique, quod summum est, pessimam partem vitiisque refertam Senecae relinquit, quo digna habet Herculis lamenta, indignam Alcmenae de nati reliquiis declamationem: quae ab uno eodemque profecta esse quovis pignore adfirmarim.

nobis si certius aliquid constituere volumus ante omnia videndum erit sitne tragoedia quae in codicibus fertur ita partibus suis inter se cohaerens ac tam constanti consilio elaborata ut ab uno poeta uno tenore composita esse merito credatur.

atque de oeconomia quidem tragoediae omnes consentiunt; de moribus nemo disputavit. nec mirum est, quod ne in optimis quidem poetis vulgo fieri solet in eo neglegi qui quod Graeci ἦθος vocant paene ignorat. describit Seneca iram timorem amorem luctum et ita quidem provecta et exaggerata ut augeri nequeant. quod ad mores attinet personae illius aut malae aut bonae sunt: nec medios mores novit nec inmutatos sensim et eventuum necessitate quadam inter patiendum et agendum conformatos. at crudelem Atrea dolosum Ulixen infidum Iasona castum Hippolytum ne apud illum quidem protinus evadere videas mansuetos simplices constantes libidinosos.

in Hercule Oetaeo primas dum vivit Deianira partes agit. per nutricem comperimus domum intrasse cum captivis Iolen; illico Deianiram dolore plane furioso correptam esse. inrumpit domina et quidquid irata mulier effundere potest confuso ore declamat; pessima quaeque coniugi imprecatur, Iovis et Iunonis

manus implorat, denique sua ipsius dextera utendum profitetur (295):

o nulla dolor
contente poena, quaere supplicia horrida
incogitata infanda e. q. s.

dehortatur nutrix: Herculis mortem omnes gentes vindicaturas. respondet (330):

maximum fieri scelus
et ipsa fateor, sed dolor fieri iubet.

aut Herculi aut ipsi et utique Iolae pereundum esse. nutrici illam, ut plerumque captivas, non diuturno amore fructuram esse monenti hanc virginem esse respondet, se matronam annis iam provectam, certe inferiorem se hoc certamine exituram. olim se invidendam omnibus fuisse coniuge nunc terras pererrante ac virgines sibi in amorem expetente; ergo ne cesset furor, perimatur infidus. iam ut transitum sibi ad Nessi donum paret, quo carere nimirum poeta in hoc argumento non potuit, nutricem facit medicamentum amatorium magica arte parandum pollicentem: id ex Hippolyto coronifero sumpsit, in Phaedra neglexit. respondet Deianira herbis et cantibus flecti illum non posse sed esse sibi aliud languentis amoris incitamentum. narrat Nessi mortem hydraeque virus dono sibi datum. nutricem comparare iubet vestem quam Herculi mittat; interim Amorem deprecatur. adfertur vestis quae texenda 'omnem famularum manum lassavit'; virus infunditur, opportune Lichas accurrit cui pallam Deianira tradit his verbis (571):

cape hos amictus nostra quos nevit manus,
dum vagus in orbe fertur et victus mero
tenet feroci Lydiam gremio nurum,
dum poscit Iolen e. q. s.

haec Deianira mendax est et dolosa, non ut apud Sophoclem candida, Nessi fraude decepta, dulcem spem fovens in anxiis rerum angustiis: probe ista scit quid coniugi mittat; quo scriptor sibi constitit et necis consilium firmum tenere illam voluit. nec quod nutrice absente Amori preces fundit, id ex animi illam sententia facere credas: adstant enim mulieres quas sibi ex patria comites duxerat (581).

mulieres dominae suae, deinde regum divitumque omnium tristem sortem describunt, auream mediocritatem laudant. redit Deianira territa et perturbata (v. 706). nam cum lanae glomus Nessi sanguine tinctum prorsus evanuerit solis radiis tepefactum, quam maxime veretur ne coniugi malam pestem miserit. venit Hyllus et quae acciderunt narrat; iam doloris ut antea

irae omnem modum egreditur, innocentem sibi animum, scelestam manum esse praedicat (964), denique moritura excedit.

si quaeras qui factum sit ut tam aperte poeta tam brevi intervallo a se deficiat, ut eandem quae sciens coniugi venenum miserit eadem re dolore insanientem faciat, responsum fortasse dabit Sophoclis tragoedia. cuius Deianira et moribus et affectu summum exemplar est: volens sciensque, ut saepe, contrariam effecit Seneca. cf. v. 543

ἐγὼ δὲ θνῄσκειν μὲν οὐκ ἐπίσταμαι
νοσοῦντι κείνῳ πολλὰ τῇδε τῇ νόσῳ.
582 κακὰς δὲ τόλμας μήτ' ἐπισταίμην ἐγὼ
μήτ' ἐκμάθοιμι. τὰς δὲ τολμώσας στυγῶ.

in conloquio illo Sophoclem ne respicit quidem, donec in scaenae fine Lichae vestis ut apud illum traditur. contra Deianirae de lana sanguine consumpta narratio omnis expressa est e Sophocle, quamvis ad priorem scaenam parum quadret. et sic in sequentibus Sophoclis exemplum ubique poetae ante oculos versatum est, inepte amplificatum Philoctetae Alcmenaeque personis. conferas 831 cum Trach. 1053 sq.; 1424 sq. — Tr. 941; 1448 sq. — Tr. 1036 sq. 1130 sq.; de 1473 sq. supra disputavimus; 1485 sq. — Tr. 1193 sq. alia.

non contendimus hac argumentatione comprobatum esse ab ipso v. 706 continuatoris operam incipere; immo sunt quae inducere quempiam possint ut iam scaenae quam tractavimus finem alia manu adsutum putet. sed post illam scaenam non eandem comparere Deianiram quae cum nutrice conloquium habuit demonstrasse nobis videmur. iam si priorem disputationem in mentem revocaveris, eodem fere loco, in quo nunc haesimus, partem aliis de causis nobis suspectam incohari memineris. itaque hoc loco desiisse Senecam, incepisse conicimus continuatorem qui artius se ad Sophoclis exemplar applicuerit, Senecae lectione valde imbutus ille et scholasticorum doctrina refertissimus.

ita explicatur qui factum sit ut inter Senecae tragoedias huic fabulae locus contigerit. at quaeri possit cur imperfectam eam Seneca reliquerit et qualem ipse finem in mente habuerit. quas quaestiones non dixerim prorsus otiosas esse. primum enim duas scaenas habemus inter se vix cohaerentes: siquidem unam fabulam duobus locis agi a Senecae arte ceterum constanter observata alienum est (v. p. 81). deinde captivas quae v. 135 sq. nondum sciant Trachina an Thebas abducantur, v. 233 dudum intrasse Deianirae domum a probabilitate nimium abhorret; denique, quod tantum non singulare est, in secunda scaena

alius chorus inducitur. noli tamen putare his quoque rebus continuatoris manum indicari; quippe cuius generis homines consentaneum sit in talibus auctorum suorum et exemplarium vestigia premere, non audaciam ab illis alienam sibi indulgere.

dicam quod sentio. integram de Herculis morte tragoediam scribere Seneca in mente non habuit; singulas scaenas scripsit, alteram de virginibus ex Oechalia abductis [16]), alteram de Deianirae zelotypia. quam opinionem eo stabilire conabor ut praeter Herculem scaenas quasdam nec integrum opus efficientes nec umquam ad perficiendum destinatas in manibus nos tenere ostendam. id quod propriam sibi disputationem requirit.

---

[16]) similis scaena forsan extiterit in ea tragoedia quam Ovidius in animo habet trist. II, 405 *huc Iole Pyrrhique parens, huc Herculis uxor;* cuius argumentum idem fuerit quod Ionis Eurytidarum. coniecturae auspicem et auctorem proferam ex bibliothecae Bonnensis exemplari libri Welckeriani de tragoediis graecis. cuius p. 1432 orae inferiori ad haec Welckeri verba: '*Deianira unterschieden von Iole, was nicht klar ist*' adscriptam invenio, nisi vehementer fallor, egregii amici mei et iam de Graecorum tragoedia bene meriti manu fere puerili rectissimam adnotationem: '*wahrscheinlich die Iole in verbindung mit der einnahme von Oichalia wie in den Eurytiden*'.

V.

Scaenas sub Phoenissarum nomine in Etrusco, Thebaidis in interpolatis libris coniunctas nec unam tragoediam nec unius tragoediae fragmenta esse dudum intellectum est et comprobatum a Schmidtio Richtero Habruckero. iam omnibus persuasum est — non persuasum Braunio Mus. Rhen. XX p. 271 sq. — haec duarum esse tragoediarum initia, Oedipi cuiusdam et Phoenissarum, aut perfectarum olim quae Habruckeri opinio est, aut perficiendarum quae Peiperi.

atque diversorum illa esse argumentorum praeter rationes a viris doctis adlatas eo docemur quod in secundo fragmento non Antigonam tantum et Ismenen, sed et ipsum Oedipum Thebis occaecatum vivere non aliter quam in Phoenissis Euripidia et Statii Thebaide praesumitur. vide 550

totus hoc exercitus,
hoc populus omnis, utraque hoc vidit soror
genetrixque vidit: nam pater debet sibi
quod ista non spectavit.

ergo si non caecum se reddidisset spectaret ista.

v. 622 *vade et id bellum gere*
in quo pater materque pugnanti tibi
favere possint

quod dicere Iocastam memineris postquam tres annos iam exulavit Polynices (370 sq.). itaque vv. 1—362 et 363—664 nullo vinculo inter se conexas esse non minus certum est quam ab ipso Seneca et hos et illos originem habere.[1])

coniunxit scaenas illas et Phoenissarum nomine inscripsit qui primus novem Senecae tragoediarum corpus composuit. quod nec ab ipso Seneca nec vivo Seneca factum esse id ipsum argumento est. supervenit interpolator et tragoediam choro carentem et in priore parte ab Euripidis Phoenissis prorsus

[1]) qua de re cum aliis sui aevi viris eruditis Bentleium quoque dubitasse adnotatio ad Hor. serm. II, 3, 303 docet '*Seneca, sive alius potius, in Phoenissis*'. nimirum solida adhuc habebatur tragoedia. pernovit autem Senecae tragoedias Bentleius, quod inde conligas quod omnia fere quae ille ex Horatio sumpsit ipse attulit; nempe emendavit paene nihil: unde conligas in contemptu illas apud Bentleium fuisse.

alienam Phoenissas inscribi aegre ferens Thebaida in eliminati tituli locum succedere iussit, Statium secutus. inter Italos qui subtiliores essent — sive errore haud infrequenti accidisse illud statuis — ne eo quidem contenti Oedipum ut primas ab initio partes agentem substituerunt, quidam post vel ante alteram Oedipum conlocavere.[2])

quibus veterum et recentium erroribus cognitis qui accuratius in harum scaenarum naturam inquirat, de poetae consilio nondum prolata esse intelleget in quibus adquiesci possit. etenim sive solidarum eas tragoediarum reliquias sive incohatarum primordia dixeris, aeque difficile erit ita eas vel cogitando supplere ut tragoediae Senecae saltem similes evadant.

in tragoedia primum est ut de externis rebus quae quidem ad intellegendum argumentum necessariae sint, spectatori inde ab initio nihil possit dubium esse. haec lex Romanis non minus scripta est quam Graecis, quorum in personis indicandis consuetudinem Seneca fere tenet; ut hac saltem ex parte nihil obstet quominus eius fabulas in pulpitis apparuisse credamus, qua de re omnino non iure dubitatur. eodem spectat, id quod magis etiam e natura rei consequens est, ut de loco in quo fabula agatur statim ab initio constet. et apud Graecos quidem omnium primum illud est: *χθονὸς μὲν ἐς τηλουρὸν ἥκομεν πέδον, Σκύθην ἐς οἶμον. τίνας χώρους ἀφίγμεθ' ἢ τίνων ἀνδρῶν πόλιν; Φθίας δὲ τῆσδε καὶ πόλεως Φαρσαλίας ξύγγορτα ναίω πεδία*, et quae eius generis ex cuiusvis tragoediae graecae exordio in mente habes. non aeque viguit Senecae aevo necessarii et decori sensus; quo fit ut non ubique disertis verbis locum actionis ille statim in initio indicet; sed prima scaena nusquam peragitur quin de loco certiores facti simus: Hf. 20. Thy. 24. Phaed. 4. Oed. 42. Tro. 4. Med. 35. Ag. 6. in Octavia quoque 38 sq. scaena describitur.

frustra vero, si Phoenissarum primam scaenam inspicias, de loco edoceri cupies in quo conloquium Oedipum inter et filiam habeatur. Athenis dixeris? sed de eis ne verbum quidem; an Thebis? sed exulant; in Cithaerone igitur? sed eo tendunt. ergo ipsi, quoniam poeta dicere oblitus est, locum indagabimus; nec difficile est ad intellegendum qualis illi ante animum regio versata sit. inspice v. 5:

---

[2]) cf. Herm. X p. 436 adn. praeter libros ibi adlatos 'Oedipus' inscribitur in cod. Neap. IV D 42 (f. m. XV. Iannelli 192; IV D 43 non deest 'Thebais' ut ait Iannellius 193). Oedipus in Thebaidis locum concessit, Thebais in Oedipi in cod. Vaticano 1647 (f. m. 1390—1392) transcripto ex cod. Laur. 37, 6 (v. p. 42). alia sciens omitto.

melius inveniam viam,
quam quaero, solus.

v. 12 *ibo ibo quae praerupta protendit iuga*
meus Cithaeron.

v. 64 *quo vis utere*
duce me: duobus omnis eligitur via

nempe in via sunt: Thebas modo reliquerunt; non pridem acciderunt quae in Oedipi fine leguntur; deliberant adhuc quo gressus suos dirigant, Cithaeronem sibi suum pater eligit. itaque scaena est in tramite quo Thebis Athenas commeatur.

subrisissent non Graeci tantum sed et Romani et Seneca si tragoediam publica in via agendam poeta tragicus proposuisset. qualem ibi, ut cetera sileam, actioni chorum interesse iubeas nisi negotiatorum forte et lixarum? respondeat Peiperus qui in scaenarum confiniis cantica intercidisse putat et adeo habet quae ex aliis tragoediis huc inferat.

istam igitur scaenam tragoediae partem nec esse nec fieri poeta voluit. scripserat Oedipum (quam ante hanc scaenam scriptam esse v. 176 sq. docent), legerat utramque Sophoclis Oedipum, Euripidis Phoenissas; in ipsius Oedipo senex cum filia urbe excessit ut in Euripidis fabula; argumentum per Sophoclem nobilissimum erat. ut Cithaeronem peterent ex Sophocle sumpsit: OR 1451 sq.[3]) cf. 420 *βοῆς δὲ τῆς σῆς ποῖος οὐκ ἔσται λιμήν, ποῖος Κιθαιρὼν οὐχὶ σύμφωνος τάχα;* et potuit etiam Euripidis reminisci Phoen. 1752 *ἰὼ' ἀλλὰ Βρόμιος ἵνα τε σηκὸς ἄβατος ὄρεσι μαινάδων.*

omnibus istis in usum suum conversis adaptabat suasoriam qua quaereretur an peractis omnibus illis ab insciente sceleribus et poena iam data etiam moriendum esset Oedipo. locuntur in utramque partem pater et filia; vincit filia illique persuadet ut iter persequatur. his addi nihil potest nec fingi argumentum quod fabulae ita incohatae conveniat: nam qualis debuit Oedipi finis esse aut ubi? certe non potuit in Cithaerone mori: nam, ut alia plurima praetermittam, qui de Oedipi morte tragoediam scribere voluit, ab Sophocle recedere inter antiquos non potuit.

Seneca autem in scaena illa argumentum tractavit quod illi maxime cordi fuisse nemo moralium operum lector nescit. quo factum est ut in nulla tragoedia saepius praescripta et

[3]) inde 12 sq. expressa esse vidit Nauckius, item 226 sq. ex Soph. OR 1386 sq. cf. 134 sq. et OR 457 sq. 1250, sed et Ovid. met. X, 847 et Hf. 398. Phaed. 176.

sententiae iterum iterumque in epistolis decantata redeam. 1
cf. 151

optime hoc cavit deus:
eripere vitam nemo non homini potest,
at nemo mortem
v. 99 *qui cogit mori*
nolentem in aequo est quique properantem impedit

cf. epist. 12, 10; 66, 13; 66, 29; 70, 14 all.

v. 188 *at hoc decebat roboris tanti virum*
non esse sub dolore nec victum malis
dare terga e. q. s.

cf. ep. 59, 8; 104, 22. d. ira III, 16, 1.

v. 197 *nemo contempsit mori | qui concupivit*

cf. ep. 24, 25; 98, 16; 117, 22, et quae eius generis sunt multa. cf. Richter. l. s. p. 35. 36.

at obiciet aliquis inritum esse quod diximus ex hac scaena tragoediam non posse incrementum capere; quippe in eodem argumento persequendo proximam scaenam versari. in ea nuntius inducitur qui ab Oedipo petit ut domum revertatur et fratrum animos conciliando a patria perniciem avertat. pro responsis ille diras natis patriaeque imprecatur. Antigona mitigare patrem conatur, sed vehementer ille filiam increpat: animum ira tumere, civile bellum non satis esse: fratri in fratrem ruendum; ne hoc quidem sufficere:

quod debet ut fiat nefas
de more nostro, quod meos deceat toros,
date arma patri. nemo me ex his eruat
silvis: latebo rupis exesae cavo
aut sepe densa corpus abstrusum tegam e. q. s.

Habruckerus (l. s. p. 22 sq.) haec ita accepisse videtur quasi silvis et rupe Cithaeron significetur in quem Oedipus concesserit 'ut expiret senex ubi debuerit infans'. et recte quidem ille; vide v. 27 *est alius istis noster in silvis locus.* v. 12 *ibo ibo qua praerupta protendit iuga meus Cithaeron.* itaque alium iam in locum transferimur: iter confectum est, latet in Cithaerone cum filia Oedipus, supervenit nuntius Thebanus. hocine in tragoedia veterum quisquam sibi indulserit? ut initium tragoediae incerta inter Thebas Cithaeronemque regione, finem in praerupto aliquo montis iugo vel antro exeso proposuerit? et qualem ibi chorum sibi sumat? certe quem praeter satyros bacchasve Euripidias invenire potuerit nullum scio.

sed nuntium istum paullo intentius examinemus. sic ille loquitur:

exemplum in ingens regia stirpe editum
Thebae paventes arma fraterna invocant
rogantque tectis arceas patriis faces.
non sunt minae, iam propius accessit malum.

hic arma fraterna potest Eteoclis Polynicisque copias appellare. sed pergit:

nam regna repetens frater et pactas vices
in bella cunctos Graeciae populos agit.

cuius ille fratrem dicit? certe nec nuntii neque Oedipodis. ergo Eteoclis? at eius nomen nondum nuncupavit. neutraliter autem et absolute fratrem alterutrum appellare non potest.

facile hic nodus solvitur: quippe nuntius ille insiticius est, ab interpolatore *A* subpositus. in Etrusco haec omnia Antigonae sunt nec potest alia persona versum illum pronuntiare. eadem loquitur v. 247—49, ut et hoc conloquium totum sit inter Oedipum et Antigonam. illa iam in priore scaena de fratrum bello monuerat 288 sq.:

si nulla, genitor, causa vivendi tibi est,
haec una abunde est, ut pater natos regas.

pater responderat illos tam patris similes esse ut nullo modo a scelere revocari queant

certant in omne facinus et pensi nihil
ducunt ubi ipsos[4]) *ira praecipites agit*
nefasque nullum per nefas nati putant.

scire se quo ferantur ideoque leti quaerere maturam viam. hic igitur multo placidiorem se gerit et quasi oblitum gravioris imprecationis qua gladium illis commisit (v. 108 sq.). contra v. 320 Antigona Thebis advenit; nova enim nuntiat:

non sunt minae, iam propius accessit malum.

nihil igitur Seneca respexit quae in priore scaena aguntur. fingit Oedipum aliquo in saltu morantem et de imminente fratrum bello nuntium per Antigonam accipientem ut apud Sophoclem per Ismenen αὐτὸν μόλις εὑροῦσαν, eaque de causa perquam animose disputantem.

hanc scaenam cum nimis brevem et exilem esse primo obtutu intellegatur, eam non integram nobis servatam esse demonstrari potest. iterum adscribam Antigonae exordium:

exemplum in ingens regia stirpe editum
Thebae paventes arma fraterna invocant

[4]) sic legendum. *illos* codd.

ita hunc versum Lipsius emendavit qui in Melisseo invenerat *exemplum ingens*, quae verba in *A* desiderantur sic altera versus parte scripta:

regia stirpe edite.

in Etrusco autem item legitur:

exemplum ingens regia stirpe editum,

non, ut Gronovius duplici errore narrat:

exemplum in ingens regia stirpe edite.

at Lipsius quin versum recte emendarit minime dubitandum est. cf. Sen. ep. 66, 4 *Claranus mihi videtur in exemplar editus*. de provid. 6, 3 *nati sunt in exemplar*. Ovid. fast. IV, 243 *venit in exemplum furor hic*, et similia permulta. cf. HO 1854 *exemplar ingens*. de vit. beat. 24, 4 *ad exemplar ingens (me) attollo*; quamquam id ipsum in hunc versum inferre perperam conatur Peiperus praef. p. XLVI. sed ne sic omnia plana putes esse, obscurum est quid haec sibi velit adlocutio: ‘regia stirpe in exemplum editum Thebae invocant’. certe dicendum erat quis esset ille regia stirpe editus. nec removeri difficultatem recipienda scriptura vulgari ‘*regia stirpe edite*’, immo augeri clarum est; nam sic *invocant* omnino non habet quo referatur. ergo pro certo haberi potest unum saltem versum ante 320 intercidisse in quo pronomen personale locum habuerit fere hoc modo: *[parumper aures commoda: te iam, pater,] exemplum in ingens regia stirpe editum Thebae paventes arma fraterna invocant*. potuerunt plura praecedere de quibus ariolari inutile est. num et sequi alia quaestio est quam movere forte non utilius sit. monere tamen debeo, quamquam maiora inde quemquam moliri nolo, hanc scaenam 43 versus continere, quot in singulis paginis eius libri a quo Etruscus pendet extitisse Herm. X p. 431 adn. 2 ex lacunis in Hercule Oetaeo bis eundem versuum numerum complexis (v. 182—224 et 1564—1606) conlegi. accedit ut scaena sequens 302 versus contineat qui sunt septiens quadrageni terni uno superante cui locum in paginarum extremis non difficili negotio pares. sed haec fallacia sunt. locos enim in Etrusco omissos intercidisse oportet postquam interpolator *A* novam editionem confecit. in Phoenissis autem iam pridem tunc iactura debuisset facta esse. ut si quicquam ex computatione ista conligere velis, ad vetustiorum librariorum in exprimendis exemplariam suorum paginis anxiam quandam constantiam referre illud debebis, qua de re Mommsenus locutus est in act. acad. Berolin. 1868 p. 160. —

In sequente scaena argumentum tractat ex Euripidis Phoe-

nissis sumptum. ex more Euripidio alias sibi non familiari quasi *προλογίζουσαν* Iocastam inducit: exordium quidem a sensu facit Horatiano (II, 3, 303 *quid? caput abscissum manibus cum portat Agave nati infelicis, sibi tum furiosa videtur?* cf. Val. Fl. III, 264 sq. Oed. 1005 sq.); sed secuntur prologi more et consilio prolata. cf. Eur. Phoen. 77

ὃ δ' Ἄργος ἐλθὼν, κῆδος Ἀδράστου λαβὼν,
πολλὴν ἀθροίσας ἀσπίδ' Ἀργείων ἄγει·
ἐπ' αὐτὰ δ' ἐλθὼν ἑπτάπυλα τείχη τάδε
πατρῷ' ἀπαιτεῖ σκῆπτρα καὶ μέρη χθονός

satelles reginam monet ut ad pacem fratres reducat: iam utrimque in pugnam acies parari.

infesta fulgent signa, subrectis adest
frons prima telis, aurea clarum nota
nomen ducum vexilla praescriptum ferunt.

hoc transcripsi ut intellegas poetam ocius ad conloquium properare. hic enim locus erat de ducibus pauca saltem de more exponendi. quod fecisset si tragoediam scribere voluisset, non declamationem. quae secuntur secundum Eur. Phoen. 1264—1282 composita sunt (1280 *ἔπειγ' ἔπειγε θύγατερ*), quamquam illa non conloquium sed pugnam inter fratres praecedunt. Antigona matrem instigat: signa iam conferri proeliumque instare. in campum Iocasta devolat: cf. Phoen. 163 *ἀνεμώκεος εἶθε δρόμον νεφέλας ποσὶν ἐξανύσαιμι δι' αἰθέρος πρὸς ἐμὸν ὁμογενέτορα.* [5]) satelles e muro prospiciens describit reginam acies diducentem et fratres invitos ab instante proelio retinentem.

quae secuntur aperte docent haec non eo consilio scripta esse ut scaenae traderentur. ultima enim satellitis verba continuo excipit Iocastae sermo in mediis agminibus inter fratres habitus:

in me arma et ignes vertite e. q. s.

scaena apud Senecam omnino non mutatur nisi in Hercule Oetaeo, ibi vero chorus intercedit. sed fac chorum hoc Phoenissarum loco intercidisse, quod viri docti pridem suspicati sunt: tamen nullo modo haec scaenae mutatio excusari poterit. in Hercule primo ad Oechaliam, secundo actu Trachine ver-

[5]) 420 *quis me procellae turbine insano vehens* e. q. s. cf. Thy. 623. HO 202 sq. Soph. Trach. 953 sq. (*εἴθ' ἀνεμόεσσά τις κτέ*). notum est et alas et alitis auxilium et ipsam alitis formam saepe in summis animi adfectibus apud tragicos Graecos exoptari, cf. Welcker. tr. gr. p. 295 adn. 11. p. 406, et praeter locos ab illo adlatos Eur. Hec. 1100 Herc. 1158. frg. 781, 57. Soph. OR 914. frg. 423 alia multa.

samur, tempore quod ad captivas illuc ducendas necessarium sit interiecto; in Phoenissis modo Iocasta cum satellite et Antigona in turre steterat aciesque eminus adpropinquantes prospexerat; citatis gradibus decurrit in campum: statim campus ipse ante oculos ponitur, agmina fratres mater utrumque deprecans. iam si quis contendat ut scaenae traderentur has tragoedias scriptas non esse, ita tamen eas compositas esse concedet ut possint in scaena agi, et trium actorum et temporis locique legibus ubique observatis. itaque hanc scaenam non scripsit Seneca eo consilio ut solidam inde tragoediam faceret nec populo spectandam nec amicis audiendam, verum ut aptum declamationi suasoriae argumentum, Iocastam scilicet filios suos ab ultimo discidio dehortantem, versibus tractaret. externa autem, ut in prioribus fragmentis ex Sophocle, in hoc ex Euripide sumpsit.

simili consilio priores Herculis Oetaei, qualis nunc fertur, scaenas originem debere credo. mera declamatio est conloquium inter Deianiram et nutricem, item Herculis sermo; adiecit Oechalidum et Ioles lamenta lyricis numeris tractata. et illic diversi sunt actionum loci et in indicando loco per Herculis sermonem similis neglegentia. Seneca igitur ne has quidem scaenas ad perficiendum destinavit. sed successit cui ad ingenium exercendum eaedem viderentur appositae. contra scaenae Phoenissarum nomine coniunctae cum plus difficultatis continuatori praeberent, integrae relictae sunt uniusque tituli praesidio munitae.

Hic subsistere possem nisi difficultas in altera scaena relicta esset quae nec praetereunda videretur et paullum maiore disputationis ambitu tractanda. nempe, quod in priore quoque acciderat, valde in hac declamatione differunt *E* et *A* in scaenis discribendis et inscribendis personisque notandis. in *A* haec scaena cum Oedipodis in filios imprecatione cohaeret (quod Italis quibusdam displicuit, qui novam incohavere: *N* sec. manu, Rehdigeran. 11); a v. 403 nova scaena incipit inscripta *Ant. Ioc. Nunt.* (id quoque mutatum in quibusdam: *MN* — i. e. Melisseo — Rehdig. 11 Gothano 256); item nova a v. 443 cui in omnibus inscribitur *Ioc. Pol.* omisso Eteocle. in *E* vero 363—664 una scaena est inscripta *Ioc. Sat. Pol. Eteocl.*: addito Eteocle omissa Antigona mutato nuntio in satellitem. eius generis discrepantiae his in tragoediis saepenumero inveniuntur, ut de singulis iudicium ferri nequeat antequam uni-

versam in causam inquisitum sit. quod quo brevius eo fructuosius fiet. quaerendum autem ante omnia est quatenus personarum notae scaenarumque tituli quales nunc feruntur antiquitus traditi sint.

atque falso quidem adscriptae vel confusae personarum notae ut in fabulis Graecis Romanisque omnibus, sic in his quoque frequenter offendunt. sed subinde etiam accidit ut eaedem partes in *E* et *A* diversis personis tribuantur. sic Med. 879 ubi nuntius narravit regiam reginam regem perisse, 891 nutrix clamat:

effer citatum sede Pelopea gradum,
Medea, praeceps quaslibet terras pete.

in *E* id quoque nuntio continuatur (ut nuntius Euripidius v. 1122 *Μήδεια φεῦγε φεῦγε*), perverse quia famulus qui regiae domus cladem ita nuntiavit: *periere cuncta*, non potest Medeae fugam suadere. sed ne temere nomen omissum putes, scaena sic inscripta est in *E: Nunt. Chor. Med. Ias.* omissa nutrice.

Ag. 288 Clytaemnestra vehementer in Aegisthum invehi coepit, antea modestius locuta; sic pergit 293 et 295 sq.; placidiora rursum fatur 306 sq. omnia ista (288, 293, 295) nutrici dantur in *E*, quam in scaenae titulum ille recepit, non recepit *A*. mirum vero est quod v. 300 *nostrae domus*, quo efficitur omnia illa Clytaemnestrae matronam paulisper severam fingenti danda esse, in *E* legitur, *clarae domus*, quod possit a nutrice proferri, in *A* interpolatum est. personarum notas qui in *E* mutavit versum 301 respexit, in quo de se ipsa regina dicit: *haec vacat regi ac viro*. sic Thy. 920 sq. inter Thyestem et chorum perperam in *E* discripta sunt quia Thyestem identidem, a semet ipso scilicet, compellari librarius vidit.

HO 706 sq. nutricis partes choro dantur in *A*, 884—924 Hylli partes nutrici. in eadem tragoedia Philoctetam novam personam *A* inducit (1607 sq.), quae muta est in *E*. substituit vero illum nuntio et, ne quid in ipsa scaena contrarium resisteret, v. 1727, ubi de Philocteta sermo est, verbum *impulit* mutavit in *impuli*, utrumque perverse; item sequenti scaena Hyllum exulare, Philoctetam in partes eius succedere iussit, scaenarum titulis ubique ad interlocutores accommodatis. scaenam aliter inscribi aliter partes discribi duobus tantum locis memini. primum in Hf. 895 sq.; qua in scaena quod 1032 sq. Theseus Amphitruonem furenti Herculi se obicientem retinet, ne parricida quoque Hercules fiat, optima ratione hos versus Weilius (rév. archéol. 1865 p. 25 sq.) Theseo abiudi-

cavit et Amphitruoni dedit. ac priorem quidem coniecturam aliqua ex parte Etruscus probat, qui cum Theseo versus istos relinquat, nomen eius in scaenae titulo omittit. Amphitruoni vero modo Herculem sic adfato:

falsum ac nomini turpem tuo
remove parentem ne tuae laudi obstrepat

si statim haec cum Weilio continuantur:

quo te ipse senior obvium morti ingeris?
quo pergis amens? e. q. s.

duriuscule certe apostropha mutatur. atque aliud quiddam Etruscus suadet qui scaenae inscribit *Herc. Amph. Meg. Chor.* omisso Theseo addito choro. et verum casu apparet in *M*, qui his versibus chori notam praefigit, quamquam et *M* et *N* in inscribenda scaena cum *A* consentit.

alterum exemplum haec ipsa Phoenissarum scaena praebet, in qua de Antigona quidem indiculo ipsique scaenae convenit, de Eteocle non convenit. is enim in indice Etrusci locum tenet sed verbum non profert: proinde in *A* omissus est. mutas autem personas cum omittat *A*, inscribit quidem scaenis *E*, sed item epitheton *tacitus:* Thy. 404 *Plisthenes tacitus*; Ag. 910 *Orestes tacitus;* HO 233 *Lichas*, 1419 *Philoctetes*, Phaed. 864 *nutrix:* omissum epitheton[6]) Hf. 618 ubi Megarae nomini adici debuit: omnino omissum tacitae personae nomen tantum Tro. 861, ubi Polyxenam et praesentem esse et mira de causa tacere Weilius l. s. p. 23 sq. exposuit, et Ag. 782 nomen Clytemnestrae. Eteoclis autem nomen a partibus eius errore remotum esse et Grotius ad v. 654 et 661 docuit et Schmidtius v. 652 poetae verbis egregie restitutis. v. 653 autem recte in *E* Iocastae datur, 660 fortasse recte, vv. 662—664 Eteocli continuandi sunt.

turbatae totiens personarum notae suspicionem movent an olim alius mos nomina indicandi in his tragoediis obtinuerit. et in Graecorum quidem dramatum et dialogorum codicibus ad personarum vices notandas grammatici vel *δύο στιγμάς* (cf. Cobet N. L. p. 17) vel *παράγραφον* posuerunt (Hephaest. p. 76, 7 Westph.: *τῇ δὲ παραγράφῳ* (*χρώμεθα*) — *κατὰ πρόσωπα ἀμοιβαῖα* e. q. s.). cf. Bekker Aristoph. praef. p. VI. de Wilamowitz. Anal. Eurip. p. 38. Thiemann scholl. in Aristoph. metr. p. 128. sic e. g. in Phaethontis fragmento Euripidio.

---

[6]) more in Terentii Bembino observato, in quo ponitur quidem mutae personae nomen sed mutam esse non additur (Ad. II, 1. III, 1. Hec. V, 2. cf. Umpffenb. praef. p. IX).

quae consuetudo ad Romanos non transiisse videtur, quamquam in recentioribus libris haud raro personas mutari signo adposito indicatur. diversi enim moris certa vestigia apud comicos servata sunt. exiliora quidem in Plauto, cuius e codicibus tantum Camerarii vetus vetustiorem consuetudinem tenuit (Ritschl. proll. in Trin. p. LV sq.). at plenam et incorruptam vetusti moris imaginem Terentii codices praebent Bembinus et qui genuinae recensionis Calliopianae exemplar est Victorianus bibl. Laurent. 38, 24 (cf. de Parisin. 7903 a: Philol. XXXII p. 446 sq.). hanc enim illi in personis notandis legem secuntur ut in singulis scaenis personae singulae graecis litteris repraesententur quas scaenae index nominibus adscriptas refert verbisque singulorum ubique librarius praefigit.

id memorasse satis esset nisi de litteris illis doctrinam quandam speciosiorem viri docti protulissent quae iam nisi fallor a plerisque pro certa habetur et explorata. coniecit enim Ritschelius (proll. Trin. l. s.) '*graecas litteras illas non distinguendis tantum aliquo scribendi compendio personis inservire, sed ad actarum agendarumque fabularum consilium atque apparatum spectare: ita quidem ut quae partes quot et quorum histrionum fuerint, totidem litterarum notis declaretur*'. quam coniecturam via ac ratione persecuti Steffenus (Act. Lips. II p. 109 sq.) et ab eo in singulis tantum dissentiens Wagnerus (in Bursiani actis I p. 445 sq.) incredibilia prorsus et inrita protulere quae et ipsos puto improbaturos fuisse si codices inspicere licuisset. quae refelli melius non poterunt quam re ipsa breviter exposita.

in Terenti igitur Bembino et Victoriano (Plauti Veterem hac de re consulere neglexi) librarius nomina scaenis inscripsit, sed in mutandis personis spatia tantum singularum litterarum vacua reliquit. dein rubricator nominibus adpinxit litteras graecas, subpinxit characteras, explevit spatia a priore relicta graecis eisdem litteris: eadem igitur vice fungebatur qua in plerisque scaenicorum libris is qui personarum notas scriptis iam fabulis adiecit. consuetudo autem ea fere in usurpandis graecis litteris obtinet ut suam litteram persona servet dum per plures scaenas continuo in pulpito moratur; quod ubi reliquit, littera cuivis supervenienti vacat; si redit, aut priore, si forte librario placet nec alii iam eandem dedit, aut diversa littera notatur. sic in Eunucho, quo exemplo defungar, Phaedriae praefigitur Α (I, 1—II, 1; IV, 2—4) et Ε (V, 8), Gnathoni Α (II, 2. III, 1. 2. IV, 7) et Γ (V, 7. 8), Thrasoni Γ (III, 1—2) et Α (IV, 7. V, 7. 8), Thaidi Ε (I, 2. III, 2.

IV, 7—V, 2) et *Z* (IV, 6), Pythiae *Z* (III, 2) Ϲ (III, 3. IV, 3—6. V, 4. 5) et Θ (V, 1—4), Chremeti *B* (III, 3) et *Γ* (IV, 5—7; V, 3). eandem semper litteram, praeter eas personas quae semel tantum comparent, Chaerea habet, *Δ* (II, 3. III, 5. V, 2. 8), Dorias Θ (IV, 1. 3. 4) et Parmeno *B* (I, 1—III, 2. V, 4—8), sed *B* praeter illum etiam Chremeti datur (III, 3) et Antiphonti (III, 4. 5), *Δ* et Phaedriae et Gnathoni, Θ Pythiae. incipiunt *Δ* Phaedria *B* Parmeno. accedit Ϲ Thais; exit Phaedria, succedit *Δ* Gnatho; exit Gnatho, apparet *Δ* Chaerea; quem rursum excipit *Δ* Gnatho accedente *Γ* Thrasone; redit Ϲ Thais cum *Z* Pythia; Thaidis notam Ϲ Pythias cum *B* Chremete relicta in se recipit; Antiphonti *B* datur, Chaereae rursum *Δ*; Θ in quarto actu Doriae et *Δ* Doro, deinde Thrasoni. Ϲ Pythias cum *Γ* Chremete conloquitur; Thais superveniens iam *Z* accipit; suam Ϲ ab exeunte Pythia reciperat, quae mox non *Z* sed Θ gerit, *Z* Sophrona, Pythias vero postquam Thais exiit rursum Ϲ. interea Chremes Demea Gnatho omnes eandem *Γ* praeferentes se exceperunt et finiunt fabulam *ΔBΓΔ*Ϲ Chaerea Parmeno Gnatho Thraso Phaedria. qui in his rationem regnare aut olim regnasse credere potest, ei nos nihil credemus.

immo haec tantum ad librariorum commodum instituta esse, ut nihil curetur quot personis eadem littera, quot litteris eadem persona donetur, apparet. idem codex Victorianus ostendit, qui in hac fabula initialibus latinis litteris personas notat; in Andria illi et Hautontimorumeno cum Bembino plerumque convenit, in Adelphis perraro et ut casu factum videatur, in Phormione nusquam nisi de Antiphonte I, 4 de Geta III, 1 (nam quod V, 5 Phormionem ita significat: *I*, id non ex *Y* quae Bembini littera est natum, sed pro *Z* positum est qua deinceps utitur); in *BΓ* Bembinus incipit, in *ΔB* Victorianus, et sic deinceps. litterarum igitur delectus in librariorum arbitrio positus erat: usu perantiquo et fortasse a primis inde comoediarum exemplaribus solemni, donec ab eo eliminaretur qui Calliopii recensionem retractando Parisini codicis et similium archetypon composuit.

ultro autem, ut revertamur unde profecti sumus, suspicio oritur in tragoediis quoque ut in comoediis et perinde in Senecae quoque tragoediis illam consuetudinem olim obtinuisse, dein evanuisse. quod certa ratione redargui potest. indices enim scaenarum quos ad personas graecis litteris notandas necessarios esse apparet, non ab ipsius poetae manu sunt, *sed a recentiore* quadam nec nimis accurata admodum infabre

adsuti. ita enim in universum res instituta est ut personae scaenis inscribantur non quae ab initio re vera compareant sed etiam quae personis iam quantumvis conlocutis accessurae sint, ut binas scaenas singuli indices complectantur. sic Hf. 205 sq. scaenae inscribitur *Amph. Meg. Lyc.*, sed Lycus 332 demum apparet; qui si priores soceri nurusque sermones audisset, statim illos duci iuberet. Tro. 203 indiculum praefert *Pyrrh. Agam. Calch.*, sed Calchas demum v. 352 'vocatur', falsam igitur de scaena imaginem lector concepit cui ab initio illum conloquio interesse putandum est; item Aegisthum in Agamemnonis scaena 953 sq., qui advocatur v. 979. minus poetae consilio obesse videtur quod Med. 879 Medea et Oed. 998 Iocasta indicibus inseruntur, quamquam haec finito demum Oedipi sermone, illa post nuntii cum choro conloquium ex aedibus prosiliunt. rursum aegre ferimus quod Phaed. 358 Phaedra cum nutrice prodire videtur (ut fit apud Euripidem), donec v. 384 audimus

sed en patescunt regiae fastigia;

iam enim machina Phaedram in gynaeconiti ostendit, remotura eadem v. 403: nam chorus v. 404 non Phaedram modo locutam adfatur sed nutricem. eodem modo Medea comparere videtur v. 738, cum eius nomen iam 670 indiculo insertum sit. in Phaedra autem omnium minime ferendum est quod 406 novae scaenae *Hippol. Nutr.* inscribitur, cum nutricis oratio ab Hippolyti auribus omnino arcenda sit et 423 illa dicat:

en favet votis dea:
ipsum intuor solemne venerantem sacrum,
nullo latus comitante.

antea nec a spectatore conspici potest. eodem autem Phoenissarum scaena pertinet cui index communis praefixus est etiam conloquium inter matrem et filios complexus, quamquam ut illud institueretur scaena mutanda erat. verum est et hoc loco et Hf. 205 et Med. 670 in *A* vitiosam scaenarum descriptionem correctam esse, sed id ex libidine factum est; nimirum reliquis locis eandem reliquit et vel novam intulit Tro. 409, ubi Ulixem *E* omittit et v. 524 demum suo loco inscribit.

haec satis mihi comprobare videntur personarum indices, utpote nec a poeta et male scaenis praefixos, e versuum contextu removendos esse. in his igitur tragoediis ut in graecis scaenae non discribebantur sed personae ubi primum aut rursum comparerent nominabantur, deinceps significabantur aut primis nominum litteris aut lineolis, id quod scire iam nec possumus nec cupimus.

iam vero videndum est quid hac disputatione lucrati simus. ac primum quidem sequitur, ubi de persona cui versus sermove tribuendus sit dubitatio oriatur, id non ad scaenae titulos exigendum esse: quos qui adiecit ipse eis se adplicare debuit quae versibus inscripta reperiret. atque hac quoque in re eo exemplo defungar a quo profecti sumus. nam quod Phoen. 403 — 406 et 414 — 419 in *E* non tribuuntur Antigonae, id scaenae indice confirmari videtur qui eius nomen omnino omittit. ac possit existere qui id recte factum istaque omnia satelliti continuanda esse opinetur: nam quod v. 403 *parens* et 406 *mater* legitur, satellitem quoque v. 402 ita loqui: *et impia arma mater opposita impedi*. sed hoc aliter in Etrusco legi supra monui. praeterea 414—419 continuari Iocastae debeant; sed ei non convenit acies prospicere et quae pro muris gerantur referre. falso igitur in *E* Antigonae persona eiecta est, recte in *A* restituta, coniectura ex v. 403 *perge o parens* e. q. s. facili et fere necessaria. qui in *E* codicis proavo scaenae indicem scripsit Antigonam iam non invenit et fortasse id convenire putabat Antigonae cum Oedipo in Cithaerone moranti.

nam eundem qui indices istos composuit et Phoenissarum nomen declamationibus de Oedipo et filia deque Iocasta et filiis in unum coniunctis inscripsisse audacius fortasse sed non sine probabilitate conicere mihi videor. certe novo argumento confirmatur editionem cuius Etruscus exemplar est non ex ipsius Senecae manu in lucem prodiisse sed alterius manum passam esse. quae cum singulas fabulas in unum conligeret certe externis tantum rebus adornandis operam dedit; singulas enim quin Seneca separatim vivus ediderit non videtur dubium esse et confirmatur aequali fere testimonio Quintiliani (VIII, 3, 31), quod quomodo ad patrem Senecae viri docti referre potuerint non intellego: ‘*nam memini iuvenis admodum inter Pomponium et Senecam etiam praefationibus esse tractatum ‘an gradus eliminat’ in tragoedia dici oportuisset*’. praefationes autem valde dolendum est quod ei qui in unum corpus tragoedias Senecae coegit omittendae visae sunt. ceterum quocumque anno Quintilianum natum esse statueris, praefationes, quae illo vel admodum iuvene comparuerint, a Seneca post exilium scriptas esse oportet.

VI.

De Agamemnonis auctore post multas et in hoc poeta pridem legitimas virorum doctorum ariolationes primus Bentleius grave argumentum protulit quo ipse sententiam tunc plerisque constantem fulcire magis quam novum de fabula philosopho abiudicanda iudicium confirmare voluit. illius potissimum auctoritate factum videtur ut in eandem sententiam Richterus disputaret, siquidem argumentis non gravibus usus est; nec magis ille quam de Hercule de Agamemnone viris doctis persuasit, qui Senecae eam vindicandam uno ore censuere. at quoniam de hac quoque fabula et ille et priores singula tantum desultoria opera congesserunt, non detrectandum est officium quaecumque contra traditam fabulae originem proferri possint accurate expendendi. conlatis autem quae ad elocutionem ac fabulae oeconomiam spectant res metricas tractabimus: de quibus iudicium fieri non poterit nisi quaestionibus de anapaestorum compositione et de carminum mixtis metris compositorum natura antea expeditis.

atque quae ad verborum formas et modum loquendi spectant pauca sunt et, si singillatim exputes, utique levia. primum autem ea perstringemus quae iniuria aut aliis momenti quidpiam habere visa sint aut in futurum videri possint. quale est possessivum a *Pelope* derivatum *Pelopius* quo utitur Ag. 7, 165 et 194, licet possis novissimo loco sine numerorum damno alterum epitheton substituere quod metro flagitatur Med. 891 et Thy. 22 (*Pelopeus*). sed in eadem Thyeste alio loco (641) *Pelopiae* dudum recte legitur. cf. B. Schmidt. p. 14 Richter. p. 28. Graecis dumtaxat et *Πελόπιος* et *Πελόπειος* in usu erat, ut *Κωνώπιος Κωνώπειος, Κυκλώπιος Κυκλώπειος* alia de quibus locutus est Bentleius ad Hor. epod. 9, 16. breviorem autem formam Seneca etiam in Hercule priore usurpavit: v. 997 *Cyclopia*.

v. 130 *non quit* pro *nequit* legitur quod praeterea in his tragoediis non invenitur. sed eiusdem verbi forma in eisdem singularis extat Phoen. 226 *utinam quidem rescindere has quirem vias*. cf. Stat. silv. V, 3, 60.

Richterus quod (p. 29) Ag. 421 *Pergamum omne* neutro genere positum aliter dixit quam Tro. 14, id correxit Peiperus reducenda recta distinctione a Gronovio derelicta:

excisa ferro est. Pergamum incubuit sibi.

auspicari non tantum Ag. 8 sed et Thy. 657 in simili loco extare Habruckerus monuit (p. 42); nec magis alia curamus quae ut singularia Richterus suam in sententiam attulit. eodem enim iure *lentare remos* (438 cf. Catull. 64, 183 *incurvans gurgite remos.* Stat. Ach. I, 436 *arcus lentare*) *furari* (914. 933 cf. B. Schmidt. Mus. Rhen. XVI p. 589. Stat. Theb. XII, 292. Sil. XII, 300. XIV, 461) *parent iuga* (457; v. p. 44) *obsoleta* (977) *demetere caput ferro* (987 cf. Hor. serm. I, 2, 46) et alia in his tragoediis semel dicta premere possemus: sed facili negotio ex qualibet similia promerentur. nec magis eo movemur quod *cui* et *suapte* singulis locis (146. 250. cf. B. Schmidt. p. 13) bisyllaba effert: ut qui in vocibus *meis* et *saxeo* (Tro. 191. Thy. 233) synecphonesin non saepius admiserit. plus momenti esse potest in coniunctionibus sive adverbiis admissis vitatisve. ut *attamen* tantum Ag. 403 legi Richterus vidit (p. 27); ut mirum foret si *eheu* unicum locum haberet Ag. 868: de qua voce satis locuti sumus. *atque* cum tantum Ag. 418 secundo loco poni Schmidtius docuit (obs. p. 11) scire non potuit Thy. 911 (*o me caelitum excelsissimum regumque regem*) in *E* scriptum esse *regum atque regem.* ego scire potui cum nuper eundem versum mala coniectura tentavi. sed vel sine hoc exemplo in Agamemnonis versu nihil offensionis esset:

refugit loqui
mens aegra tantis atque inhorrescit malis

cum *tantis malis* aeque ad *aegra* atque ad *inhorrescit* referendum sit: quod inlustrabit versus eleganter ab amico graece redditus: *φρὴν γὰρ ἄζεται λέγειν νοσοῦσα τοῖσδε καὶ ταράσσεται κακοῖς.* cf. Ar. Ach. 884 *ἔκβαθι τῷδε κἠπιχάριττα τῷ ξένῳ.* Haupt. opusc. I p. 129.

citius quod v. 965 ita ad imperativum positum est ut idem significet quod *quam citissime,* id B. Schmidtius obs. p. 13 in favorem traditae originis valere dixit [1]) comparato apocol. 7 *citius mihi verum ne tibi alogias excutiam.*[2]) quo loco comoe-

[1]) item v. 403 conlatum cum Hf. 622 (utroque loco respexit Soph. Trach. 201 *ἔδωκας ἡμῖν ἀλλὰ σὺν χρόνῳ χαράν.* cf. Gronov. ad Ag.) et 206 *diu* cum Oed. 948, utrumque cum pedestribus comparatum.

[2]) *citius* legitur etiam Petron. c. 109 (p. 135, 6) *ut mortem citius*

diam redolente nescio an non commode in hanc sententiam utamur; quamquam et epist. 95, 37 (*ut illos in bonum pronos citius educit ad summa*) non aliter intellegendum videtur et in patris opere subinde idem invenitur: contr. I, 5 ext. *gratulor vobis, virgines, quod citius inluxit.* II, 3, 7 *quid miraris si illum citius exorasti?* IX, 6, 18 *nisi citius illam oppressissem, et filiam abstulisset.* sed in tragoediis ubique ea significatione *ocius* ponitur. cuius dictionis cum B. Schmidt. l. s. tantum ex Hercule Oetaeo et Thyeste exempla attulerit, locum paullo uberius tractabo; nam ne in illa quidem re unus omnium poetarum usus est: usum scilicet eum dicimus quo *ocius* vel *citius* ad imperativum sive imperativae notionis verbum *quam citissime*, ad verbum finitum accedens *citissime* significat. *citius* autem omnino poetis fere vitatum est. Ovidius, qui in elegiacis *ocius* nusquam sic usurpavit, her. 1, 108 scripsit: *tu citius venias;* in transformationibus non *citius*, sed duobus locis *ocius*: I, 242 *dent ocius omnes — poenas.* XII, 226 *ocius omnes surgimus.* Vergilius autem in georgicis nusquam, in bucolicis semel (7, 8 *ocius, inquit, huc ades*), in Aeneide deciens nisi quid me fugit *ocius* ita posuit (IV, 294. V, 828. VIII, 101. 278. 443. 55: quater in uno libro. IX, 400. X, 786. XII, 555. 681); Horatius in carminibus semel (II, 11, 18 *quis puer ocius restinguet* e. q. s.), in sermonibus bis (II, 7, 34 *nemon oleum fert ocius?* 117 *ocius hinc te ni rapis*), quem hac quoque in re secutus est Persius (3, 7 *ocius adsit huc aliquis.* 5, 141 *ocius ad navem?*) Manil. V, 641 *quamvis* (*q. ab* codd. *gnavus ab* Iacob.) *extremo citius revolaverit orbe* versus a Bentleio deletus. Iuven. 1, 125 *citius dimitte.* 4, 134 *argillam atque rotam citius properate* et fortasse saepius. Statius in Thebaide quater (II, 586. VII, 28. X, 433. 493), in Achilleide I, 504 *ocius*, in silvis bis *citius* quae sola praeter iam adlata novi exempla (IV, 3, 110 *Eoae citius venite laurus.*

---

venire credas, | *scito iam capitis perisse partem*), sed colorem suum huic Senecae loco *alogiae* dant. qua voce apud Petronium Ascylti adversarius lepidus homo utitur c. 58 (p. 68, 16) *non didici geometrias, critica et alogias menias* loco multum vexato. alogiae istae videntur studia rhetorica esse; quid si *alogias mentitas* vocaverit 'materias abhorrentes a veritate, velut tyrannicidarum praemia aut vitiatarum electiones aut pestilentiae remedia aut incesta matrum aut quidquid in schola cottidie agebatur?' ceterum quoniam Petronium tetigi, hunc *ocius* quoque eo sensu usurpare moneo c. 79 (*res tuas ocius tolle*) 94 (*ocius foras exi*) 96 (*et non discedunt ocius nequissimi servi?*). Seneca in soluto sermone illud non scripsisse videtur; semel et extra suasoriam pater Sen. suas. VII, 13 *adferri ocius flagra iussit.*

V, 2, 96 *immemoremque tuis citius dare manibus amnem);* Valerius ter *ocius* (III, 508. IV, 142. 643); omnium saepissime ut multa eius generis Silius, qui adverbio isto triginta locos ornavit. quem excipiant Catullus Propertius Tibullus Lucanus qui nec *ocius* nec *citius* usquam hoc sensu usurparunt. Vergilium igitur Seneca secutus est qui ad imperativum *ocius* posuit: Phaed. 130 *nefanda casto pectore exturba ocius* 1245 *absconde ocius dispersa foede membra.* Thy. 640 *effare ocius.* HO 101 *vos pecus rapite ocius.* 858 *occupa ferrum ocius.* Oed. 80 *profuge iam dudum ocius* 647 *regem ocius agite exulem.* Tro. 679 *iussa ocius peragite.* ad verbum finitum: Phaed. 1002 *celso sonipedes ocius subigit iugo.* Phoen. 449 *ponitis ferrum ocius?* HO 538 *ocius iussa exequar.* unico autem loco quo olim praeter Ag. 965 *citius* legebatur (Thy. 1021 *recipe hosce citius*) id cognita Etrusci scriptura (*accipe hos potius libens,* loco post *fugere superi* ut videtur lacunoso) exulare iussum est. —

verbi *pandere* usus bonis poetis communis Senecae quoque notus est, quo narrandi significatum induit (cf. Habrucker. p. 41); singulare est quod verbo ita usurpato coniunctivus accedit nulla particula determinatus Ag. 404:

tu pande vivat coniugis frater mei
et pande teneat quas soror sedes mea. —

interpolatoris opera sine offensione decurrunt hi versus: 414 sq.

qui fare nostras hauserit casus rates
aut quae maris fortuna dispulerit duces.

genuinam enim hanc lectionem Etruscus praebet:

effare casus quis rates hausit meas
aut quae maris fortuna dispulerit duces.

Gronovius obs. IV, 20 p. 756 Platn. sic distinguit priorem versum, quo adfectum, qualem cum maxime prae se ferat regina, evidentius signari praedicat:

effare, casus quis rates hausit meas?

et sic quidem dixit Phaed. 894 *quis ede nostri decoris eversor fuit?* HO 755 *fare quo posita in statu iam nostra domus est?* 1617 *edissere agedum flamma quo victa est modo?* Oed. 274 *sed quo nefandum facinus admissum loco est, memorate.* sic e. g. Stat. Ach. I, 504 *dic ocius — quibus abditus oris quave iubes tellure peti?* Acc. Oenom. frg. III v. 499 *exprome quid fers?* item apte coniunctivum indicativus excipit, ut Phaed. 358 *altrix profare quid feras; quonam in loco est regina?* sed

in Agamemnonis loco cum secundum sententiae membrum ab imperativo *effare* pendeat, prius quoque (*hausit*) eodem regi manifestum est; itaque in interrogatione indirecta illic indicativus admissus est. audi Diomedem art. p. 395, 15 'hanc *speciem* (*relativam*) *in consuetudine parum multi observant imperitia lapsi, cum dicunt* 'nescio quid facis' 'nescio quid fecisti'. *eruditius enim dicetur* 'nescio quid facias' 'nescio quid feceris''. non aptum exemplum grammaticus elegit, nam *nescio quid* omnes cum indicativo iungunt. patet tamen qualis generis idiotismon respexerit; nimirum quali Ovidius usus est met. X, 673 *quid facit ignorans.*[3]) praeterea haud frequenter Ovidius indicativum in interrogatione indirecta posuit: her. 10, 86 *quis scit an haec saevas tigridas insula habet?* 12, 71 *nescio an exciderunt mecum loca* (*nostin an* Puteaneus, *noscis* et *exciderint* alii; magis etiam priore loco codices variant et cum interpolatoribus viri docti certant. quorum commenta vide apud Heinsium. si mutare voluerunt debuerunt *insula alat* scribere). Vergilium et alios *viden ut* cum indicativo iunxisse Bentleius comprobavit ad Hor. ep. I, 1, 91 exemplis quibus adde Acc. Epig. frg. XIV v. 303 *viden ut te impietas stimulat nec moderat metus?* cf. Dissen. ad Tib. II, 125. Acc. Atham. frg. III, v. 191 (*an dubito quid agis? cave ne in turbam te implices*) recte Nonii libri praebent: *an dubito? ah quid agis?* (*a. d. ha q. a.* codd.). Hor. ep. I, 3, 30 *debes — rescribere, si tibi curae quantae conveniat Munatius, an male sarta gratia nequiquam coit et rescinditur* e. q. s. Bentleius probavit, non *sit tibi curae* quo etiam *coeat* et *rescindatur* flagitari vidit. sed recte Hauptius locum disposuit finali distinctione post Munatium posita. Catulli unum locum scio 69, 10 *aut admirari desine cur fugiunt.* Tibulli II, 4, 18 *et qualis — versis Luna recurrit equis* (*recurrat* codd. aliquot) ubi cf. Dissen. Manil. IV, 117 *nec refert scelus unde cadit* (*cadat* ante Iacobi editionem). rarissime apud Senecae aequales: cf. Lucan. IX, 563 *quaere quid est virtus.* in Senecae tragoediis similis locus extat Thy. 771

> *nec facile dicas corpora an flammae magis*
> *gemuere.*

tamen ut locum ei a quo initium cepimus prorsus similem adferamus coniunctivo indicativum ab eodem verbo pendentem excipiente opus fuerit. qualem locum in Senecae tragoediis

[3]) ubi in codd. quibusdam *quod facit* vel *quid faciat*, Heinsius coniecit *quidque agat*.

non extare scio; Augusteae aetatis solum Propertium afferre possum: III, 16, 29

aspice quid donis Eriphyla invenit amaris
arserit et quantis nupta Creusa malis.

IV, 5, 26 (*perdiscere* —)

quis deus hanc mundi temperet arte domum,
qua venit exoriens, qua deficit,

et qui secuntur versus multi quasi ludentes in modorum varietate. deinde Val. Fl. VII, 119 *quaerit ut Aeaeis hospes consederit oris Phrixus, ut aligeri Circen rapuere dracones.* Propertii similis locus est Pers. 3, 66—76 quem apud ipsum relegas.[4]) Stat. silv. IV, 1, 23

aspicis ut templis alius nitor, altior aris
ignis et ipsa meae tepeant tibi sidera brumae,
ortibus atque tuis gaudent turmaeque tribusque e. q. s.

quibus simile exemplum in Agamemnone legi certe memorabile est. —

Ag. 972 *recedo ab aris. sive te iugulo iuvat*
mersisse ferrum, praebeo iugulum tibi;
seu more pecudum colla resecari placet,
intenta cervix vulnus expectat tuum.

sic, praeterquam quod 973 *praebeo iugulum volens* interpolator scripsit, codicum consensu legitur, et recte quidem quamvis exemplo in his tragoediis destituta sit sententiae constructio. quae evenit sententiis condicionalibus per particulas *sive — sive* diiunctis et interposita prioris membri apodosi interruptis. hanc constructionem bonis scriptoribus haud inusitatam (cf. Madvig. ad Cic. d. fin. p. 45) boni poetae plerique omnes vitavere praeter Ovidium. Vergilius ea usus est XI, 443

nec Drances potius, sive haec est ira deorum,
morte luat, sive est virtus et gloria, tollat.

Horatius in lyricis nusquam, in sermonibus semel serm. I, 4, 121

et sive iubebat
ut facerem quid: 'habes auctorem quo facias hoc',
unum ex iudicibus selectis obiciebat,

---

[4]) incipit ab hoc versu:

dicite, o miseri, et causas cognoscite rerum,

ubi Barthius *io,* Guyetus *vos miseri* coniecere, quorum neutrum Iahnius recepit. equidem nescio cur non pridem emendarint:

discite et o miseri causas cognoscite rerum.

sive vetabat: ᶜan hoc inhonestum et inutile factu necne sit addubites? e. q. s.

Propertius bis: II, 1, 5

sive illam Cois fulgentem incedere coccis,
hoc totum e Coa veste volumen erit;
seu vidi ad frontem sparsos errare capillos,
gaudet

et sic deinceps quinquiens. V, 11, 85 altero membro multum a priore distante (85 *seu* 91 *seu*). Tibullus semel: IV, 2, 9

seu solvit crines, fusis decet esse capillis,
seu compsit, comptis est veneranda comis

et deinde inversa oratione:

urit, seu Tyria voluit procedere palla;
urit, seu nivea candida veste venit.

quo invento quod in membris orationis hoc modo conexis durisculum sibi videretur mitigavit; et qui elogium ad Messalam scripsit v. 45

nam seu diversi fremit inconstantia vulgi,
non alius sedare queat; seu iudicis ira
sit placanda, tuis poterit mitescere verbis.

ex epicis post Vergilium singulis locis Valerius et Silius: Val. III, 624

motis seu vos via flatibus urguet,
pergite et inceptos mecum revocate labores;
seu pluris tolerare moras rursusque propinquis
quaesivisse iugis, pretium haud leve temporis acti.

Sil. XVI, 51

seu foret hostis
cominus, expleri gaudebat vulnere frontis
adversae; seu laeva acies in bella vocaret,
obliquo telum reflexum Marte rotabat

et bis in Silvis Statius: II, 1, 110 maioris ambitus loco et IV, 4, 67

seu campo pedes ire pares, eris agmina supra
nutaturus apex; seu frena sonantia flectes,
serviet asper equus.

nusquam illa constructione usi sunt Catullus Manilius Lucanus Statius in epicis et alii ut Persius Petronius in versibus. contra Ovidius in eroticis ter deciens (am. II, 2, 53; 4, 11 quinque membris uno per *si* inducto interruptis; ibid. 41 sq. ut haec

elegia proprium colorem ista figura ducat; 7, 3. art. I, 61; 309; 487 ipsa priore apodosi bipertita. II, 59; 203; 297. rem. 165. her. 1, 15. 4, 79 cf. Sapph. Phaon. 211 sq. 217 sq.), in transformationibus deciens (IV, 320. 327. 638. dein longo intervallo VIII, 24. X, 397. 603. XI, 121. XIV, 20. XV, 342. 572), in elegiis quas Tomis scripsit septiens (trist. I, 2, 87; 9, 43; 10, 3. V, 7, 43. Pont. IV, 1, 3; 3, 19; 8, 17); in unis Fastis nusquam hac figura usus est. Senecam vero consulto eam in tragoediis vitasse iure conligas inde quod minime eadem in operibus pedestri sermone scriptis abstinuit: cf. d. ira II, 35, 3. III, 1, 5 (*sive successit, superba; sive frustratur, insana*) de benef. III, 29, 5. de clem. I, 3, 5. cons. Polyb. 5, 3. de brev. vit. 13, 2. nat. quaest. III praef. 15; III, 22, 1. epist. 17, 8; 36, 6; 55, 2; 88, 15; 116, 5.[5]) cuius aevi scriptoribus minime omnibus usitata est; Seneca pater saltem eam non admisit praeter sententiam Arelli Fusci in tertia suasoria bis adlatam (1; 4) nec Petronii locum scio praeter c. 126 (p. 173, 3) *sive ergo nobis vendis quod peto, mercator paratus est, sive quod humanius est commodas, effice ut beneficium debeamus.* cf. Quintil. III, 9, 4.

haec fere sunt quae ad elocutionem pertinentia in Agamemnone ab reliquis tragoediis differre sciam. quae vides nec multa esse nec ita comparata ut qualecumque ex eis de auctore iudicium fieri possit. quandoquidem nihil impedit quominus semel Senecam indulsisse sibi putemus quae et in aliis poetis singulis exemplis probari cognovimus. nec multo graviora alienae originis indicia externa fabulae adornatio praebet quam οἰκονομίαν vocant. scilicet quod novissimae scaenae quattuor interlocutores interesse videntur id recte expedivit Weilius l. s. p. 31: idem enim eodem modo in Oedipo 291 sq. accidit, ita videlicet ut quarta persona loqui non laboret; v. 1000 autem Electra abripitur a famulis et 1004 demum Cassandra loquendi initium facit. alterum quoque tangam quod haud sine ratione quispiam afferre posse videatur. etenim legem Graecorum in personis aut antequam loquantur aut in prima oratione aperte significandis, de qua post Hillerum Wilamowitzius egit Anal. Eur. p. 199 sq., Seneca quoque diligenter observavit; de cuius personis spectatores ubique, aut per interlocutores cum accedunt aut per ipsas certiores fiunt. atque hoc quidem, ut ipsae nomina sua proferant aut ita se describant ut ab omnibus

[5]) de ep. 117, 22 cf. CFWMüller über den gebrauch von sive p. 8 (cf. supra p. 62), qui usum a nobis tractatum non data opera attendit.

cognoscantur, locum habet ubi in scaenam vacuam chorum excipientes prodiere; at si personis iam in scaena agentibus interloquendi causa nova accedit, necesse est eius nomen priusquam appareat pronuntietur. quam regulam imperite in Agamemnone derelictam videmus v. 226 ubi Aegisthus Clytaemnestrae et nutrici accedens octo versibus verba facit inscio auditore quis loquatur. minus importune v. 910 in scaena concitatissima eodem modo Electra progreditur. sed quod in Agamemnone vituperandum, non eius fabulae proprium est sed quamvis raro in reliquis quoque obvium; atque prorsus quidem simili modo in fabula Quintiliani testimonio ab ariolationibus munita Iaso Medeae et nutrici accedit (v. 431); sic in Oedipo senex Corinthius regis et reginae conloquium inverecunde interrumpit ne ipse quidem quis sit indicans (v. 783); sic Tro. 164 Talthybium loqui uno scaenae indice comperimus, choro ne praeconem quidem indicante: ut nomen ei qui indiculos apposuit deberi conicias; omnium vero molestissime Talthybii narrationem v. 203 Pyrrhus et Agamemnon excipiunt nec nuntiati nec de semet ipsis quicquam monentes, cum hoc loco canticum v. 371 insertum aptum locum habuerit.

restat duplex chorus, mulierum Argivarum alter alter Iliadum, quem non tuetur quidem Herculis Oetaei exemplum sed satis excusat argumenti natura: nam nec ab initio induci poterant Iliades nec poeta qualem novimus omittere chorum flebilem et condendis carminibus non multum negotii praebentem.

deinceps ut ad ea aggrediamur quae res metricas spectant, de quibusdam monuit B. Schmidtius, ut qui viderit versum 787

dubia labat cervice, famuli attollite,

quod ad locum versus attinet in quo anapaestica vox cum sequenti coaluerit, singulare exemplum esse (p. 23); item v. 684 *pelago audaces* anapaesticae vocis in versibus anapaesticis coalescentis (p. 28); praeterea ex eis quae p. 52 ille composuit sequitur in Agamemnone sola anapaestum in trimetri tertio pede non admissum esse; denique recte dicit (p. 20) singulare esse quod v. 784 synaloephe in personis mutandis locum habet:

Ag. *credis videre te Ilium?* Cass. *et Priamum simul*

quam excusari licentiam graeco nomine alii viderunt et ipse monui s. p. 59 adn. 8.

sed multo graviores dubitandi causas e canticis viri docti sumpsere. in quibus sunt quae a reliquarum fabularum consuetudine discrepent nec pauca nec levia. ac primum quidem in Agamemnone praeter anapaestos et mixtorum quandam metrorum congeriem iambicosque dimetros a Cassandra pronun-

tiatos nullum metrorum genus comparet, cum reliquarum nulla cantico aeolicis numeris composito careat. in Octavia autem omnis metrorum varietas trimetris et anapaestis absolvitur. atque de polymetris istis carminibus infra disputabimus; in anapaestis res observantur duae a Senecae tragoediis ceterum alienae: quarum altera in hiatu vel syllaba ancipiti liberius admissis sita est, altera in dimetris monometrisque discribendis, quae in uno e tribus canticis sese alternis excipiunt. quae utique coniuncte tractanda esse mox videbimus. disputarunt autem de anapaestorum compositione B. Schmidtius p. 59 sq. et Richterus in Fleckeiseni annalibus 1869 p. 780 sq., quorum cum ille locos diligenter composuerit, relictum tamen mihi negotium video hanc quaestionem ex integro tractandi ut quae rectiora hic illic proferre et de quibusdam ex accuratiore codicum notitia certius iudicare posse mihi videar.

Notum est Bentleium observasse, Graecorum legi quae anapaesti uno tenore decurrant donec in paroemiaco desinant, Senecam quoque, etsi paroemiacum ignoraverit, se adstrinxisse neque admisisse syllabam ancipitem hiatumve ante finem sensus nisi rarissime. nimirum extant eius licentiae, si certa tantum numeramus, in septem prioribus fabulis exemplа circiter sedecim, in Agamemnone undecim, in Hercule Oetaeo decem, in Octavia duodeviginti. ab omnibus vero praeter Octaviam Agamemno recedit eo quod ter ante finem sensus hiatum in syllaba ancipiti admittit, id quod ceterae ne in fine quidem sententiae sibi concedunt (Ag. 79. 646. 652).

exempla igitur violatae synaphiae, quamvis pauca sint, sufficiunt tamen ad demonstrandum non severam sibi Senecam conectendorum anapaestorum normam scripsisse. quo Muellerus inductus est, ut cantica anapaestica solis monometris discribenda esse censeret. hanc vero non minorem existimo audaciam esse quam qua novissimi editores strophas suas constituere: siquidem versuum dispositio antiquitus tradita est et vel mirifica quadam tenacitate ubique a librariis servata. nempe Muellerus unde compertum habeat, quod identidem praedicat, versuum dispositionem in priscis quae ipsis scriptorum temporibus fuerint exemplaribus nullam extitisse nescio; scio contrarium verum esse. itaque in his quoque carminibus, ut in poetarum latinorum omnibus, ubi de colis ordinandis dubitatio oritur proficiscendum duco a versuum in bonis codicibus discriptione.

ac si iure de severa synaphiae norma dubitatur, ante omnia videndum est num ancipites syllabae vocalesve cum sequentibus coalescentes in versibus extremis positae sint; nam in mediis versibus eius generis licentiam ne in fine quidem sensus ferendam esse patet. atque e quindecim versibus quos in septem prioribus tragoediis regulae adversari dixi duodecim in Etrusco clauduntur syllaba debili, ex Agamemnonis undecim versibus octo, Herculis Oetaei decem omnes: unde ultro conligitur, ubi licentiam illam Seneca sibi concesserit, id in fine versus factum esse; sivè, ut rectius loquamur, non ἐξ ὁμοίων Senecam systemata anapaestica composuisse, sed dimetros κατὰ στίχον deduxisse, donec in monometris desinerent: eodem modo quo sapphicorum versuum arbitrarium numerum adonio claudere solet. itaque antequam longius progrediamur, quaerendum est quatenus anapaestorum ordini qualis in Etrusco codice apparet confidi possit vel potius qua ratione Seneca dimetros et monometros se excipere voluerit.

atque simplicissima quidem id ratione factum est. dimetri enim — de Etrusco loquor, quem unum huius quaestionis fundamentum haberi par est — continuo decurrunt in plerisque canticis perraro monometris interrupti. quos monometros non temere positos esse eo evincitur quod in tot versibus nusquam per novem tragoedias monometri non sententiam vel periodum vel canticum ipsum claudunt. nam HO 1931, qui est monometer subdistinctione a sequenti versu seiunctus, versus ita dispositos in *E* excipit:

1927 *anguesque suos hydra sub undas*
territa mersit teque labores o nate timent?
fallor fallor vaesana furens, nec te manes
umbraeque timent;
non Argolico rapta leoni e. q. s.

ut 1928 *o nate timent?* suum versum explere, sequens trimeter et monometer duobus dimetris circumscribi debeant.[6]) mono-

[6]) Phaed. 966 sq. sic disposita sunt:
ut nunc canae frigora brumae
nudent silvas, nunc arbustis
redeant umbrae, nunc aestivi
colla leonis cererem
magno fervore coquant
viresque suas temperet annus?
quae antiquitus hanc formam habuisse patet:
colla leonis Cererem magno
fervore coquant viresque suas
temperet annus?

metri igitur ubicumque antiquitus traditi sunt eadem vice funguntur qua in graecis carminibus paroemiaci versus.

iam singula videamus. duo extant cantica solis dimetris decurrentia (Hf. 125—204. Thy. 789—884) quorum de altero dubitari posse infra videbimus. ut monometri plures se exciperent bis accidit in Hercule Oetaeo: v. 173

at ego infelix non templa suis
conlapsa deis sparsosve focos,
natis mixtos
arsisse patres
hominique deos, templa sepulcris e. q. s.

et v. 1916 sic:

iamne Elysios o nate domus
iam litus habes?
at quos populos?
an post raptum
natura vacat?
Styx atra canem praeclusit iter e. q. s.

quae transcripsi, ut turbatus versuum ordo doceret dispositionem quoque errore natam esse. recte enim legitur:

iamne Elysios, o nate, domus,
iam litus habes ad quod populos
natura vocat?
an post raptum Styx atra canem
praeclusit iter teque in primo
limine Ditis fata morantur?

tertium exemplum est Phaed. 79 sq.:

repetitque casas rustica longo
turba triumpho.
en diva faves,
signum arguti
misere canes: vocor in silvas,
hac hac pergam qua via longum
compensat iter.

ubi *en diva faves signum arguti* iniuria diremtum esse dimetrum vel eo docemur quod *fave* in *E* scriptum est.

trimetri continuo scripti sunt in uno cantico alternas Hecubae Troadumque lamentationes continente; quod num consilio ac ratione factum sit infra expediemus. singuli binive ubi occurrunt trimetri, suspicionem de librariorum errore moveri consentaneum est. atque unus quidem extat Hf. 1136. 37 loco turbato; bini Thy. 930—32; HO 206 sq. 623 sq. 1928 sq. (de quibus modo egimus), denique Ag. 641 sq. in loco intricatiore; nam 647

et 651 singuli secuntur trimetri quorum natura eo quempiam inducere possit, ut et illos et priores consulto positos esse opinetur. cf. Mar. Victor. p. 76, 9. in tetrametros bini dimetri errore coniuncti sunt Tro. 72 sq. et Phaed. 979. 80.

monometri tantum in fine cantici inveniuntur Thy. 920—969. Phaed. 325—357. Tro. 705—735. HO 1983—1996. id si contendas casu factum esse, librarios nimirum continuos dimetros scripsisse donec monometer in fine relinqueretur, facile concedo id fieri potuisse poetamque ipsum subinde non aliter rem instituisse, ut HO 1996. sed in his quoque rationem valere exemplum demonstrabit quale Medeae carmen praebet 787—842 quod sic terminatur:

stillent artus ossaque fument
vincatque suas flagrante coma
nova nupta faces.
vota tenentur: ter latratus
audax Hecate dedit et sacros
edidit ignes face luctifera.

ubi post monometrum qui carminis ipsius materiam claudit tres dimetros poni vides quasi epilogum continentes.

in quibusdam canticis frequentiores monometri occurrunt, in nullo plures quam in Hippolyti cantico Phaedram auspicante: v. 22. 38. 43. 47. 80. 84, omnes in fine periodi. sed si anapaestorum numerum spectas, parcissimus est monometrorum usus, siquidem in novem fabulis non amplius quadraginta inveniuntur; contra in Octavia viginti duo quorum octo in media sententia positi sunt: ut hac quoque in re arte prorsus diversa Octaviae auctorem usum esse eluceat. nam fabulam quamvis interpolatis tantum libris servatam ab hac quaestione non est cur arceamus, cum ne in genuinis quidem interpolator versuum dispositionem frequenter turbarit.

itaque si librorum fidem sequimur, carmina anapaestica dimetris *κατὰ στίχον* deductis composita sunt qui hic illic paroemiacorum vice monometris excipiuntur. quorum in versuum exitu si interdum hiatum syllabamve ancipitem admisisset facile ferremus. at fallit ratio. nam quod ter tantum in septem prioribus fabulis accidere vidimus, ut syllaba debilis non finita sententia in medium versum incideret, id deciens septiens ita factum est, ut syllaba anceps sive hiatus in fine sensus admissus, id quod per se nihil offensionis habet, medium dimetri locum teneat. quo id quidem clare efficitur, quod numquam dubium erat, scilicet haud paucis locis a libris in versibus discribendis recedendum esse. sed ne temere omnia quae ad-

huc disputavimus hac de causa labefactari statim et corruere arbitremur, in plerisque istis locis demonstrabo alias quoque rationes extare quibus corruptelae evincantur; ut, si versibus commode discribendis minime rem confectam esse apparet, de tradita dispositione cautius iudicandum videatur. quam in rem opus est singulos locos excutiamus. etenim ita his in rebus licentia nuper grassata est, ut, si rationibus non redditis iudicium tantum de versibus istis meum protulerim, me quoque crediderit quispiam veri simulacrum quoddam potius quam rem ipsam consequi velle.

Hf. v. 1100:

nunc Herculeis percussa sonent
pectora palmis, mundum solitos
ferre lacertos verbera pulsent
ultrice manu; gemitus vastos
audiat aether, audiat atri
regina poli vastisque ferox
qui colla gerit vincta catenis
imo latitans Cerberus antro;
resonet maesto clamore chaos
latique patens unda profundi
et qui medius tua tela tamen
senserat aer: pectora tantis
obsessa malis non sunt ictu
ferienda levi: uno planctu
tria regna sonent.
et tu collo decus ac telum e. q. s.

ita haec in *E* scripta et disposita sunt, praeterquam quod 1103 *ultrice* N. Heinsio et felici codicis *M* errori debetur, cum et *A* et *EN victrice* praebeant. recensentur tria regna ad quae planctus Herculis penetrare debeant, nimirum caelum (1104) inferi (1104—1108) mare (1109). quod deinde sequitur

et qui medius tua tela tamen
senserat aer

ineptum est et ineptius etiam quod in *A* legitur

et qui melius tua tela tamen
senserat aether.

nam nec aether post 1104 ut novi quiddam induci potest et si aera ut medium inter aethera et mare addi intellegas, non magis posse post aethera id inferri manifestum est per quod necessario eundum est clamori in caelum perventuro. quid Peiperus versu post 1103 transponendo profecerit non video: etenim mancam lucratus est sententiam et versum 1104 pro

1110 ineptum. optimo iure igitur Schmidtius in Fleckeiseni annal. 1867 p. 868 trimetrum istum delendum esse censuit. atque versus interpolatos aliis quoque locis circumferri demonstrandi occasio erit. monometer autem sic relictus *pectora tantis* cum per se stare non possit, haec erit ultimorum versuum species:

resonet maesto clamore chaos
latique patens unda profundi:
pectora tantis obsessa malis
non sunt ictu ferienda levi;
uno planctu tria regna sonent.

quo ultro hiatum in medio versu 1113 tolli vides.

praeterea huc pertinet eiusdem cantici exitus, quem inde a v. 1122 transcribam: chorus puerorum a patre interfectorum sortem deplorat:

non vos patriae laudis comites
ulti saevos vulnere reges,
non Argiva membra palaestra
flectere docti fortes caestu
fortesque manu, iam tamen ausi
telum Scythicis leve corytis
missum certa librare manu
tutosque fuga figere cervos,
nondumque ferae terga iubatae;
ite ad Stygios, umbrae, portus,
ite innocuae, quas in primo
limine vitae scelus oppressit
patriusque furor. ite infaustum
genus o pueri noti per iter
triste laboris. ite iratos visite reges.

multa sunt quae in hoc loco offendant. atque primum quidem v. 1130 ubi legitur ferri non potest: debuit saltem *sed nondum;* quod et ipsum sententiae non sufficeret, immo post 1126 claudum esset. at v. 1126 (*iam tamen ausi telum — librare* e. q. s.) membrum aliquod sibi praecedens postulat, quo *tamen* apte referri possit: quale est *nondumque ferae terga iubatae;* quae quoniam non sponte conciliantur — defuerit enim, si v. 1130 ante *iam tamen* ponas, ad *ferae terga* verbum, quod cum sequatur v. 1129, dirimatur tamen a v. 1130 verbo *librare* — ita aliquando putavi haec a poeta profecta esse:

nondumque ferae terga iubatae
tutosque fuga figere cervos,
iam tamen ausi telum Scythicis

leve corytis missum, certa
librare manu;

ut eam aetatem nondum attigisse dicantur qua omnino ad venationem vires sufficiant. quod modo attigisse Carpophorum Martialis dicit spect. 23, 1

Norica iam certo venabula dirigit ictu
fortis adhuc teneri dextera Carpophori

et modo excessisse Iulum Vergilius Aen. IX, 590

tum primum bello celerem intendisse sagittam
dicitur, ante feras solitus terrere fugaces,
Ascanius fortemque manu fudisse Numanum.

sed vereor ne hoc sit sententiae vim adferre; nam telum certa manu librare vix dicantur qui ne tutum quidem venationis genus adhuc adgressi sint. cecinisse igitur de Herculis liberis chorus videtur quale de Hyade Ovidius praedicat fast. V, 173

dum nova lanugo est, pavidos formidine cervos
terret et est illi praeda benigna lepus.
at postquam virtus annis adolevit, in apros
audet et hirsutas comminus ire feras.

sive de Achille Statius Ach. II, 406

numquam ille imbelles Onaea per avia lynces
sectari aut timidos passus me cuspide damos
sternere, sed tristes turbare cubilibus ursas
fulmineosque sues et sicubi maxima tigris
aut seducta iugis fetae spelunca leaenae.[7])

itaque verbum proprium quod sibi flagitat v. 1130 intercidisse iudicandum est cum versus suo loco moveretur. sententiae satisfacias sic fere scribendo: *nondumque ferae terga iubatae [frangere clava]* sive, nam quis de lacunae ambitu spondeat, *[ictu iaculi fligere torti]*.

sed ut omnes loci difficultates sublatae sint tantum abest ut ab initio tota oratio aut durissime procedat aut vitiose. atque Gronovius quidem post 1123 et 1130 subdistinctionem

[7]) apte conferas Goethii Elpenorem haec de se loquentem (I, 2): *O lass mich nur, noch hab ich auf der Jagd das leichte Reh, geringe Vögel nur der niedern Luft erlegt; doch wenn ich dich einst bändige* (arcum avitum) — *ihr Götter gebt es bald! — dann hol ich ihn, aus seinen hohen Wolken, den sichern Aar herunter.* cf. de Parthenopaeo Stat. Theb. IX, 718 *scilicet angustum iamdudum urgentibus annis Maenalium tibi parve nemus perque antra ferarum vix tutae sine matre ferae, silvestria cuius nondum tela procax arcumque implere valebas.* de Astyanacte Seneca Tro. 775 *non arma tenera patria* (sic recte Swoboda; *parva* codd.) *tractabis manu sparsasque passim saltibus latis feras audax sequeris.*

posuit, ut 1123 *ulti* 1125 *docti* 1126 *ausi* participia essent ad sequens versu 1131 nomen pertinentia; sed sic non obscura tantum et molesta per novem versuum spatium sententia pendet, sed peraudacter etiam participia masculini generis cum *umbris* coniunguntur. id sensisse videtur Peiperus, cum priorum quosdam secutus post 1123 et 1129 signo finali sententiam distingueret; sic vero ad *ulti* et *ausi* subaudiendum esset *estis* id quod nullo modo in his tragoediis fieri posse nunc affirmo, posthac probabo. accedit quod in fine carminis nimius est chorus in compellandis pueris, quos quater ire iubet, primum umbras, dein pueros vocat. quae si omnia consideraveris, mecum facies etiam versus 1134^{b} 35. 36^{a} (*ite infaustum genus, o pueri, noti per iter triste laboris*) suo loco motos et recte quidem in periodi initio conlocandos esse iudicante, ut participia nomine quod est *pueri* regantur. tum dimetro

ite iratos visite reges

clauditur carmen. id quod plane eodem modo Phaed. 987 fieri debet ubi dimetrum et monometrum in fine cantici traditum sic discribendos esse patet ut monometer dimetro excipiatur:

tristis virtus perversa tulit
praemia recti. castos sequitur
mala paupertas vitioque potens
987 *regnat adulter.*
o vane pudor falsumque decus!

ultimo enim dimetro cantici quasi epimetrum quoddam continetur, quod item in Medeae carmine fieri supra adnotavimus.

Herculis autem locum iam qualem constituimus adscribam, ita quidem ut lacunam dimetro constare sumam: quo perinde ac si monometro constet syllabas ancipites v. 1134 et 1136 ultro e medio versu eliminari vides:

ite infaustum genus, o pueri,
noti per iter triste laboris,
non vos patriae laudis comites
ulti saevos vulnere reges,
non Argiva membra palaestra
flectere docti fortes caestu
fortesque manu, nondumque ferae
terga iubatae [vulnere gaesi
frangere torti], iam tamen ausi
telum Scythicis leve corytis
missum certa librare manu
tutosque fuga figere cervos.
ite ad Stygios, umbrae, portus,

ite innocuae, quas in primo
limine vitae scelus oppressit
patriusque furor:
ite iratos visite reges.

haec si recte disputata sunt, in Hercule priore hiatus et syllaba anceps tantum in fine versuum inveniuntur; in media sententia 170

mobile vulgus | aura tumidum

et 1056 *mobilis unda, | tuque ante omnes*

reliqua finito sensu. interpolatum vero esse vidimus versum 1109 qui ad antecedentem eodem modo in codicibus applicatur:

unda profundi, | et qui medius.

Phaed. 325

vidit Persis ditique ferox
Lydia regno deiecta feri
terga leonis umerisque, quibus
sederat alti regia caeli,
tenuem Tyrio stamine pallam

quod Peiperus, ut ancipitem syllabam tolleret, scripsit *cuiusque umeris* id efficit ut intellegi hi versus omnino nequeant. sed etiam quod traditur grammatica recusat. ad quorum sententiam complendam, ut nunc leguntur, hoc subaudiri debet: umeris quibus caelum sederat Tyriam pallam [sedere vidit], quod ineptum est: nam sic palla cum caelo comparatur quo nec sani quicquam nec huius loci acumen significatur. id in eo positum est ut umeri, qui caelum tulerint, pelle ferina digni esse dicantur, non veste Sidonia. hic quoque medium aliquid, a quo *umeris* pendeat, intercidisse patet, quale est *[sumptamque armis]* [8] *umerisque quibus sederat* e. q. s., ut, si monometer interciderit, in monometrum *stamine pallam* periodus exiret, si dimeter, in dimetrum v. 329.

alter locus est in eodem cantico de Amoris potentia v. 338 sq.:

ignes sentit genus aligerum;
venere instinctus suscipit audax

---

[8]) cf. Ovid. met. XII, 396 *ex umeris medios coma dependebat in armos.* — de ipsa re Hf. 465 *fortem vocemus cuius ex umeris leo donum puellae factus et clava excidit fulsitque pictum veste Sidonia latus?* Theb. X, 646 *sic Lydia coniunx Amphitryoniaden exutum horrentia terga perdere Sidonios umeris videbat amictus et turbare colus et tympana rumpere dextra.*

grege pro toto bella iuvencus;
si coniugio timuere suo,
poscunt timidi proelia cervi
et mugitu dant concepti
signa furoris; tunc virgatas
India tigres decolor horret,
tunc vulnificos acuit dentes
aper et toto est spumeus ore;
Poeni quatiunt colla leones,
cum movit amor; tunc silva gemit
murmure saevo. amat insani
belua ponti lucaeque boces.

quo consilio Richterus 350[b] 51 post 347 posuerit nescio; scio hiatum in syllaba ancipiti nusquam ne in fine quidem periodi per septem priores tragoedias Senecam admisisse (*ore.* | *amat*), cum quod est in his versibus difficultatis id nullo modo Peiperi coniectura tangatur; loquor de v. 343. dixit enim poeta cervos, si coniugio suo timeant, ne proelia quidem reformidare. quod sequitur:

et mugitu dant concepti signa furoris,

duas ob rationes offendit. primum conceptus furor est libido veneris, non in periculis coniugio imminentibus ira, qualem e. g. Martialis describit IV, 74, 1

aspicis imbelles temptent quam fortia damae
proelia? tam timidis quanta sit ira feris?

deinde cervos mugire numquam audivi nec quemquam credo aut audisse aut dixisse. ergo haec quoque verba locum occuparunt non suum legitimo derelicto. quae ad iuvencos olim pertinuisse[9]) multa dissuadent: et quod debiliora essent post v. 339. 40 et quod sine mutatione post v. 340 inseri non

[9]) quo ducere possit Vergilii locus georg. III, 209 sq. quem et Seneca versibus quos tractamus imitatus est et eadem imagine usi Valerius II, 544 (*qualis per pascua victor ingreditur, tum colla tumens, tum celsior armis taurus, ubi adsueti pecoris stabula alta revisit et patrium nemus et bello quos ultus amores* cf. V, 67 sq.) et, qui maxime taurorum pugnam adamavit, Statius: Theb. II, 323 sq. III, 330 sq. VI, 864 sq. XII, 601 sq. Ach. I, 313 sq., quorum locorum tertium:

non sic ductores gemini gregis horrida tauri
bella movent: medio coniunx stat candida prato
victorem expectans; rumpunt obnixa furentes
pectora, subdit amor stimulos et vulnera sanat

ideo adscripsi, quia ultima verba sic emendanda esse censeo: *et vulnera suadet.* — cf. Longus p. 266, 15 Hercher. ἔγνων δ' ἐγὼ καὶ ταῦρον ἐρασθέντα, καὶ ὡς οἴστρῳ πληγεὶς ἐμυκᾶτο.

possent. itaque ad leones referenda sunt de quibus v. 341 sermo est. nec dubito quin et ordinem et sententiam sic restituenda esse iure contendam:

venere instinctus suscipit audax
grege pro toto bella iuvencus;
si coniugio timuere suo,
poscunt timidi proelia cervi.
tunc virgatas India tigres
decolor horret; tunc vulnificos
acuit dentes aper et toto est
spumeus ore.
Poeni quatiunt colla leones
et mugitu dant concepti
signa furoris, cum movit amor:
tunc silva gemit murmure saevo.
amat insani belua ponti
lucaeque boves. e. q. s. —

tertius Phaedrae locus est v. 1141 sq.:

volat ambiguis mobilis alis
hora nec ulli praestat velox
fortuna fidem. qui clara videt
sidera mundi nitidumque diem
morte relicta, luget maestos
tristis reditus ipsoque magis
flebile Averno sedis patriae
videt hospitium.

quae satis quidem limate decurrens oratio interpolatori debetur; iuvat autem Etrusci scripturam subicere:

— nec ulli praestat velox
fortuna fidem. hic qui clari
sidera mundi nitidumque diem
morte relicta[10]*, luget maestos*
tristis reditus.

sententiae aperte hianti interpolator succurrit; nec vidit olim necessario dictum fuisse Thesea solis aspectu recuperato laetatum modo nunc lugere. et fortasse monometer tantum intercidit quo suppleto sic fere pristinam versuum dispositionem restituemus:

---

[10]) *morte E*, non *nocte*. cf. v. 1220 *mortem relictam*. HO 1161 *relicta morte*. Hf. 612 *morte contempta redi*. HO 1949 *vicisti rursus mortis loca E, noctis A*. Verg. aen. IX, 346 *et multa morte recepit;* Servius: *Cornutus nocte legit et adnotavit: utrum nocte pro morte? an cum multa nox esset?*

— *nec ulli praestat velox*
fortuna fidem.
hic qui clari [laetus vidit]
sidera mundi nitidumque diem
morte relicta, luget maestos
tristis reditus e. q. s.

versum 987 supra (p. 105) tractavimus. iam in Phaedra unus relictus est v. 33

tendant Cretes fortia trito
vincula collo. at Spartanos e. q. s.

in quo nihil reprehendendum est; iam vero iure statuemus librarios hunc versum falso continuasse et monometrum non v. 38 sed v. 33 ponendum esse. sic in Phaedra nusquam hiatus vel syllaba anceps nisi in fine versus extat: siquidem v. 14 interpolatum esse Herm. X p. 426 docuimus et v. 343 non suum locum tenere modo evicimus.

Oed. 178 *nocte silenti Amphionios*
ululasse canes

hunc locum (171 sq.) turbatum esse infra demonstrabimus: nunc disputationem nimia mole augere nolo. item Troadum carmen v. 67 sq. sequenti capiti reponimus. moneo tantum v. 101 sq.:

sparsitque cinis
fervidus ora. complete manus;
hoc ex Troia sumpsisse licet

ultimos tres monometros non suum locum tenere; quod Haasius comprobavit in misc. philol. III p. 12. sic in Oedipo relinquitur v. 158:

bracchia curvat. omnia nostrum

qui non minus incorruptus est quam tres eius generis versus in Medea extantes:

342 *claustra profundi hinc atque illinc*
372 *pervius orbis. Indus gelidum*
832 *servare malum. adde venenis*

quibus in locis omnibus ut in Phaedrae Oedipi et Thyestae quem nondum tetigi:

877 *cardine mundus. in nos aetas*

nullo negotio probabilis versuum dispositio restitui potest; id ne temere fieri videatur haec tantis ambagibus tractavi. iam, quod totiens corruptis locis deprehendimus, id in reliquis quoque errore factum esse persuasum habebimus.

idem si de tribus Agamemnonis versibus (68. 88. 104)

statuimus, manifestum est difficultatem quam in anapaestorum synaphia parum observata sitam esse creditur, aliqua ex parte levari. sed negari non potest Agamemnonis auctorem eo a reliquis discrepare quod hiatum in syllaba ancipiti sibi indulsit. id si Senecae aevoque eius adscribi prorsus non posse opineris, vereor ne fallaris. etenim in apocolocynthosi plane idem accidit, in fine quidem sententiae; sed Senecam id quoque in reliquis vitasse vidimus: apoc. 12, 4

quo non alius fuit in toto
fortior orbe. ille citato
vincere cursu poterat celeres.

quamquam non eodem modo in satira quo in tragoediis anapaestos compositos esse facile agnoscas. in quibus cum ne seni quidem spondei usquam se excipiant, quaterni perraro (v. s. Phaed. 343), hic decem uno tenore decurrunt:

21 *una tantum parte audita,*
saepe et neutra: quis nunc iudex
toto lites (audiet anno?).

praeterea autem nunc dubitari non potest quin singulare sit in Agamemnone canticum dimetris anapaesticis et monometris alternis sese excipientibus compositum. verum nec hoc nec reliqua quae de anapaestis disputavimus ad pronuntiandam de tragoediae origine sententiam sufficiunt.

---

absolutum ac firmatum omni ex parte iudicium de Agamemnonis auctore ferri nequit antequam de canticis constiterit quae in illa leguntur v. 589—636 et 808—866. ea vero tam arte natura sua cum Oedipi canticis 403—508 et 709—763 coniuncta sunt ut non aliter quam coniuncte de his omnibus disputari queat. atque post curas Grotefendi, cuius librum inspicere non potui, et Bothii, quem Grotefendi vestigia pressisse aiunt, Muellerus haec carmina perverse quidem discripsit — id quod in anapaesticis quoque fecisse illum vidimus — sed numerorum naturam ad summam recte exposuit (de re metr. 120 sq.), nequaquam tamen ita ut tractando hoc loco supersedere possimus; praesertim cum Richteri Peiperique temeritas docuerit carmina ista, memorabilia sane et singularia ex antiquitate Romana artis licentius exercitae monimenta, ne a vilissimo quidem et plane nefario ariolandi genere munita esse. atque ut de disputandi ratione primum conveniat, vel potius ne quis putet aliter haec carmina tractanda esse, aliter

reliquam Romanorum poesin, tenebimus solitam quaerendi viam: videbimus igitur quali haec procedant sententiarum ordine, multosne locos corruptos esse iudicandum sit, possitne in singulis pristinae lectionis recuperandae ratio demonstrari; deinde inquirendum erit quomodo artem metricam poeta factitarit, qualia numerorum et metrorum genera imputari illi merito videantur, quatenus a tradita lectione — cuius fundamentum utique habenda est tradita versuum dispositio — recedendum sit. sic demum iudicari poterit de gravioribus quibusdam rebus cum hac quaestione coniunctis et in primis, quod ad propositum nostrum attinet, an de diversis sive non diversis Oedipi et Agamemnonis auctoribus argumentum e canticis istis capi queat.

canuntur autem Oed. 403 sq. Bacchi laudes, occasione sumpta ex Soph. OR 209 (*τὸν χρυσομίτραν τε κικλήσκω τᾶσδ' ἐπώνυμον γᾶς οἰνῶπα Βάκχον εὐϊον Μαινάδων ὁμόστολον πελασθῆναι φλέγοντ' ἀγλαῶπι πεύκᾳ ἐπὶ τὸν ἀπότιμον ἐν θεοῖς θεόν* cf. 1105), sermonis flosculis undique decerptis, ex Propertii carmine IV, 17, 21 sq., Tibulli I, 7, 39 sq., Horatii carmine saeculari aliisque (III, 25; II, 19; I, 4), Vergilii Aen. I, 607 sq., Ovidii fast. I, 391 sq. aliis. duae autem carminis partes de quarum metris dubitari potest — nec de cèteris explicatius hoc loco disserendum est — tres reliquas ita cingunt ut initium totius cantici finemque obtineant praeter versus heroicos in singularum partium initiis finibusque positos. eos vero in sequenti capite tractabimus.

chorus igitur Bacchum invitans, ut favens Thebarum incolis pestilentia vexatis accedat, dei cultum describit precaturque: '*vultu sidereo discute nubila et tristes Erebi minas avidumque fatum*;' quod et Swoboda et Richterus lacessiverunt, non posse fatum discuti praedicantes. at mortis impendentis minas discuti posse translato sensu, ut nubila proprio, concedent; cum quibus *fatum* tam arte coniunctum est ut quasi una notio efficiatur. sed licet hunc conexum non agnoscas, ne inter audaciores quidem illa esset zeugmatis figura.[11])

---

[11]) cf. HO 325 *iam iam minaces ire per caelum faces specta et tenantem fulmine excusso diem* i. e. fulmina aspice iam excussa et tonitrua audi die sereno coorta. Thy. 406 (*tactum soli natalis et patrios deos cerno*) recte Bothius scripsit *tractum*. similiter autem errarunt illi atque Hyginus cum Vergilium errasse contendit in his versibus: *ipse Quirinali lituo parvaque sedebat succinctus trabea laevaque ancile gerebat* quos non rectius explicat Gellius V, 8. sic Statius dixit Theb. XII, 377 *certe lacrimas lamentaque cerno*. XI, 643 (*plagam*)

descripto dei cultu et comitatu res ab illo gestae enarrantur: piratae in ranas transformati, subactae gentes ferocissimae quaeque. hoc loco Etrusci librarius cum omisisset quae inter v. 473 *Boreas ferit* et 475 *frigido fluctu* intercedunt, iam scripto libro ipse in margine cola omissa supplevit, etiam verbis *frigido fluctu*, quae scilicet aliud agens ita exaraverat: *rigido fluctu*, emendate iterum scriptis. ut haec sit versuum 473—475 species (fallit enim exemplar Teubnerianum):

Et quos vicinus boreas ferit. alluit gentes.
Rigido fluctu. Arva mutantes. Quasque meotis
Quasque despectat. uertice summo. Frigido fluctu

ut *alluit gentes* ad *quasque Maeotis* applicandum esse significetur, totum ordinem autem non diversum esse ab eo qui in editionibus circumfertur, sic scilicet discribendum:

et quos vicinus Boreas ferit
arva mutantes,
quasque Maeotis alluit gentes
frigido fluctu.

pergit chorus: Gelonos Bacchum domuisse, Amazonas subiectas comitesque dei factas, Cithaerona maculatum esse *caede Ophionia*,[12]) Proetidas in silvam actas et Argivorum civitatem

---

lacrimisque comisque siccabat plangens; sic Horatius I, 14, 3 *nonne vides ut nudum remigio latus — antemnaeque gemant,* qua de re non merito Bentleius dubitavit. cf. serm. II, 8, 77 *tum in lecto quoque videres stridere secreta divisos aure susurros.* sic Oed. 1013 *matris en matris sonus.* — ad 409 *vultu sidereo discute nubila* cf. Stat. Theb. II, 56 *infernaque nubila vultu discutit.*

[12]) perquam memorabile est Senecam v. 485 epitheto ab Ophione derivato usum esse, non a titane Eurynomae coniuge (Apoll. Rh. I, 503) sed ab alio quodam qui inter Thebarum conditores fuerit et, ut breviter dicam, germanus geminusque Echionis habendus est. sed quominus hoc loco scribendum conicias *Echioniaque caede* adiectivo poetis latinis usitato prohibet Hf. 268 *Cadmea proles atque Ophionius cinis* quod interpolare inceperunt Itali, penitus pessum dedit D. Heinsius scribendo *civitasque Amphionis*, pessum datum ediderunt quicumque post Heinsium fuere. certam puto emendationem: *Cadmea proles atque Ophionium genus, quo reccidistis?* adripio autem occasionem quamvis alieno loco exponendi cur v. 269 scribendum ducam *quo reccidistis.* legitur hoc in nonnullis interpolatae sectae libris, unde inlatum est secunda manu erasis quibusdam litteris in *E* et *N.* alii *decidistis. quorsum excidistis M,* quod e Vindobonensis vestigiis iam restituerat Peiperus. sumamus igitur hanc ipsam Etrusci fuisse pristinam scripturam. *at excidere* apud Senecam proprio sensu legitur tantum Thy. 32 *superbis fratribus regna excidant.* 51 *excidat caelo dies.* HO 1163 *cum paene lapsis excidit Titan equis.* Ag. 494 *excidunt ignes tamen;* translato tantum eo qui et Ovidio valde usitatus nec Vergilio ignotus est (aen. I, 25), ut scilicet excidisse dicatur quod memoria exciderit: Tro. 204 *excidit Achilles.* 714 *excidat*

praesente noverca Bacchum coluisse (nam qui v. 487 corruptum habuere et correxere aut nugati sunt aut somniati), cuius thalamis Naxos insula virginem tradiderit (v. 489 quod nomen desiderari dicit Richterus viri cuius thalamis tradatur, oblitus est omnia ad unum eundemque pertinere); iam solita dei in parandis rivulis lacte vinoque fluentibus miracula, denique nuptiae describuntur. nusquam autem in hac carminis parte iure haesites; quod si contra Richterum de hoc carmine in philologorum Bonnensium symbola commentato demonstrare vellem chartas perderem inmeritas. exemplo sit quod versus 496 (*et mixta odoro Lesbia cum thymo*) ita illi corruptus videtur ut de emendando omnino desperandum sit; nempe Lesbium ab illius aevi poeta dictum esse vinum Naxi profluens et thymo Senecae Bacchum vina miscuisse plane illi incredibile visum est.

minus expedita est lectio sequentis carminis quo post relatas a Creonte Laii in Oedipum diras finitamque inter reges altercationem chorus praesentium calamitatum causam altius repetendam esse canit: non propter Oedipi culpam Thebas plecti, sed veteres esse numinum iras inde a Cadmi adventu numquam mitigatas: quarum initia fuisse draconem caesum spartosque; alia secuta esse. ac statim in initio haeremus

709 *non tu tantis causa periclis,*
non haec Labdacidas petunt

Hector. Med. 561 *excidimus tibi?* Thy. 511 *animis odia damnata exeidant.* Phaed. 590 *quam bene excideram mihi.* HO 357 *excidit quidquid licet.* 367 *vim stupri passa excidit.* 1332 *excidimus tibi?* 1446 *quam bene excideras dolor;* sensu quo codices isti volunt nec apud Senecam nec quantum sciam apud reliquos latine loquentes. praeterea *quorsum* dubito an poetae post Terentium scripserint; Seneca nec hoc nec *sursum seorsum deorsum versum; rursum* vero ubique *rursus* apud illum sonat. iam *recidere aliquo* dictio est hac in re legitima: cf. Liv. XXI, 42, 18 *ceterorum miserabilior oratio fuit commemorantium ex quantis opibus quo recidissent Carthaginiensium res.* IV, 2, 8 *ne id Iupiter O. M. sineret, regiae maiestatis imperium eo recidere.* quod verbum verum est alio harum tragoediarum loco non inveniri; at usitatum est Ovidio (rem. am. 611 *reccidit ut cupidos inter devenit amantes,* item met. VI, 212; X, 18. 180. cf. her. 14, 46); nec *rettulit* scripsit ille praeter Ag. 819 (cf. Ov. met. III, 383 *rettulit Echo*). denique, quod summum est, in *E* prima manu scriptum fuit *quor excidistis,* certe post *quo* una tantum littera erasa; *quor* igitur qui codicem Σ interpolavit correxit ut in *M* et Vindobonensi legitur, spreta correctura recepit *N.* illud vero quomodo emendandum vel potius intellegendum sit iam nemo opinor dubius haerebit. certe ut grammatica ratione *excidimus* sic Etrusci auctoritate *decidimus* refellitur alioquin nec usu illud nec grammatica recusatum. cf. Gronov. ad l.; Sen. ep. 75, 9 *iam tamen in illa — decidere non possunt.* Claudian. bell. Gild. 44 *ei mihi quo Latiae vires urbisque potestas decidit?*

fata, sed veteres deum
irae secuntur e. q. s.

haec ita accepisse videntur quasi dictum sit 'non haec prima', 'non haec demum'; vides autem hunc potius traditae scripturae sensum esse: non Labdacidas haec infortunia petunt, sed iam ante Labdacum initium cepere; quod a carminis proposito alienum est. non premo quod chorus ignarus Oedipum e Labdaci genere esse adhuc Meropae illum Polybique filium habet (cf. 661 sq.); verum post v. 709 utique flagitatur haec sententia: non haec *propter te* Labdacidas, i. e. Thebanos, fata petunt; respondet enim Laii dicto: *patria non ira deum, sed scelere raperis.* ergo aliqua enuntiati particula intercidisse videtur; quae qua ratione suppleri possit ostendemus cum de metris constabit. sequitur sententia multorum versuum spatium complectens, submolesta quidem et subobscura, sed ut suspicionem non moveat.[13]) statim enim in narratione incipit tempusque describit quo Cadmus in Thebarum locum venerit: umbram fontemque nemus Castalium viris Phoenicibus praebuit, cum Cadmus Iovi sacra ferens in hac silva requiesceret et, a Phoebo iussus vaccam iugi immunem sequi, tandem consisteret gentique de bove nomen daret. haec ineleganter dicta sunt sed non vitiose. contra ferri non potest quod legitur 725 sq.

aut anguis imis
vallibus editus annosa supra
robora sibilat superatque pinus,
supra Chaonias celsior arbores
erexit caeruleum caput,
cum maiore sui parte recumberet.

non in narrationis progressu satis quidem miro offendimus — ita enim haec narrat quasi inter Cadmi adventum necemque draconis multum temporis intercesserit et quasi angui isti nihil commune fuerit cum pugnacibus terrae filiis, quamvis Ovidium exprimat —, sed in eadem re intolerabili modo bis dicta; nihil enim v. 728 aliud dicitur quam quod 727 audivimus, ne loquendi quidem genere variato (*supra annosa robora — supra Chaonias arbores*). non dubito quin locus interpolatus

[13]) commodius sententiae partes inter se coniungantur si scribas 712 *Castalium ut nemus*, cui respondeat 715 *ut primum*, coordinetur 722 *deseruit*, ut 724 apodosis incipiat: *tempore ex illo*. sed sic merito diceres per priora duo membra sententiam non continuari. et videtur structura rudis et aspera non ex metrorum insolentia tantum sed ex nimia quoque Ovidii imitatione orta esse; quod concedes si relegeris met. III, 6 sq. ubi eodem ordine res proferuntur et subinde verbis eisdem.

quem quo saepius retracto eo magis verisimile habeo sic endum esse (ut integros versus integros adscribam):

aut anguis imis vallibus editus
annosa supra robora sibilat
supraque pinus
erexit caeruleum caput,
cum maiore sui parte recumberet

728 insertus sit cum *supraque* in *superatque* proclivi e mutatum fuerit.

dein spartorum originem et pugnam fusius describit atque dem materia tractanda, ut solet, transitum a mixto me- m genere ad anapaestica facit. quorum in confiniis pridem tarunt viri docti et iure quidem in interpolatorum codicum tura, quam tentantes quod nihil effecere ingeniosi viri us et Rutgersius (V. L. p. 426 sq.) non mireris. Etrusci turam rectam esse vidit Gronovius; quae offensionis nihil eret si cum anapaestis sententia non interrupta coniungi t: v. 733

sonuit reflexo classicum cornu
lituusque adunco stridulos cantus
elisit aere. non ante linguas
agiles et ora vocis ignotae
clamore primum hostico experti
agmina campos cognata tenent e. q. s.

hoc fieri non potest; nam ut *agmina cognata* appositionis ad *experti* accedere possit, nomen desideratur quo ad- um *experti* regatur. itaque in metro sententiam quoque inari iudicandum est. ita vero statim apparet incorrupta m haec verba esse ('linguas non antea agiles et ora igno- vocem fundentia primum experti clamore bellico'), sed a: desideratur enim verbum et, quoniam de viris nihil comperimus (v. 731 *feta tellus impio partu effudit arma*), n; vel, ut aliter idem dicam, intercidit hoc fere sententiae lementum: *[pugnamque inibant tellure nati] non ante lin- agiles et ora — clamore primum hostico experti.*' dein t: *agmina campos cognata tenent.*

denique cantici finem inspicere debemus, licet anapaestis ositum, ut sententiarum ordinem recte aestimemus. atque 751 sq. aliquid vidit Peiperus vel potius sensit: nimirum cum praecedentibus non cohaerere. at aptissime Actaeonis in hoc carmine narrantur et de Phoenissarum cantico ia discutient puto quae de scaenis illis disputavimus. Ha- erus quoque a Peipero in errorem se deduci passus est

(p. 53 sq.); qui quod de Actaeone narrationem 'frigidam atque aridam' esse dicit id non emimus maioris quam illi constitit; et apud ipsum quoque plus valuerint aliae quas a Peipero in se suscepit rationes. quarum alteram, inconexam scilicet orationem, mox tangemus; de altera et Peiperum et Richterum et Habruckerum errare credimus. dicunt enim canticum aperte finiri versibus 748—50

hac transierit civile nefas,
haec Herculeae norint Thebae
proelia fratrum.

quibus sane respicitur ad regum altercationem; ea vero non praebuit choro canendi materiam, sed perstringitur tantum occasione data: argumentum carminis in eo versatur quod non Oedipi culpa Thebae domusque Labdacidarum vexentur sed vetere deorum ira, id quod demonstrari non potest nisi inde ab initiis Cadmi inruentibus in domum eius infortuniis; apte igitur hoc carmine Semeles Inus Actaeonis Penthei fata poterant enarrari. atqui dispicere possumus quae causa fuerit cur Actaeonis potissimum transformationem elegerit. nempe quod in priore carminis parte Ovidium suum non imitatum tantum poetam esse sed expressisse interpretes viderunt — unde non minus quam metris insolitis et difficilibus factum esse coniecimus ut minus elegantes evaderent structurae sententiarum — idem multo etiam apertius in eis versibus factum est quos de Actaeone composuit:

v. 752 *cum vivacis cornua cervi*
frontem ramis texere novis
Ov. met. III, 194 *dat sparso capiti vivacis cornua cervi*
(cf. med. fac. 59 *et quae prima cadent vivaci cornua cervo*).

v. 760 *donec placidi fontis in undis*
cornua vidit vultusque feros
Ov. met. III, 200 *ut vero vultus et cornua vidit in undis.*

praeterea cf. 757—III, 198; 759—III, 228; 762—III, 163. sed non sermone contentus etiam ordinem rerum expressit: nimirum Ovidius quoque narrato Cadmi adventu sic pergit: potuisse quidem Cadmum felicem videri exilio, sed ultimam semper diem hominis [14]) expectandam esse:

138 *prima nepos inter tot res tibi, Cadme, secundas*
causa fuit luctus

quae excipiuntur Actaeonis transformatione. itaque totum

[14]) ut est in commentis Lucani (cf. Useneri adnotationem p. 256, 26); *homini* codd.

carmen ab uno poeta Ovidii exemplo compositum esse constat. sed verum est sic narrationem incipere non posse: *quid Cadmei fata nepotis, cum* e. q. s. atque ipsa sermonis forma docet aliquid antecessisse cui illud adplicari potuerit. omnino autem, cum ex eis quae modo expedivimus constet maiorem narrationis ambitum inter spartorum pugnam Actaeonisque fatum non intercessisse, sententiae tali fere supplemento satisfactum erit: *[quid plura canam?] quid Cadmei fata nepotis?* e. q. s.

finitur vero canticum aptissime ut in codicibus legitur, in imagine scilicet Actaeonis fatum agnoscentis depingenda; quo artificio amputatur filum narrationis nondum finita licet carminis materia. sic Thy. 122 sq., cum carminis argumentum sit numinum invocatio ut arceant ab Argis in futurum scelera, Pelopis et Tantali criminibus relatis in poena Tantali apud inferos describenda carmen terminatur his verbis:

conantemque sequi deserit: hic bibit
altum de rapido gurgite pulverem

ubi finem carminis deesse iam Scaliger putabat.

accedimus ad Agamemnonis canticum 589 sq. quod item statim in initio insuperabiles interpreti difficultates opponit, quas Peiperus, cetera ad libidinem discerpens et amplificans, ne sensit quidem, licet tactae sint a prioribus. qui quod v. 593 *hunc* ad *portum* referebant, id refutavit Gronovius (ad v. 596) recte dicens *hunc* non posse intellegi nisi contemptorem levium deorum v. 605. miratur enim chorus quod vitae miserias morti homines praeferant v. 589:

heu quam dulce malum mortalibus additum
vitae dirus amor [15]*, cum pateat malis*
effugium et miseros libera mors vocet, [16]
portus aeterna placidus quiete. [17]

statim pergit v. 593:

nullus hunc terror nec impotentis
procella fortunae movet aut iniqui
flamma tonantis

et quae in eandem sententiam usque ad v. 604 secuntur, dicta de eo qui mortem eligere prae vita miserabili non dubitet.[18]

---

[15]) similes locos dabit volenti Valckenaerius Diatr. p. 232.

[16]) Phaed. 253 *haec sola ratio est, unicum effugium mali.*

[17]) Sen. cons. Pol. 9, 7 *in hoc tam procelloso et in omnes tempestates exposito mari navigantibus nullus portus nisi mortis est.* de vit. beat. 19, 1 *laudavitque aetatis in portu et ad ancoram actae quietem* e. q. s.

[18]) sive de sapiente ut audierit philosophanti Senecae: ep. 56, 13

eius autem viri descriptio sequitur demum finitis eiusdem laudibus, quas ita nec intellegere nec referre quo pertinent quisquam potest. et languide dicitur v. 604 omne servitium perrumpere cui mori facile sit, cum de eodem multo plura et maiora iam dicta sint. contra id ipsum aptissime dicetur statim post v. 591 *cum miseros libera mors vocet.* ut brevis sim, vv. 604—608 suo loco post 592 reddendi sunt:

cum pateat malis
effugium et miseros libera mors vocet,
592 *portus aeterna placidus quiete.*
604 *perrumpet omne servitium* [19]) *contemptor*
levium deorum,
qui vultus Acherontis atri, qui Styga tristem
non tristis videt audetque vitae
608 *ponere finem.*
593 *nullus hunc terror nec impotentis*
procella fortunae movet aut iniqui
flamma tonantis e. q. s.
dein 602 *non (timet) urbe cum tota populos cadentes*
hostica muros populante flamma
indomitumve bellum:
609 *par ille regi par superis erit.*
o quam miserum est nescire mori e. q. s.

quae secuntur incorrupta sunt quamvis artificiose constructa. narrandae Graecorum fraudi chorus praefatur praedicanda patriae per decem annos constantia: quam bello non victam Herculis sagittis iterum succubuisse [20]) et, cum Achilli et Patroclo restiterit — huic alienis armis hostem territanti, illi amicum ulciscenti — extremo honeste pereundi titulo semet ipsam privasse:

restitit quinis bis annis
unius noctis peritura furto.

ipsa deinde fraudis narratio nihil habet in quo offendas.

---

prior ille sapiens est quem non tela vibrantia, non arietata inter se arma agminis densi, non urbis impulsae fragor territat e. q. s. (v. 599 sq.). 59, 14 *sapiens ille plenus est gaudio, hilaris et placidus, inconcussus: cum dis ex pari vivit* (v. 609); 102, 29 *quam (aeternitatem) qui mente concepit, nullos horret exercitus, non terretur tuba, nullis ad terrorem minis agitur* (v. 596 sq.). vides rem non potuisse verbis magis stoicorum et ipsius Senecae propriis tractari quam in Agamemnone factum est.

[19]) cf. Lucan. IV, 576 *quam sit non ardua virtus servitium fugisse manu*, alia.

[20]) nam v. 613 ita distinguenda est sententia:
non illa bello victa non armis,
ut quondam, Herculea cecidit pharetra.

de altero cantico (808 sq.) non multa dicenda erunt. Troades ingentes viros Argivorum urbe prodisse expertae praedicant laudesque prioris Troiae expugnatoris, sed magis illius generose in victos se gerentis (cf. Tro. 718 sq.), canunt v. 809:

semper ingentes alumnos
educas: numerum deorum
imparem aequasti e. q. s.

quod verbo non tangerem nisi a Peipero inepta coniectura tentatum esset *numerum laborum;* manifestum est Herculem a choro inter duodecim deos recenseri, qui nimirum illo nondum in caelum recepto undecim fuerint. describuntur deinde natales Herculis et deinceps duodecim labores recensentur; in quibus minuta tantum adnotanda sunt. 821 consentaneum est *movit* recte legi, non *movet* (*E*). 846 *tinxitque crudos ultimus rictus sanguis aurigae* (*ultimos E*). denique in fine carminis v. 862:

te duce succidit mendax
Dardaniae domus et sensit arcus
iterum timendos; te duce concidit
totidem diebus Troia quot annis

scribendum videtur *Dardanidae domus,* et propter epitheton *mendax* et quia sequitur Troiae nomen, denique cum *domus* non de urbe sed de Laomedonte dictum videatur. v. 864 *iterum* non ad *sensit* attinet sed ad *timendos,* in quo totum sententiae acumen situm est; item v. 865 ad *totidem diebus* subaudimus 'cum primum arcus sentiret', ad *tot annis* 'cum iterum'.

haec sunt quae de carminum istorum lectione monenda videantur; quae nec multis locis nec gravius quam solet corrupta esse, naturam corruptelae et rationem qua sanari possit ubique certa via demonstrari posse vides. in universum vero quod negari non potest duritiem quandam sermonis et scabritiem per omnia illa persentisci, id metrorum insolitorum difficultatibus et angustiis ipsi poetae non facile superandis iure adscripsisse videmur. itaque ad ipsorum metrorum naturam expendendam accedamus, qua in re eo certius quod verum est assequemur quo magis persuasum habebimus, numerorum quorumlibet recuperandorum causa nihil utique in verbis quae incorrupta esse cognovimus mutandum esse.

singulos igitur versus eo consilio perlustrabimus ut pares una tractentur eis tantum repositis ad quos restituendos tradita in *E* versuum dispositio inmutari debeat. sunt autem praeter quosdam trochaici et dactylici generis versiculos omnes

ex metris Horatio usitatis derivati, ut versus aut integri aut dimidiati aut inversis colis ponantur. unde hoc pro certo concludendum mihi videtur, ubi versus sapphici asclepiadei alcaici glyconei puri aut e Senecae consuetudine formati apparent, eos a poeta ut versus integros positos esse, et si quando discerpti in Etrusco legantur, errori id tribuendum esse. recte enim Richterus contendit, sive continuentur hi versus sive interrumpantur, auribus perinde esse, quippe quibus ut integri utique percipiantur. metris numerisque magis artificiosis et in ipsius tragoediis praeterea non usurpatis abstinuit. interdum diversi generis versiculis iuxta ponendis inconexos effecit, sed plerumque ita ut Aeolorum logaoedicos imitaretur; de quibus iudicium suo loco fiet. iam singulos versus excutiamus, singulos scilicet ut in Etrusco discribuntur.

Oed. 404 *lucidum caeli decus huc ades votis*
quae tibi nobiles
Thebae Bacche tuae
palmis supplicibus ferunt.

statim in initio expediendum est quod graves cuipiam scrupulos movere possit. nimirum quisquis ad haec carmina tractanda accedet ante omnia inquiret an strophis Graecorum ritu inter se respondentibus liberiora metra poeta incluserit. cui suspicioni et huius carminis exordium et Agamemnonis alterum primo obtutu favere videntur. atque Oed. 404 similem habet versum inconexum, dimetro scilicet trochaico catalectico et priore sapphici parte constantem v. 412

te decet cingi comam floribus vernis.

hinc vero quae secuntur et plane diversa sunt a v. 405 sq., cum de gravioribus corruptelis nullo modo cogitandum sit, et syllaba anceps quae in medio v. 404 statuenda fuerit, nusquam praeterea apparet. magis adridet Ag. 611

vidimus patriam ruentem nocte funesta

cui respondeat v. 626

vidimus simulata dona molis immensae,

versus constantes ordine logaoedico, nimirum sapphico cui demptus sit in prima parte spondeus et priore sapphici hemistichio. secuntur autem utrobique, si versus 612 et 627 praetereas, numeri saltem sapphici, ut si graviora ulcera has periodos traxisse statuas de recuperanda eurythmia cogitare queas. sed haec fallacia sunt et a nobis prolata tantum ne alios quoque eludant. nihil enim sententiae habent in quo iure offendas nec re vera sapphici sunt versus 614 sq. similes

igitur versus Senecae consuetudini ascribas in nova re ordienda verba priorem sententiam inaugurantia repetendi.

itaque cum Oed. 404 cum v. 412 componere syllaba anceps non prohibeat quidem sed dissuadeat, accedit ut ultima vocula *votis* cum 405 coniuncta glyconeum efficiat legitimum:

votis quae tibi nobiles.

quod restat

lucidum caeli decus huc ades

sapphicus est ultima syllaba mutilatus. cf. Mar. Vict. p. 118, 25 'sane *reperimus phalaecium syllaba novissima detracta veluti scazonta ut est*

nunc Troiam fera vindicat Venus

quem *volunt videri claudum*' sic infra Ag. 608 reperiemus alcaicum detracta novissima:

audetque vitae ponere finem.

sic Ag. 811 sapphicum deficiente ultimo trochaeo:

imparem aequasti tuus ille.

cf. Ag. 611 et 626. Oed. 500 sapphicum sine spondeo:

cantat et geminus Cupido

quem, si basin trochaicam concedas, glyconeum hypercatalectum voces (Soph. OC. 165 κλύεις ὦ πολύμοχθ' ἁλᾶτα). haud raro occurrit, qui eodem pertinet, sapphicus dempto primo trochaeo, qui est glyconeus hypercatalectus legitimus: Oed. 481

Thermodontiacae catervae

sic Oed. 499. Ag. 829

infusis humero capillis.
te sensit Nemeaeus arto.

de Ag. 605. 606. 812 v. i. porro Oed. 729 alcaicum habes iambo detracto:

erexit caeruleum caput,

qui est glyconeus addita in initio syllaba (v. i.). sequitur glyconeus v. 407

palmis supplicibus ferunt.

praeterea glyconei inveniuntur Oed. 410. 492. 710. 718. Ag. 842. 863:

et tristes Erebi minas.
fluxit Nyctelius latex.
non haec Labdacidas petunt.
praedonem venerans suum.
egit Threicium gregem.
mendax Dardanidae domus.

et basi trochaica[21]) Oed. 711. Ag. 848. 849

fata sed veteres deum.
vidit Hippolyte ferox
pectore e medio rapi.

versus qui intercedit 406

Thebae Bacche tuae

asclepiadei prior pars est[22]), cum glyconeo videlicet apte coniuncta, ut quae eodem iure glyconeus vocetur novissimo iambo curtatus. secuntur asclepiadei 408. 409:

huc adverte favens virgineum caput,
vultu sidereo discute nubila

idem versus Oed. 501. 713. 717. 728. 730. Ag. 590. 808. 843. praeterea priore choriambo in molossum verso contra numerorum naturam Oed. 715

ut primum magni natus Agenoris

(cf. B. Schmidt. p. 69) et spondeo in dactylum Ag. 591

effugium et miseros libera mors vocet.

quod in sapphicis Seneca interdum admisit: v. B. Schmidt. p. 72; sic Oed. 413

te caput Tyria cohibere mitra.

sequitur Oed. 411 altera pars sapphici hendecasyllabi

avidumque fatum.

eadem rursum invenitur v. 414, praeterea 477. 490. 719. Ag. 849

hederave mollem.
geminumque plaustrum.
meliore pensans.
monituque Phoebi.
spolium et sagittis.

(cf. Ag. 837) et aliquotiens coniuncta cum aliis colis. reliqua tetigimus praeter ultimum v. 415

bacifera religare frontem

qui est strophae alcaicae versus tertius; eundem deprehendemus Ag. 632. 841

fraude sua caderent Pelasgi.
Geryonae spolium triformis.

---

[21]) quo versu in eadem Oedipo canticum constare voluit 882—914. hunc Muellerus recte dixit dimetrum trochaicum habendum esse (p. 166), septenarii alteram partem, sive senarii dicas post semiquinariam.

[22]) penthemimeren heroicam voces, sed ab Horatianis metris sua vat; cf. Terent. 2584 *'carmen Pierides' quod hexametri est.*

novissima pars cantici incipit a v. 472

sensere terrae Zalacum feroces

qui compositus est priore alcaici et posteriore sapphici partibus, cuius generis versiculi saepe occurrunt; plerumque autem uno versu duo coniunguntur, ut ipso v. 472 factum est.[23]) quorum uterque ab anapaesto incipit Oed. 482. Ag. 633. 836. 860; prior a spondeo alter ab anapaesto Oed. 472. 487. 502. 714. 735. Ag. 854. 864; alter ab anapaesto alter a spondeo Ag. 833; uterque a spondeo Ag. 844. tertius eiusdem generis versiculus sequitur Ag. 836 et 860, praemittitur Oed. 735: ut his locis terni se excipiant.

deinceps v. 473 tetrameter dactylicus est:

et quos vicinus Boreas ferit

cf. 449—465. Ag. 607:

qui Styga tristem non tristis videt.

hunc versum 'in tragicis choris saepe iunxisse Pomponium et Senecam' Terentianus narrat 2135 sq., qui e Pomponio quattuor versus adfert. cf. Mar. Vict. 115, 13 et passim. Mar. Plot. 512, 24.

secuntur quinque versiculi priore sapphici hendecasyllabi parte constantes; quod colon frequenter adhibuit, ita nimirum pronuntiandum quasi e cretico et spondeo constet:[24])

árva mutántes

cf. Oed. 483. 491. 500. 725. Ag. 819 sq. 838 sq. 847. 851. 856. qui versiculos istos excipit

vertice summo

adonius quidem est et eundem reperimus Ag. 595. 618. 818. 834 et fortasse 607. 608. sed sermonis elegantia et numerorum praecedentium aequalitas hoc loco suadet ut scribamus

vertice e summo[25]).

---

[23]) cf. Mar. Vict. 105, 8 *nam si ex duobus iambicis quae penthemimere vocantur, versus unus formetur, fiet sapphicum huius modi meat per aequor Inoa proles.*

[24]) cf. Diom. p. 469, 11 *trochaeus quoque in clausula bene ponitur, maxime si se ipse praecedat, ut 'acta res est' —, — et amphibrachys: 'venite mecum', nisi quod haec clausula in rythmum cadit; et anapaestus 'impetus fecit'.* nimirum haec clausula grammatico in rythmum cadere non videbatur.

[25]) cf. Stat. Theb. III, 219 *e vertice mundi prospectans.* V, 481 *illos e scopulis et summo vertice montis — prosequimur visu.* Manil. I, 283 *omnia quae summo* (Bentleius: 'concinnius legas *e summo*') *despectant sidera mundo.* cf. Sil. III, 417 *Pyrene celsa nimbosi verticis arce divisos Celtis late prospectat Iberos*, alia.

quem versiculum duo excipiunt:

sidus Arcadium
geminumque plaustrum

quos in sapphicum qualis extat 413 coniungere possis ut factum est in *A*; sed quoniam segregati traduntur nec purus versus est nihil obstat quominus versiculo aeolico suum locum concedas. contra Ag. 825

Herculem nasci
violentus ille

sine dubio sapphicus iniuria discerptus est.

secuntur 478. 79. 80 sapphici hendecasyllabi Horatiana severitate compositi ut 486. 488. 493. 494. 497. 719. 721. 724. Ag. 592. 596. 602. 620. 621. 625. 628. 629. 633. 814. 817. 825. 826. 835. 837. 845. 857—59. 861. de reliquis suo loco iudicandum erit.

versus qualis est 483

sacer Cithaeron sanguine undavit

rursum legitur 731. Ag. 613:

aut feta tellus impio partu.
non illa bello victa non armis.

nam prima brevi etiam in alcaico utitur, cuius priore colo cum priore sapphici coniuncto versus iste constat. item sequentem versiculum

Ophioniaque caede

ex sapphico numero descendere recte Muellerus dixit (p. 121). v. 489 sq.:

tradidit thalamis
relictam virginem
meliore pensans
damnum marito

nihil obstat quominus versiculum logaoedicum ut 476 (*sidus Arcadium*), dimetrum iambicum brachycatalectum, secundam partem sapphici et priorem alcaici agnoscamus; sed tria priora cola alium numerum continent quem non agnosci discribendo aures vetant:

tradidit thalamis relictam
virginem, meliore pensans
damnum marito

sic v. 500 *cantat et geminus Cupido*. cf. p. 121. sequens versus— sine dubio una voce immerito auctus est:

pumice ex sicco fluxit
Nyctelius latex.

est enim sapphici prior pars quae glyconeo excipitur.

v. 495 sapphicus inversus:

niveique lactis candidos fontes.

idem Ag. 827

tibi concitatus substitit mundus.

v. 496 alcaicus:

et mixta odoro Lesbia cum thymo

quales extant praeterea 712. 716. 725. 726. Ag. 597. 598. 609. 821. 830. 852 et basi iambica Oed. 723 ut Hor. I, 9, 1. — v. 498 dimeter iambicus catalecticus:

solemne Phoebus carmen.

v. 502 eiusdem generis cuius v. 472, ut in eodem ordine haec cantici pars terminetur a quo initium cepit. — alterum carmen incipit a dimetro anapaestico v. 709:

non tu tantis causa periclis

(ut Ag. 610 *o quam miserum est nescire mori*), et sequitur glyconeus. quorum versuum sententiam mancam esse supra demonstravimus. et cum in priore versu haud sine ratione offendisse Peiperus videatur, fieri potest ut a glyconeis numeris carmen inceperit:

non tu causa periculi
tanti es: [crimine de novo]
non haec Labdacidas petunt
fata, sed veteres deum e. q. s.

quamquam, si anapaestos in initio retineas, non diverso uti poteris sententiae supplemento:

non tu tantis causa periclis,
non haec [crimine de novo
tanta] Labdacidas petunt
fata e. q. s.

nam de numerorum congruentia equidem in his deliciis nec spondeo quicquam nec tento. — v. 720. 21

quam non flexerat vomer aut tardi
iuga curva plaustri

constant hendecasyllabo sapphico

vomer aut tardi iuga curva plaustri

et colo quale redit Ag. 622 (*extremum decus*)[26]) et in numeris diversis Ag. 615

quam non Pelei Thetidisque natus.

v. 722 alcaicus inversus:

deseruit fugas nomenque genti

[26]) cf. Mar. Vict. 145, 10 *item ex molosso et iambo qui molossiambus dicitur: marcenti gradu.*

ut Ag. 631

et licuit dolos versare ut ipsi

et Ag. 853

extimuit manus insueta carpi.

ac statim sequitur alcaicus rectus 723 (basi iambica). in sequentibus v. 728 interpolatum esse supra demonstravimus; ; quod causae fuerit ut versus praecedentes postea non recte discriberentur. constant enim priore sapphici parte

protulit tellus,

duobus alcaicis et, si recte conieci, alcaici priore colo

supraque pinus.

in fine carminis aliquid omissum esse vidimus; quod rursum non sine damno metrici ordinis factum est. etenim haec (v. 732 sq.):

sonuit reflexo classicum cornu
lituusque adunco stridulos cantus
elisit aere, non ante linguas
agiles et ora vocis ignotae
clamore primum hostico experti

et sapphicus integer et ancipites coalescentesque syllabae sic docent discribenda esse:

732 *sonuit reflexo*
classicum cornu lituusque adunco
stridulos cantus elisit aere
735 *non ante linguas agiles et ora*
vocis ignotae clamore primum
hostico experti.

versus autem quales sunt 734 et 736 — sapphici scilicet cum molosso choriambi loco, sive mavis prior sapphici pars cum alcaici priore — redeunt Ag. 617. 630. 809. 813. 815. 846. 850:

vicit acceptis cum fulsit armis.
conditos reges bellumque gestans.
Argos iratae carum novercae.
magnus Alcides cui lege mundi.
roscidae noctis iussitque Phoebum.
praebuit saevis tinxitque crudos.
nube percussa Stymphalis alto.

ac v. 850 item priore sapphici parte excipitur: *decidit caelo.* Oed. 735 autem ex eorum numero est quos ad v. 472 composuimus. intercidisse igitur versus ante 734 videtur qualem supra proposui:

[pugnamque inibant tellure nati]
non ante linguas agiles et ora e. q. s.

in his canticis perraro vides ab ordine antiquitus tradito recedendum fuisse et eis quidem locis plerumque in quibus de lectione simul dubitandum erat. quod si in Agamemnone paullo saepius ordinem a librariis turbatum restituemus, id eo minore cum periculo faciemus, quo certius iam constat metrorum genera in Agamemnone fere eadem quae in Oedipo usurpata esse. sed nova quoque inveniri primus statim versus docet 589:

heu quam dulce malum mortalibus additum

asclepiadeus scilicet addita post caesuram syllaba; v. i. ad v. 594. — v. 593:

nullus hunc terror nec impotentis

non potest inter sapphicos p. 126 enumeratos recenseri; nam cum molossus ferendus sit, cretico in choriambi locum succedente numeri prorsus abolentur. priorem sapphici partem cum priore alcaici coniunxisse videtur; nec fortasse istos si dis placet sapphicos aliter voluit intellegi. numeri autem evaserunt trochaici, ut v. 589 dactylici, et versus qualem Marius Plot. 530, 2 trimetrum trochaicum brachycatalectum colurum chorium palintrochaicum nomine sesquipedali nuncupat 'cum *quinque pedes trochaici metri ponantur, debentes esse sex, ut sit trimetrum acatalectum*

immemor struis domos severas.'

sequens versus:

procella fortunae movet aut iniqui

vel sapphicus adiecta anacrusi vel potius alcaicus dodecasyllabus est: *ἱόπλοχ' ἀγνὰ μειλιχόμειδε Σαπφοῖ* (Heph. p. 45, 22 W. *περιττεῦον συλλαβῇ τῇ τελευταίᾳ*). cf. Mar. Vict. 101, 10 'et *ex heroo quidem per adiectionem syllabae fiet ita: Musae mi Pierides Clariusque adsistat Apollo.*' p. 145, 18 'item *e duobus dactylis et semipede, qui repetiti faciunt elegiacum, adiecta in primo syllaba una et in medio altera inserta, quod thesmophorion vocatur, ut*

o perpetuo tellus quae nunc riget usta gelu.'

et similia e Caesii Bassi doctrina apud grammaticos multa et nota. placuit autem inventum illud poetae, qui praeter v. 594 ter eodem usus est: 603. 616. 619

non urbe cum tota populos cadentes.
carusque Pelidae nimium feroci.
aut cum ipse[27]) *Pelides animos feroces.*

[27]) ecthlipsin non minus molestam in *cum* v. Ag. 98. 139. Med. 355. Tro. 185.

post adonium v. 595 (v. ad Oed. 476) si hendecasyllabos a librariis diremtos restituimus, hi versus evadunt 596 sq.:

pax alta: nullos
civium coetus timet aut minaces
victoris iras, non maria asperis
insana coris, non acies feras
pulvereamve nubem

e quibus v. 596 prius alcaici colon, v. 600 nota pherecratei forma est (*Lydia dic per omnes*), qua Seneca in Phaedra usus est v. 1131: *imbriferumque corum* et infra v. 604: *indomitumve bellum.* — v. 601

motam barbaricis equitum catervis

cum sapphici numeri prorsus destructi sint, versum agnoscimus ex priore asclepiadei et altera sapphici parte edolatum. eodem utitur v. 614. 907.

ut quondam Herculea cecidit pharetra.
audivit sonitum crepitante lamna.

v. 604 sq.:

perrumpet omne servitium contemptor
levium deorum.
qui vultus Acherontis atri qui Styga tristem
non tristis videt audetque vitae
ponere finem. par ille regi par superis erit.
o quam miserum est
nescire mori

haec usque ad medium v. 609 falso loco tradita et ante v. 593 inserenda esse intelleximus. versiculi autem cum praeter ordinem locarentur simul factum est ut praeter numeros disponerentur. et ultro quidem prodeunt versus quales enumeravimus p. 121:

contemptor levium deorum
qui vultus Acherontis atri.

quod in initio relictum est quamquam facile credi potest sic potius legendum esse:

servitium perrumpet omne,

nihil tamen obstat quominus alcaicum versum habeamus ultimo pariambo mutilum

perrumpet omne servitium

cui proxime accedit Oed. 729 *erexit caeruleum caput.* — v. 606 relinquitur quidem adonius

qui Styga tristem,

sed sequens versus ἄῤῥυθμος est et, ut syllaba anceps docet, errore conexus. itaque haec ita discribenda sunt:

qui Styga tristem non tristis videt

qui est tetrameter dactylicus (v. ad Oed. 473) et

audetque vitae ponere finem

qui est alcaicus dempta novissima (cf. p. 121 et infra ad v. 618. 865). relinquitur autem iam suum sibi versum tenens alcaicus

par ille regi par superis erit

et dimeter anapaesticus secundum *A*, sive potius duo monometri ut leguntur in Etrusco.

v. 611 sq. fallere antistrophicae compositionis blandam speciem demonstravimus p. 120, quamquam idem ordo invenitur v. 611 et 626 constans scilicet sapphico sine spondeo et priore sapphici parte integra. v. 612 statim subicitur versus contrario modo conformatus, scilicet ex ordine logaoedico ab anapaestis incipiente

cum Dardana tecta Dorici

et altera parte sapphici compositus:

raperetis ignes,

ut hi versus se excipiant:

vidimus patriam ruentem | nócte funesta
cum Dárdana tecta Dorici | raperétis ignes

quod poetae laudabile visum est artificium. — v. 615 integer sapphicus erit si cum Peipero scribas *Pelei quam non Thetidisque natus.* sed v. p. 125 ad Oed. 720. — v. 616:

carusque Pelidae nimium feroci vicit

v. p. 127; demendum enim est in fine *vicit,* ut et nimia quaedam sunt in sequenti versu:

acceptis cum fulsit armis fuditque Troas

quae si cum *vicit* coniungas haec evadunt:

vicit acceptis cum fulsit armis

de quō versu vide p. 126, et

fuditque Troas

quae est alcaici prior pars; quam si cum sequenti adonio coniungas:

fuditque Troas falsus Achilles

versum habes qualem eruimus supra v. 608. — v. 620 sq. sapphicos male diremit librarius:

sustulit luctu celeremque saltu
Troades summis timuere muris.

quem numerum apte continuat alcaici colon alterum:

perdidit in malis.

de v. 622 v. p. 125. — quae secuntur v. 623:

restitit quinis bis annis unius noctis
peritura furto

constant dimetro trochaico (cf. infra v. 810. 811) et sapphico:

restitit quinis bis annis
unius noctis peritura furto. —

v. 627: *Danaumque fatale munus duximus*
nostra creduli dextra tremuitque saepe.

haec non recte disposita esse sapphicus docet

creduli dextra tremuitque saepe.

quae restant unius versus mensuram excedunt; sed ne divisa quidem commata rythmum efficiunt ulli in his carminibus obvio comparandum, qualem ex his verbis

Danaumque fatale

nullo modo elicies. multa proponi possunt, probabile mihi videtur hanc fuisse versiculorum formam:

Danaumque duximus
fatale munus nostra
creduli dextra tremuitque saepe

cf. p. 124 ad Oed. 489 (*relictam virginem*) et p. 125 ad Oed. 498 (*solemne Phoebus carmen*). — quae secuntur ad finem obliteratos continent versus integros qui ita haec discribenda esse ostendunt:

(*tremuitque saepe*)
limine in primo sonipes cavernis
630 *conditos reges bellumque gestans;*
et licuit dolos versare, ut ipsi
fraude sua caderent Pelasgi.
saepe commotae sonuere parmae
tacitumque murmur percussit aures
635 *et fremuit male subdolo*
parens Pyrrhus Ulixi.

629 sapph.; 630 v. ad Oed. 734; 631 ad Oed. 722; 632 ad Oed. 415; 633 sapph.; 634 ad Oed. 472; 635 et 636 si coniunguntur proba evadit priapei forma.

alterum Agamemnonis canticum (808 sq.) incipit ab asclepiadeo, sequitur sapphicus quales recensuimus p. 126. — v. 810:

semper ingentes alumnos

dimeter trochaicus ut supra v. 623; nisi mavis hunc versum e sapphico derivare, cui scilicet in altera parte anapaestus detractus sit; certe et v. 623 sapphicus sequitur et hic sapphicus primum sine spondeo

educas numerum deorum

deinde detracto novissimo trochaeo

imparem aequasti tuus ille

(cf. Oed. 113 *carpitur leto tuus ille Bacche*), denique glyconeus hypercatalectus:

bisseno meruit labore

cf. p. 121. quae secuntur omnia iam tetigimus usque ad v. 819

rettulit pedem nomen alternis

cuius altera quidem pars prius sapphici colon est quod deinceps quater continuatur, fere ut Oed. 474 sq. (p. 123), prior pars tripodia trochaica catalectica quam hypodochmium vocant grammatici (*καὶ ποδῶν κτύπος*), singularis quidem in his canticis. ceterum cum v. 821 alcaicus versus male diremtus sit, v. 819 sq. sic potius discribendi erunt:

rettulit pedem
nomen alternis stella quae mutat
seque mirata est Hesperum dici.
Aurora movit ad solitas vices
caput et relabens imposuit seni

quorum novissimus ut alcaicus singularis est: quare licet priorem partem e sapphico numero repetas. excipit illum prius alcaici colon

collum marito.

(cf. Oed. 490 *damnum marito*).

sequitur v. 824:

sensit ortus sensit occasus

i. e. ditrochaeus cum priore sapphici parte, item sine exemplo. v. 825 sapphicus iniuria diremtus; v. 827 sapphicus inversus:

tibi concitatus substitit mundus

cf. p. 125. — v. 831:

cervaque Parrhasis

alcaici altera pars, tripodia scilicet logaoedica Graecis usitata, cf. Ar. Vesp. 1245 sq. Mar. Plot. p. 517, 4 (*ὦ τὸν Ἀδώνιον*). v. 837 sq.:

geminosque fratres pectore ex uno
tria monstra natos stipite incusso
fregit insultans duxitque ad ortus
840 *hesperium pecus Geryonae*
spolium triformis.

versus cum male discriptos esse sapphicus et alcaicus latentes doceant, paenultimus versus qui *ἄρρυθμος* est omnem dubitationem tollit quin sic recte procedant:

geminosque fratres
pectore ex uno tria monstra natos
stipite incusso fregit insultans
duxitque ad ortus hesperium pecus,
Geryonae spolium triformis.

in eis quae secuntur prava dispositio non minus aperta est; nam haec certe numeris carent:

842 *egit Threicium gregem quem non*
Strymonii gramine fluminis Hebrive
ripis pavit tyrannus.

quae iam in *A* recte discripta sunt hoc modo:

egit Threicium gregem
quem non Strymonii gramine fluminis
Hebrive ripis pavit tyrannus.

de sequentibus verbo non opus est. v. 853 alcaicus inversus (v. p. 126); 855 v. p. 128. — v. 861 sq.:

latravit ore lucis ignotae
metuens colorem

nemo dubitabit quin priore alcaici parte et sapphico constent:

latravit ore
lucis ignotae metuens colorem.

paullum turbati sunt ultimi versiculi, 862 sq., sed ultro huic ordini parent:

te duce succidit
mendax Dardanidae domus
920 *et sensit arcus iterum timendos.*
te duce concidit
totidem diebus Troia quot annis.

quorum versiculorum similes indagare tandem lectori relinquo; omnium vero novissimum cum v. 608 et 618 comparari iubeo.

His peractis pauca quaedam monenda videntur. atque, etiamsi hic illic de versiculorum dispositione non persuasum esse cuipiam possit, nemo certe dubitabit quin metris ut breviter dicam Horatianis, eis scilicet quibus in reliquis quoque tragoediis usus sit, Seneca se continuerit; ita tamen ut aut adiciendis aut detrahendis syllabis pedibusve, segregandis aut invertendis longiorum versuum particulis solitos numerorum ordines variarit. haec si omnia complectaris eandem fere apud illum doctrinam valuisse cognosces quae summum locum tenet in grammaticorum qui metricas res tractarunt praecipuorum artibus. illi enim tradunt *omnia metra variari aut adiectione aut detractione aut concinnatione aut permutatione* (Caes. Bass. (Atil. Fort. I.) p. 271, 5) ac non tantum eorum *infinitum atque immensum esse numerum* (Mar. Vict. p. 100, 10), sed etiam nova secundum notiora inveniri posse docent (Caes. Bass. l. s. *tantum me tamen hoc libro con-*

secutum, — ut quodcumque metrum novum aliquis se invenisse iudicarit, ad haec quae enumeravi utique referatur). illam autem metrorum ex heroico versu potissimum et trimetro iambico derivandorum doctrinam si Caesius Bassus demum invenit, qui scilicet, ut per Terentianum comperimus, citavit Senecam, non intellegitur qui eadem instructus Seneca iam carmina ista composuerit. sed dubium non est quin ante Caesium grammatici graeci et inter latinos in primis Varro immensam metrorum varietatem eodem modo digesserint et explicarint; quae non aliter in scholis pueros didicisse et consentaneum est et haec ipsa quae tractavimus carmina possunt testimonio esse. elucet enim quantopere alacriora ingenia ad nova schemata suo marte conformanda doctrina ista incitari debuerint; neque cuiquam nisi adulescentulo qui vix ludum superarit haec carmina ascribi posse peritissimum quemque sensurum esse confido. quae cum omnino puerilem quandam in metris inveniendis cacozelian prae se ferant, tum congruentiae nexusque numerorum aut nullum aut rudem admodum auctori sensum infuisse clamant. quo accedit, id quod identidem monuimus, ut elocutionis agilitatem metrorum edolandorum labore inhiberi ubique et constringi sine lectoris gaudio percipiatur.

itaque Senecam adulescentulum et Oedipum et Agamemnonem scripsisse contendo. namque, ut ad propositam de auctore quaestionem tandem aliquando redeamus, hoc certe consecuti sumus ut ab uno eodemque quattuor ista carmina scripta esse extra dubitationem videatur positum. in quibus, etiamsi utrobique singularia quaedam metra inveniuntur, tam aequalis versuum pangendorum ratio, tam pari modo circumscripti numerorum usurpandorum fines apparent, tam denique exigua in utroque eloquendi et sententias ad metrorum angustias adaptandi facultas, ut ad eundem utique auctorem ea rettuleris si adespota circumferantur. atque ne in canticis tantum istis Agamemnonis auctorem Senecae similem esse opineris, non maiore cum dubitatione id quod in hac quaestione plurimum valet pronuntiare possum, nimirum in tota Agamemnone Senecae manum stilumque non minus clare agnosci quam in Herculis Oetaei altera parte manum ab illo diversam: id quod vel multo gravioribus argumentis quam ab aliis nobisve afferri potuere vix vixque extenuari queat. ita autem sentio, Agamemnonem inter Senecae tragoedias eam esse quam primam scripsit, Oedipum secundam; quo factum est etiam ut illa laxiorem adhuc referat anapaestorum condendorum artem. Oedipum autem scimus saltem ante Phoenissas scriptam esse, id quod suo loco

adnotavimus: plura sciri nequeunt.[28]) accedit denique, in quo non parvum situm esse momentum aestimo — tetigerunt B. Schmidtius et Habruckerus —, traditus in Etrusco tragoediarum ordo; in illo enim sese excipiunt post priores quinque Oedipus Agamemno Thyestes Hercules; atque ignoscant viri docti priorum horumque temporum si vix futurum fuisse dixero ut de Agamemnonis auctore suspiciones proferrentur, si ordine pristino illae in editionibus proponi solerent. quem tragoediarum corpori restituendum esse patet. Oedipum autem et Agamemnona cum unius eiusdemque auctoris esse certum sit, et illas et Thyesten cum Hercule Oetaeo abiudicare Senecae debebit qui alteram utram voluerit.

itaque longiorem quam par est disputationem non debili illo et ambiguo, quo propter documentorum satis gravium inopiam rei subinde dimittuntur, sed satis definito terminavimus iudicio, quo scilicet a nobis saltem ut suum cuique dabitur, sic Senecae Agamemno.

---

[28]) omnia comperta sunt Peipero, cuius *μονοσδονήματα* ut plerasque non tangerem, nisi suppl. praef. p. 32 sq. narraret in Agamemnone et Hercule Oetaeo 'prorsus nihil ex illis se potuisse proferre quod quodammodo ad rem publicam pertinere videri posset sive Neroneae sive posterioris aetatis.' quod nos quidem facile concedimus, non plura scilicet quam ex ulla tragoedia Senecae. at cum adiciat illa re coniecturis suis de tragoediarum auctore non exiguum parari subsidium, dicam quod sentio: nimirum nisi putasset Peiperus Agamemnonem non esse a Seneca scriptam, haec e. g. protulisset et ad Octaviam pertinere coniecisset:

v. 264 *lex alia solio est, alia privato in toro.*
279 *quid honesta prodest vita flagitio vacans?*
ubi dominus odit fit nocens, non quaeritur.
282 *non dant exitum | repudia regum,*

et hanc tragoediam contendisset coss. Mario Celso L. Asinio Gallo scriptam esse. adeo enim quaecumque ille de tragoediarum aetate commentus est somnia sunt nugaeque merae.

VII.

Si de arte metrica qualem in canticis Seneca factitavit quae post Bernardi Schmidti de emendandis Senecae tragoediis libellum dicenda sunt cuncta persequi volumus, restat ut de strophica carminum compositione disseramus vel potius efficiamus num poeta omnino in canticis stropharum aequabilitatem regnare iusserit. atque ut quid rei sit statim dicam, in novem tragoediis et amplius quadraginta carminibus unum est strophis re vera aequabiliter discriptum et ne id quidem simplici usitatoque poetis genere sed septem ternorum septemque octonorum versuum strophis singulis in adonium exeuntibus. [1]) loquor de Medeae cantico 579—669 de cuius aequabilitate accurate elaborata eo minus dubitari potest quo magis mirifice accidit ut unica gravior corruptela in obscurata paenultimae strophae clausula sita sit. [2]) in Medea autem cum omnino quaedam dexterius administrata sint quam in reliquis fabulis, facile inducimur ut per totam fabulam cantica strophis, quaesitis licet et artificiosis quorumque non in propatulo sit natura, instruxisse poetam putemus. ac favere suspicioni hymenaeus videtur v. 56 sq., qui primo loco praebet undeviginti versus asclepiadeos; secuntur duodeviginti glyconei; deinde asclepiadei septendecim et postremo sex versus heroici: ut non sine causa circumspicias sitne a librariis pristina aequabilitas violata. at-

[1]) 'sed hi parum commendandi lusus sunt' G. Hermann. epit. p. 246.

[2]) v. 660. nullam enim esse corruptelam in v. 653 supra p. 25 dixi. v. 622 ad summam recte Gronovius explicavit, nimirum Tiphyn Boeotum (Sipha vel Potnia oriundum, illa Thespiarum portu, hac prope Thebas vetusta urbe) etiam Aulidis regem a Seneca haberi. addendum erat Graecos Troiam petituros ipso fabulae tempore Aulide morantes a poeta fingi. nam cum Argonautas Troica expeditio exceperit et e. g. Nestor utrique interfuerit, quidni ilico secuta sit? praesertim cum multum temporis inter velleris raptum coniugumque discidium intercessisse tot heroum iam peracta fata doceant. simile sane quam putidum cacozeliae genus in Thyeste extat, ubi haec in procellae descriptione legimus v. 586:

et putat mergi sua posse pauper
regna Laertes Ithaca tremente.

nam Thyestes Agamemnonis patruus Laertae si sapis aequalis est. sic prorsus Aristophanes duces cibum publicum esurientes pridem nequaquam ad Cleaenetum cursitasse praedicat.

que primam quidem partem si quaternorum versuum strophis discripseris, quod fecit Richterus, relincuntur tres in initio versus qui quid sibi velint nemo umquam dicet. neque ullum in glyconeis eurythmiae indagare vestigium contigit, non magis quam in Oedipi carmine 882 sq. spurios autem sive corruptos versus hiatusve sententiae neque in hac parte [3]) nec subesse demonstres in tertia asclepiadeis constante non aliter quam similia carmina *κατὰ στίχον* compositis. ergo ne hoc quidem in carmine ad Alcaei sive potius Horati normam se adstrinxit neque quicquam quaesivisse videtur Seneca nisi ut partes inter se versuum ambitu quodammodo exaequaret.

tertium Medeae canticum est 849—878 versibus Anacreonteis scriptum.[4]) in quibus non primum pedem tantum anapaestum ubique vel spondeum [5]) fecit, sed et novissimum ubique spondeum praeter v. 852 nec usquam inter duos versus hiatum admisit nisi v. 861. praeterea ter versus brachycatalectos interposuit in fine sententiae, quos eupolideos vocant (Mar. Vict. 81, 23): 857. 865. 878. ac si his indiciis ductus carmen

---

[3]) v. 82 sq. quae sic in *E* leguntur (non inverso ordine):

si forma velit aspici
cedent Aesonio duci
proles fulminis improbi e. q. s.

Gronovius recte explicavit. primi versus constructioni satis inusitatae adhibeas Silii versum III, 114 *sin solo aspicimur sexu* e. q. s. — v. 89

cedet Castore cum suo
Pollux caestibus aptior

certe aride et subobscure dictum est, quod sentias si compares Hf. 906 *soror sagittis aptior, Phoebus lyrae.* Med. 697 *maior Pelasgis apta, Sidoniis minor,* vel, quem in mente habuit, Horatium I, 12, 26 *hunc equis, illum superare pugnis nobilem.* III, 6, 15 *hic classe formidatus, ille missilibus melior sagittis.* sed et hoc ferendum in mediocri poeta. — v. 90

sic sic caelicolae precor
vincat femina coniuges,
vir longe superet viros

recte Gronovius sic fere explicat: ut iam virgines iuvenesque, sic uxores posthac et maritos vincant. *vir longe ut superat* interpolata scriptura quae cuipiam adrideat vel eam ob causam improbanda est quod per totum hoc canticum synaloepham poeta vitat.

[4]) Mar. Vict. p. 143, 24 cf. 81, 23. Mar. Plot. 520, 6; quibus audit dimetrum catalecticum heptasyllabum, Caesio Basso p. 266, 8 hipponacteï quadrati iambici comma posterius cf. Diomed. p. 518, 21.

[5]) id quod grammatici non flagitant praeter Marium. Petronius qui saepius hoc metro usus videtur, eandem regulam tenuit in versibus a Terentiano 2862 Mar. Vict. 153, 34 adlatis et, uno versu (*manu puer loquaci*) excepto in frg. Terent. 2483. contra iambi meri sunt quos Diomedes adfert p. 518, 21 (frg. 19. 20. 21 B.). spondeum in fine Petronius ubique posuit praeter Terent. 2864 (frg. 20).

cum Richtero discribas, quinque partes quaternorum versuum habes locisque secundo et septimo singulas quinorum: harum vero stropharum secunda tantum, quarta et septima eupolideo clauduntur; quod sane a poeta ita institutum videtur, quamquam nec rationem intellego nec scio num Graecorum cuipiam hunc lusum debeat. memorari autem debet in *E* inde a v. 860, in quo novum folium incipit (non 858), binis versibus singulas lineas obtineri, distinctis scilicet versiculorum initiis. ac si coniungantur bini dimetri catalectici, metrum evadet, de quo Mar. Vict. p. 105, 11 loquitur, aeschrionion (*'amore me subegit et igneo furore'*); sed sic v. 857 quidem et 878 clausularum vicem tenebunt, v. 865 vero ipsum versum catalecticum efficiet nec sane clarior fiet quam antea fuit carminis eurythmia.

praeterea in Medea alterum occurrit epodorum genus (unum in Agamemnone deprehendimus), 771 sq., trimetri et dimetri iambici alternis se excipientes, quod repetitum est ab Horatio. in anapaestis autem praeter Ag. 310 sq. de strophis nullo modo cogitari posse consentaneum est nec verbum hanc in rem impendendum duco; accidit sane, quod, ut apud omnes omnium temporum poetas, in diverbiis quoque saepenumero accidit, ut periodi aliquo modo aequales Senecae exciderent (cf. inprimis Phaed. v. 30—47), sed hoc non consilio sed casu factum esse et reliquae carminis partes et monometrorum syllabarumque debilium usus ubique docent. nec multo subtiliorem artem adhibuit carminum generi quod eurythmiam quandam vel flagitare sibi videretur, amoebaeum dico quale legitur Tro. 67 sq.[6]) in quo non tam aequabilitatem quam speciem quandam aequabilitatis poetam secutum esse recte vidit Haasius

[6]) Thy. 920—969 Thyestae monodiam ut in *A* traditur habendam esse Schmidtius (Fleckeis. ann. 1867 p. 876) argumentis certissimis comprobavit quibus oblocutus ibid. 1868 p. 784 nihil effecit Richterus. falsam distributionem in *E* ne nimium mireris prohibere possunt quae de personarum notis disputavi. tamen referendum est, quod omisit Peterus, v. 942 quidem choro, sed 945 rursum Thyestae dari; in loco corrupto aut de lacuna post 946 cogitandum — quam tamen apta sententia explere nescio — aut, quod rectum videtur, verba nihil significantia *prohibet prohibet*, utpote ex v. 945 repetita, eicienda sunt. chori notam vides inlatam esse eo loco (942) quo alia persona loquendi initium facere librario aliud agenti videri potuit, idem scilicet agenti quod nostris diebus qui canticorum graecorum misere disiecta membra inter choreutas singulos discribunt. v. 938 Thyestae notam ex praecedente eiusdem nomine natam esse Schmidtius vidit: in quo turbarum initium cognoscimus. — in Hercule Oetaeo carmen est 1863 sq. incohatum quidem a choro decem versibus, sed inde ad finem ab Alcmena decantatum. qui de Hercule

misc. phil. III p. 12 qui de versuum numeris inter se respondentibus non cogitavit. cuius carminis externa species eo differt in Etrusco a reliquis omnibus ut quaecumque Hecuba chori lamentis intercinit trimetris circumscripta sint. et cum v. 102. 103ⁿ sine dubio recte loco moverit, probabiliter post v. 86ⁿ conlocaverit Haasius — praeterea carmen sine offensione procedit —, tres Hecubae periodi (83—97; 117—131; 142—156) denis trimetris constant, ita autem ut primo et tertio loco singuli dimetri denos trimetros excipiant. contra chori partes in *E* non aliter discriptae sunt quam ubique anapaesti: primum 15 dimetri, deinde 16 et monometer, deinde 10 dimetri, postremo 7 et monometer. at in eo reconditi quiddam latere conicias quod in codice Thuaneo miscellaneo ex codice qui Etrusco anterior est transcripto, cuius exemplar redditum est in editionis Teubnerianae praef. p. XXIV, Hecubae quidem partes non aliter quam in *E* dispositae sunt, chori autem lamenta, primo turbata, inde a v. 104 aperte trimetrorum speciem referunt. nec alium ordinem in Thuanei codicis exemplari valuisse saepe omissi docent versuum fines. eodem igitur modo chori partibus discriptis primo quidem loco 10 trimetros habemus, secundo decem trimetros cum dimetro, ut bis in Hecubae parte factum est, tertio 6 trimetros cum dimetro, quarto trimetros quinque. sed haec fallacia esse ter admissa docet in versibus ita discriptis syllaba debilis: v. 78 *causa ministrat. ite ad planctus.* 102 *fervidus ora. cadit ex umeris.* 108 *litora planctu. habitansque cavis*; ut in chori parte de trimetris omnino cogitari non possit: aliter autem Hecubae aliter chori periodos dispositas fuisse negat sententiarum inter se respondentium aequabilitas: cf. 86 sq. et 98 sq. quod si quis trimetros codicum optimorum consensu traditos librariorum libidini tribuere nolit, periculum illi faciendum erit ad eandem normam quam Ag. 310 sq. observatam vidimus Hecubae captivarumque lamenta redigendi.

haud multa restant carmina in quibus dubitationi possit

θρῆνος est, non de Alcmena, quamvis hoc indicari videatur carminis exordio:

flete Alcmenen magnique Iovis
plangite natum.

nam cum in *E* scriptum sit *Alcmenae*, certa emendatione reponendum est:

ite Alcmenae magnique Iovis
plangite natum.

iam vero considerandum annon carminis exordium iniuria choro datum sit post prima verba corrupta.

locus esse. quorum in numero non recenseo sapphicos versus *κατὰ στίχον* phalaeciorum Catullianorum modo deductos et aut in fine aut arbitrariis locis adonio interruptos; prius enim accidit Thy. 546 sq. HO 1518 sq., alterum Oed. 110 sq. (13 cum adon. — 8 c. ad. — 11 c. ad. — 9 sine adonio sequentibus anapaestis), Tro. 814 sq. (11 cum ad. — 9 c. ad. — 14 c. ad. — 10 sine adonio: consensus aliquis cum Oedipi cantico casui tribuendus); Phaed. 736 sq. (4 cum ad. — 11 c. ad. — 8 sine adonio sequentibus tetrametris dactylicis); Tro. 1009 sq. octo priores versus adonius excipit, secuntur 39 sine clausula; contra Tro. 371 sq. clauduntur colo quod dimidio versu constat: nimirum asclepiadeis tripodia dactylica catalectica in syllabam subiungitur:

quaeris quo iaceas post obitum loco?
quo non nata iacent.[7])

ubi tamen si quis carminis finem intercidisse contendat equidem non magnopere pugnabo. — sed alia sunt diversis metris composita quae si non aliqua ratione conexa sint iure mireris. quale est brevissimum carmen Phaed. 1123—1155. quod incohatur quinque dimetris anapaesticis; sequitur stropha constans duobus asclepiadeis glyconeo et versu logaoedico de quo diximus p. 128. dein septem dimetri anapaestici quibus intercedit secundo loco monometer; interrumpuntur anapaesti commate aliquo in quo multum operae consumpsere viri docti ut probabilem versus speciem procuderent; sic enim consensu librariorum traditur:

1140 *circa regna tonat.*

rursum anapaesti secuntur et quidem, si paulisper eorum quae de v. 1144 supra p. 108 disputavimus obliviscimur interpolatamque scripturam *qui clara videt* recipimus — nihil enim intentatum relinquendum est quod aliqua rationis specie commendetur —, rursum septem dimetri et monometer. claudunt agmen quinque versus sapphici. iam si Peiperi coniecturam amplectaris, quae per se nihil habet quod fieri non potuerit, versum scilicet 1140 e stropha eius quae 1128 sq. legitur consimili residuum esse, hae sese excipient carminis particulae:

---

[7]) hos versus (400. 401) in fine cantici conlocatos refert Etruscus et loco non suo sed vulgato i. e. quem interpolator illis dedit, secunda manu restitutos. in eadem fabula nuntius primam narrationis partem hephthemimeri iambica claudit: 1103 *in media Priami regna.* — ad v. 400. 401 cf. Sen. ep. 54, 4; 77, 11; 102, 24; 120, 18. cons. Pol. 9, 2. cons. Marc. 19, 5.

5 dim. anap.
4 versuum stropha ascl.
7 dim. anap. et monom.
4 versuum stropha ut s.
7 dim. anap. et monom.
5 sapph.

sed non id agimus ut oculis bellam quandam numerorum tabulam subiciamus, sed ut eurythmiam si qua est demonstremus talem fuisse qualis veterum poetae ulli imputari queat. quorum ullum usquam ita lusisse, ut quinque dimetris anapaesticis in initio positis quinque sapphicos versus in fine respondentes opposuerit, credat cui placet; nec quisquam rationem inveniet cur vel quinque vel septem dimetros anapaesticos vel septem et dimidium vetus poeta stropham esse in mentem induxerit. apage igitur stropham e tribus verbis — quae equidem ad 1136. 37 dittographiam esse persuasum habeo — conflatam, apage etiam inertem istam desidiam in interpolato v. 1144 patente puro fonte adquiescentem. placuit sibi Seneca in admiscendis inter anapaestos versibus sapphicis et asclepiadeis nec hac tantum occasione in re inepta et inficeta sibi placuit.

non praetereundum hoc loco canticum est quod item tria metrorum genera continet, Phaed. 736—823. cui priapeum quoque insertum esse,[8]) vel potius versiculos duo quales 1130. 31 asclepiadeis iuncti sunt, credebatur antequam de Etrusco constaret. sic enim 782 sq. in *A* legitur:

et somnis facient insidias tuis
lascivae nemorum deae montivagique Panes
Panas quae Dryades montivagos petunt.

inde ab Avantio legebatur

Panes quas Dryades montivagi petunt

qui versus in quibusdam interpolati generis libris omittitur. contra *E*:

---

[8]) in priapeo latini poetae (Catull. 17; frg. 2; priap. 86) non recipiunt quinto loco dactylum. inter graecos priapei schema plane consentiens est in versibus e Metallensibus adlatis ab Athenaeo p. 685 A v. 3: *κἀνθρύσκου μαλαχῶν τ' ἴων λείμακα καὶ τριφύλλου.* altera pars comparet in choriambico metro quod polyschematistum metrici vocant quale est *cui reserata mugiunt aurea templa mundi* a Terentiano 1896 ex Septimii carmine in Ianum patrem adlatum. cf. Mar. Vict. p. 127, 26.

et somnis facient insidias tuis
lascivae nemorum deae
Panas quae Dryades montivagos petunt.

ersiculum *montivagique Panes* ab interpolatore additum atis apte quidem si sequens versus omittatur. qui tamen iam continet necessariam: Naides enim quae Hylan racum Dryadibus componuntur quae, ut simile crimen in ipiant, Panas insectari festive dicuntur, quas scilicet a s peti vulgo putatur. versus autem molesta iam sed ili synchysi constructus ferri non potest nominatis 'lasemorum deabus'; nam si in Dryadum nomine non vis iae et accentus est, id quod non fieri apparet nuniam in priore versu nymphis, nomen post sententiae im et pronomen positum grammatica recusat. itaque manca et ut tolerentur supplemento egentia [9]) *lascivae m deae* aeque dittographiam habeo et spuria. praeter ocum carmen sine offensione, versuum ordine nusquam , procedit [10]) exceptis v. 768 sq. sic in *A* scriptis:

languescunt folio lilia pallido
et gratae capiti deficiunt rosae,
ut fulgor teneris qui radiat genis
momento rapitur nullaque non dies
formosi spolium corporis abstulit.

antum differt quod *folio ut lilia* habet (nam *pallido*, non) *E* totidem litteris praebere supra p. 25 dixi) et v. 769 *ut comae.* hoc recepit Richterus, v. 769 *ut gratae,* 770 *or* corrigens, v. 768 deleto. certe non eleganter ad m mox calvum futurum adlusisse videtur. Eumolpus quiapillorum elegidarion dixit, sed iocos in calvos stigmoiaculari volens (Petron. 109); at melius potest illud versibus defendi [11]) IV, 10, 2:

---

superflui additamenti *frondiferum* non Peipero, qui sibi ipse , nota ferenda est, sed Wakefieldo infelicium de his tragoediis um fecundo (ad Lucr. IV, 585).

nam v. 749 sq. bene ad 748 adplicantur, recte intellecti a Boesol. I, 5, 5 sq.; et v. 804[b] sq. licet a Scaligero obelo notati sint do recte interpreteris optime se habere senties.

) ad Horatium provocavi quia in his tragoediis nusquam tam fret aperta Horatii imitatio adparet quam in hoc carmine. cf. v. 737 *imbos glomerante Coro* et Hor. II, 16, 23 *ocior cervis et agente ocior Euro.* 743 sq. et Hor. I, 12, 46 *micat inter omnes Iulium elut inter ignes luna minores.* cf. epod. 15, 1 et alios ut anth. 110, 5. v. 799 et epod. 13, 5 *obducta solvatur fronte senectus* ivenes; Seneca *veteris — supercili*) v. 797 *lucebit Pario marmore*

insperata tuae cum veniet bruma superbiae
et quae nunc umeris involitant deciderint comae
nunc et qui color est puniceae flore prior rosae
mutatus, Ligurine, in faciem verterit hispidam.

quos non negaris quasi exemplar horum versuum videri. itaque recte coniecisse videtur Richterus, sed sine dubio v. 768 iniuria eiecit. nam quod in *E* legitur *ut* insertum est ut antecedentibus adaptaretur versibus, qui ad v. 763 referendi sunt. fateor autem sine Horatii loco certum mihi futurum fuisse *gratas comas* arborum florumve comas esse et in *capite* eius generis nomen aliquod latere. nunc haec vera videntur:

languescunt folio lilia pallido,
ut gratae capiti deficiunt comae
et fulgor teneris qui radiat genis
momento rapitur.

expeditis locis in quibus haesitari poterat carminis compositionem examinemus. atque stropharum quidem indagandarum spem statim mittemus cum in sapphicis initio positis primum quattuor, dein undecim versus adonio excipi viderimus, denique octo sine clausula sequi. sed aegre nobis persuademus tres tetrametros dactylicos qui post sapphicos leguntur sine ratione hoc numero circumscriptos esse. tamen nec quaternorum nec ternorum versuum strophae ullo vestigio indicantur: *κατὰ στίχον* omnia deducuntur. inserti vero dactylici versus hoc saltem loco elegantiorem quendam in Seneca numerorum sensum demonstrare videntur; nimirum ea ratione inter sapphicos et asclepiadeos intercedunt, ut a versibus logaoedicis ad choriambicos transitus paretur.

eiusdem generis dubitationem tetrametri dactylici movent quos in extrema Hercule Oetaeo Alcmena pronuntiat. quorum priores tres in omnibus praeter Etruscum et asseclas sic scribuntur (v. 1944 sq.):

unde sonus trepidas aures ferit?
unde meas inhibet lacrimas fragor?
agnosco agnosco, victum est chaos.

nihil esset in quo haesitares nisi Etruscus diversam horum versuum praeberet formam hance:

---

clarius et I, 19, 5 *splendentis Pario marmore purius.* praeterea v. 810 ad Verg. georg. III, 89 respexisse videtur mutato Polluce in Castorem, Amyclaeo in Spartanum; recentiores omnes de Castore, ex Seneca Claudianus IV. cons. Hon. 556 *serviretque tuis contempto Castore frenis Cyllaros.* 771 sententia philosopho adamata: ep. 26, 4; 45, 13; 58, 22; 120, 18 all. cf. Hf. 874.

unde unde sonus trepidas aures
ferit? unde meas inhibet lacrimas fragor?
agnosco victum esse chaos

vides ultima secundi versus voce in tertium adsumpta nitidissimos prodire dimetros anapaesticos:

unde unde sonus trepidas aures
ferit? unde meas inhibet lacrimas
fragor? agnosco victum esse chaos.

deinde dactylici versus inlacessiti decurrunt.[12]) adaeque autem suspicio oritur ternisne versibus in initio positis continuatus mutatis numeris idem periodorum ambitus indicetur. cui favere videtur Etruscus versu 1951 omisso quindecim versus praebens, ut nullo negotio ternorum versuum strophas discribas et levi mutatione vel acumen sententiae reddas v. 1949 scribendo *visisti* vel *vidisti* (*vicisti* codd.) (cf. 1966):

vidisti rursus mortis loca
puppis et infernae vada tristia
et remeare licet soli tibi?

sed primum in terno numero, ut diximus, nulla ratio est, cum quaterno Horatium imitatus esse videri possit; deinde sententiae filum in quinque strophis ter strophae fine rumperetur; postremo tetrametri isti uno tenore a primo ad ultimum versum decurrunt qui et ipse in mero dactylo finit, ut haec non secernenda esse poeta aperte indicarit vel saltem secernendi nullum indicium dederit. versum autem 1951 cum Etrusco eicientes unicum inter duos versus hiatum carmini inferremus. ut de hoc quoque carmine strophis discribendo nullo modo cogitari possit, immo de continuo eius cursu constet. unum vero est quod intellecta trium versuum in initio positorum natura lucramur: nimirum de dimetris anapaesticis manifestum est et incorruptum testimonium.

contraria est tetrametrorum dactylicorum natura in carmine de quo pauca adhuc verba fieri oportet Oed. 449 sq. quod praeter versus heroicos in partium singularum initiis finibusque positos quattuor particulas continet, de quarum duabus satis disputavimus. atque illis quidem strophicae responsionis nihil inesse vidimus. de reliquis idem docere potuerunt

---

[12]) simili modo dactylicos cum anapaesticis versibus coniunxit Pomponius. Terent. 1965:

inserit haec aeque Pomponius in choricis sic:
'Rhoeteis procul a terris', mox dispare versu
subiecto 'Priamique aras damnare pias', tunc
'obrue nos Danaosque simul' paribus dedit illi.

tetrametri dactylici septendecim tertio loco positi, qui omnem subtiliorem dispositionem pertinaciter renuunt et aspernantur. etenim hiatus intercedit inter 451 et 452, 456 et 457; syllaba positione si ad sequentem versum adligatur longa finitur versus 453. 454. 455. 460. 464. itaque hos versus non circumscripsit periodis nec omnino magis illos inter se cohaerere voluit quam sapphicos similesque κατὰ στίχον compositos. restant hexametri variis metris ita interpositi ut v. 403 duo, 429 tres, 445 quattuor, 466 sex versus et totidem v. 503 sese excipiant. hoc si artificiose institutum esse credimus, inepte lusit in progrediente versuum numero et ineptius etiam si Richtero credimus v. 466 in duo frustula dirimenti — sed non credimus. nempe evinci potest primum saltem locum non recte traditum esse. atque nemo quidem extitit qui haec explicaret (v. 403):

effusam redimite comam nutante corymbo,
mollia Nysaeis armatus bracchia thyrsis,
lucidum caeli decus huc ades votis e. q. s.

sic scilicet *E*, *armate* (i. e. aut *armate* aut *armatae*) *A*, alii *armati*. priores vel 403 ad Bacchum, 404 ad Bacchas rettulerunt (*armatae*) et in exclamatione post *thyrsis* interpunxerunt, id quod Richterus amplexus est; vel, quod Gronovius voluit, et *redimite* et *armatus* ad *ades* trahebant, ut, quod ferri omnino nequit, idem deus et quinto et primo casu compellaretur: cum ferri sane debeat, licet dura sit, sententia inter varios numeros dissecta; vel denique v. 404 et 405 locum inter se mutare iusserunt, qua in re manifeste absurda non est morandum. Muellerus quid sibi velit (r. m. p. 123) post v. 403 finaliter distinguens et v. 404 ad 405 trahens ipse scierit. unum vero, quod a grammatica ferri possit, id scilicet quod Richterus recepit, plane nullum sensum efficit. quid verum sit Etrusci scriptura indicat saltem; quae vocativum in priore, nominativum casum in altero versu referens aliquid inter utrumque intercidisse aperte docet. quod cum intellexeris ultro senties *mollia bracchia* et *Nysaeos thyrsos* non recte ad unum Bacchum attinere sed, quod sensisse et interpolatorem vidimus, ad maenadum turbam dei pedisequas. quarum mentio post 403 amissa sic fere unius versus ambitu efferri potuit:

effusam redimite comam nutante corymbo
[huc ades, huc comitum laeto cum carmine coetus]
mollia Nysaeis armatus bracchia thyrsis.

dein novo impetu:

lucidum caeli decus huc ades e. q. s.

es igitur versus fuisse videntur ut 429—431: sic et v. 466 sq.[13]) t in fine senos posuit. intercedunt 445 sq. quattuor, e quibus leprecor ne quis secundum praecidere tentet cum ternis pribus numerum exaequaturus; nam sane v. 446 non desideraretur si abesset.

huic disputationi ut finem faciamus vel potius ut confirmemus eam quodammodo et inlustremus, pauca dicenda sunt de mira quadam sententiarum responsione quae cum in aliis canticis tum in Herculis prioris secundo comparet ex asclepiadeis duodeseptuaginta *κατὰ στίχον* compositis constante. incipit in prooemio (v. 524—532) quo Herculis impigri viri labores et aerumnae beato Eurysthei otio opponuntur. secuntur duae partes inter se mirifice respondentes: priore Herculis in Scythiam expeditio et balteus Hippolytae raptus celebrantur (v. 533—546), altera ad inferos descensus et pugna cum Plutone olim Pyli peracta. argumenta vides poetam similia elegisse; quae ita tractavit ut singula verbo tenus consentiant. respondent autem inter se v. 533—536 cum 547—549, in quibus tamen similitudo argumentum non excedit; dein v. 537—541 cum 550—556. describuntur Pontus et Acheron:

537 *illic dura carent aequora fluctibus*
551 *consurgunt tumidis fluctibus aequora*
540 *stat pontus vicibus mobilis annuis*
554 *stat nigro pelagus gurgite languidum*

v. 542—546 cum 558—568, victoria de Hippolyte et de Plutone deportatae; vide initia:

542 *illic quae viduis gentibus imperat*
560 *hic qui rex populis pluribus imperat*

in eis vero quae non ad verbum quadrant, subtiliter elaboratam rerum aequabilitatem lector accuratus facile persentiet. geminae itinerum imagini epilogi loco narratio de Orphei victoria canendi arte relata adiungitur, qua scilicet efficiatur viribus Herculis resistere non posse quae cantibus Orphei non restiterit Ditis

[13]) v. 466 lusit in eo ut tetrametros dactylicos etiam sententiae vinculo cum hexametris coniungeret. sic 429 sq. arte cum 432 cohaerent, sic 472 cum 471, sic vel Phaed. 325 cum 324. — ceterum inter 21 versus heroicos sedecim bucolica caesura diremit, secundum tragicorum Graecorum consuetudinem, cf. Rossb. et Westphal. metr. III p. 29. ut sedecim illos si cupias eodem modo quo v. 466 dissecare possis. at nimis inepta esset adfectata per clausulam systematis species in versibus contra legem et usum, quibus systemata flagitabantur, *κατὰ στίχον* compositis. quod de anapaestis valere ostendimus; valet item de tetrametris dactylicis (de HO 1944 sq. v. supra p. 60. 143) et dimetris iambicis (Ag. 759 sq.); quibus prolusit Seneca Prudentio. scilicet systemata ille abiecit ut strophas abiecerat.

potentia. iam vero si periculum facias carmen tam aperte singulis particulis constans in strophas discribendi, videbis particulas istas diversi ambitus esse neque quicquam spei prudenti saltem homini relinqui sententiarum aequabilitatem cum stropharum eurythmia coniungendi: id quod argumenti loco potest esse, in eis carminibus de quibus non certa ratione aliter statui possit, a Senecae arte consilium stropharum discribendarum alienum fuisse.

vidimus igitur in unius Medeae uno saltem carmine severiorem normam regnare, in reliquis tragoediis hic quidem et illic speciem quandam aequabilitatis sed compositionem re vera strophicam nusquam inveniri — nam quae non tetigi, de eis ne quaestioni quidem locus est. quae si omnia complectimur, prorsus descivisse ab Horatio Senecam constat, non ut ad Catulli Graecorumve aliorum, velut Anacreontis, exempla rediret, sed ut lege solutus incederet vel, si quando videretur, ipse legem sibi scriberet ineptam ac sine arte artificiosam. rapidus sane et miserabilis post Horatium summum artificem lapsus. cuius si causas requirimus, Senecae aevo dudum interiisse pulchrae severitatis decorisque re non verbis parati sensum omnia docent. quod si miramur doctrinam ipsam, qua Horatius edoctus Aeolium carmen primus ad Italos modos deduxit, tam cito evanuisse, quotum quemque putas Senecae aevo ipsum Alcaeum adiisse praeter Horatium a quo carminibus pangendis instrueretur? Seneca saltem ne tragoedias quidem praeter suarum ipsius exemplaria pernovit: semel Euripidis versus adfert (ep. 115, 14) e Danae sumptas quas scilicet Bellerophonti tribuit. Vergilium lectitavit Horatium Ovidium philosophos. facile autem qui non Alcaeum sed Horatium legit eo induci poterat, ut versus aeolicos *κατὰ στίχον* compositos non multum differre existimaret a strophis quae quaternis colis aequalibus constarent; praesertim cum Horatius stropharum terminos nullo indicio denotasset. quo sane nec sapphici versus excusantur uno tenore decurrentes nec epodi inconstanter et ad arbitrium positi nec metra systematis necessario conectenda versibus singulis praeter artem adstricta nec varia numerorum genera uno eodemque carmine comprehensa nec denique polymetrorum carminum puerilis iactatio. quae non ex Graecorum imitatione nata esse sed ex grammaticorum institutione certum nobis est et exploratum: quo satis explicatur res omnium maxime mirifica, quod scilicet ne hanc quidem versiculorum fluentium sine vinculo ac dilabentium congeriem stropharum lege coercuit.

VIII.

De ratione quae inter Senecae tragoedias tragicosque Graecorum poetas intercedat disputaturus nota quaedam praefanda video: siquidem de quaestionis fundamentis constare ante omnia oportet. cavendum autem praeter cetera videtur ne quis eodem similive consilio Senecam poeticae operam dedisse opinetur quo Pacuvius vel Plautus exemplaria graeca expresserunt. ille enim nec secutus est Graecos praeter argumenta et utique non tragicam musam carminibus suis adspirare iussit, sed scholasticam.

qui ante novissimum liberae rei publicae saeculum Romae tragoedias scripserunt, versibus vere latinis graecarum fabularum non argumenta tantum sed mores quoque et affectus reddiderunt. id eo magis laudandum est quo apertius Ennius saltem et Accius in praetextatis demonstrasse videntur quid Italicae musae praestare possent. qui quod artius etiam Graecorum exemplis se adstrinxerunt quam comici poetae, eius rei causa in tragoediae natura sita est. nam in privata vita iocose imitanda inveniendi officium poetae primum et uni poetae impositum erat; qui ut nova semper et inaudita inveniret res ipsa non patiebatur: genera quaedam argumentorum et personarum extiterunt, intra quae mores eosdem et affectus leniter variare et novis coloribus depingere summa ars erat. atqui Romanorum comici cum in iuvenum amoribus, patrum iris, lactis securisque angustiarum eventibus rem plerumque versari viderent, sine magno negotio et interdum forsan rei emolumento 'ardentes iuvenes raptasque in amore puellas elusosque senes agilesque per omnia servos' ex una fabula in alteram transtulere, scaenas scaenis mutavere vel in tenuioris argumenti complementum arcessivere. quod cum Graeci nusquam et numquam fecerint — utitur enim Aristoteles illo ut rei plane absurdae exemplo poet. 1456ª, 30 —, tragicis ne apud Romanos quidem concessum erat. namque quos illi sectati sunt tragoediae graecae principes heroum regumque actis deorum fative nutu perpetratis sive exantlatis certas formas et duraturas induerunt, ut et argumenta et personae in posterum constarent: ea de re certamen erat inter Sophoclem et Euri-

pidem, ex quo superiorem plerumque Euripidem decessisse saecula testata sunt; post illos nec argumenta quae tractaverant nec personarum praecipuarum mores et naturam ab illis constituta cuiquam licuit immutare, quod et litterarum et artis monumenta ostendunt: qui immutare vellent prorsus nova inducere debebant. iam priores Romanorum tragicos umquam ignota indictaque primos protulisse nemo arbitrabitur; in Graecis vero exprimendis non tantum Medeam ferocem flebilem Inonem perfidum Ixiona Ionem vagam tristem Oresten repraesentare debuerunt, sed et in argumentis disponendis et explicandis exemplaria sequi, nisi artis opera, in quibus omnia sua natura cohaererent, destruere mallent. id quod fecisse illos fragmenta docent in quibus quae refragari videntur omnia suum explicatum habent. et quidem merito non Livio tantum sed et Pacuvio illud gloriae ducimus.

civilibus bellis peractis cum rhetorica disciplina magis magisque in eruditione summum locum occuparet, et consentaneum erat ut prisca prisco more tractata displicere Romanis inciperent, et ipsi novo instrumento novum quiddam proferre posse sibi videbantur. periculum in mimo factum erat qui cum natura arti rhetoricae affinis esset quantum ab illa receperit et in illam valuerit Senecae patris lectores sciunt. novum autem genus tragoedia rhetorica inventa est, cuius indoles breviter sic describi potest ut ἦθος in ea nullum, πάθος omnia esse dicatur. nam quae ad mores spectant sententiis comprehenduntur, affectus plene et diffuse repraesentantur, oratione omnis generis coloribus sensibusque instructa, descriptionibus et narrationibus undecumque arcessitis et ubicumque inlatis. eius tragoediae, quae iam Graecanicis versibus composita Romanorum ingenio, sepulta saltem libera re publica, aptissima erat, prima exempla non Senecam dedisse certum est. num iam a Varii Thuesta vel ante illum a Pollione initium ceperit [1]), dubitari potest, cum in epicam elegiacamque poesin ab Ovidio demum rhetoricae disciplinae indoles inlata sit. quamquam Quintiliani verbis (*iam Varii Thyestes cuilibet graecarum comparari potest*) et argumento quod potissimum sibi tractandum Varius sumpsit, comprobari illud videtur. sed Ovidii Medeam ex novo genere fuisse mult

[1]) v. Welcker. tr. gr. 1421 sq. versus Graecorum ritu composti sufficiebant ut Pollionis tragoediae '*nova carmina*' audirent (Verg. ec 3, 86). gravius est quod Ovidio Musa dicit (am. III, 1, 29) *nunc habent per te Romana tragoedia nomen*, quo indicatur aliquid quod Romani proprium sit.

evincunt: ante omnia Ovidii ingenium rhetoricae arti quam aptissimum eaque excultum; quo praecipue spectant quae de illo Seneca pater memoriae tradidit; deinde Quintiliani testimonium quo docemur etiam in tragoedia illum ingenio suo indulgere quam temperare maluisse [2]); denique frustula duo quae iniqua nobis fortuna ex illius Medea reliquit — libenter enim Ovidii Medea novem Senecae tragoedias venderemus —, quae tamen sufficiunt ut et Medeae mores illum aliter quam Euripidem tractasse et rhetorum more locutum esse cognoscamus. de Seneca non probari magis debet res quam intellegi. tamen ad probandam quoque quae sufficiant adferemus.

non immerito dici potest ad nullam fere antiquarum litterarum aetatem inlustrandam utilius adiumentum suppetere quam, quo ad primum p. Chr. saeculum utimur, Senecae patris opus. differentiae Vergilium ac Tibullum inter et Ovidium intercedentis, quam nemo non sentit, causas controversiae demum suasoriae et iudiciales aperient de quibus sententias divisiones et colores Seneca posteris tradidit: illis enim rhetoricam famulae et ministrae loco fuisse, his imperare cognoscimus. qui Livii annales cum Sallustii libris, Senecae filii scripta pedestria cum Cicerone comparare volet ab eodem lucem accipiet. in tragoediis filium cum patre ipsum conferre debebimus, ut intellegamus nec potuisse quemquam hac disciplina a prima aetate instructum in Graecis adquiescere vel in Horatii legibus, quas scilicet Seneca in tragoediis palam contempsit, nec, si tragoedias scriberet, alias scribere potuisse. atque Senecam studiis rhetoricis quam maxime imbutum fuisse et natura sua non minus quam Ovidium ad ea praecipue inclinasse et pater fidem facit et quidquid scripsit; ut qui subinde tota capita libellis suis non alio consilio inserat nisi ut in colore splendido finis fiat. at de tragoediis qua ratione illud intellectum velim uno saltem exemplo ad orationem ac stilum pertinente ante oculos ponere satius erit.

non raro eo colore rhetores utuntur ut ad augendam vim argumenti rem quam semel evenisse notum sit, ita tangant quasi eadem saepe et adeo semper in simili occasione evenerit. sic iuvenis qui cum patruum patris inimicum aluisset abdicatus a patre dein a patruo adoptatus patrem inopem aluerat, iterum abdicandus hoc in novum patrem colore utitur: *quaeritis quid fecerim? quod solebam* (contr. I, 1, 17); nimirum patrem alui, ut olim temet ipsum. sic in Murredii sententia

[2]) id quod non recte explicavit Welckerus tr. gr. p. 1433.

VII, 5, 15 *facit, inquit, quod solet: pro amatore sanguini suo non parcit* Senecae fatuum videtur quod putide translato sensu in eadem sententia sanguinem pro filio usurpavit, in qua eandem vocem proprie, Publiliano more, non quod solitum dicitur esse mulieri sanguinem suum fundere, quippe quem semel in coniugis morte sibi quoque detrahi passa sit. IX, 24, 4 *feci quod soleo: nihil aliud respexi quam patrem* (Cimo Miltiadem); ibid. 5 *cogita qualium misereri soleas*[3]) (Callias Cimonis). cum his locis confer Sen. Phoen. 154

dextra noster et nuda solet
bene animus uti,

scilicet oculos Oedipus nuda dextera sibi eruerat. ibid. 163 in eadem re:

vel dirige iras quo soles,

scilicet in oculos. Tro. 360

dant fata Danais quo solent pretio viam.

virgine scilicet immolanda. Med. 540

contemnere animus regias, ut scis, opes
potest soletque.

contempserat autem regias opes Medea Colchis fugiendo. Phaed. 92

praestatque nuptae quam solet Theseus fidem.

ubi qui has tragoedias legerit concedet tantum de Ariadna cogitari. Hf. 1101

mundum solitos ferre lacertas,

---

[3]) pluralis numerus (*qualium*) ad idem genus pertinet. ecce tota sententia: '*cogita adulteros esse pro quibus regas, cogita qualium misereri soleas*', cum pro filia pater rogaverit, Cimonis miseritus sit. eius usus tragicis Graecis frequentati Welckerus exempla dedit tr. gr. 107 adn. de Soph. frg. 284 loquens (σὺ δ' ὦ μεγίστων τυγχάνουσα πανθερῶν) cf. p. 469 de Eur. frg. 48 (δούλοισι γὰρ τοῖς σοῖσι νικᾷς). addo Eur. Herc. 455 ὁμοῦ γέροντες καὶ νέοι καὶ μητέρες (Amphitruo infantes Megara) 1309 τοὺς εὐεργέτας Ἑλλάδος ἀπώλεσε (Herculem). Med. 366 τοῖς νεωστὶ νυμφίοις καὶ τοῖσι κηδεύσασι. Soph. OR 1184 δοκεῖς πέφασμαι φύς τ' ἀφ' ὧν οὐ χρῆν, ξὺν οἷς τ' οὐ χρῆν ὁμιλῶν οὕς τε μ' οὐκ ἔδει κτανών. cf. 1358 οὐδὲ νύμφιος βροτοῖς ἐκλήθην ὢν ἔφυν ἄπο. sic Catull. 68, 115 *pluribus ut caeli tereretur ianua divis* (uno Hercule). sed multus in hoc usu Seneca est: Med. 106 *nunc primum soceris sponse volentibus.* 278 *quidquid etiam nunc novas docet maritus coniuges.* Phoen. 479 *post ista fratrum exempla.* Phaed. 1067 *nam mihi paternus vincere est tauros labor.* Hf. 1283 *fortis in pueros modo pavidasque matres.* Ag. 194 *Pelopia Phrygiae sceptra dum teneant nurus.* HO 1854 *pertinax si quas dolor adhuc iubet lugere quas luctus gravis in saxa vertit,* et alia multa.

cum Herculem semel caelum tulisse pueri sciant. ibid. 1343

illa te, Alcide, vocat,
facere innocentes terra quae superos solet.

Attica nimirum ubi Mars homicidio purgatus erat.[4]) item de Hercule HO 1376 — nam quod in talibus Hercule Oetaeo ut reliquis tragoediis utor non improbabis —

quos soles vivos inferos.

plane idem color est, alio tantum loquendi genere indutus, quem habes controv. IX, 6, 8 *liberos effero semper unius mulieris aut mendacio aut veneno*, cum filium novercae veneno amiserit, filiam ab eiusdem mendacio defendat. sic Seneca Phaed. 1164

o dure Theseu semper, o numquam ad tuos
tuto reverse,

ubi ad Thesei Minotauro interfecto reverentis incuriam adluditur subahsurde. ibid. 1166

pervertis domum
amore semper coniugum aut odio nocens,

ubi, ut ad Ariadnen supra, sic ad se unamque Antiopam respicit. ibid. 1207

tuque semper, genitor, irae facilis adsensor meae,

cum irae in Hippolytum modo adsensus sit Neptunus, alii ex Thesei saltem sententia numquam. Phoen. 34

semper cruente saeve crudelis ferox,
cum occidis et cum parcis.

Oedipo Cithaero pepercerat. Hf. 1336

quoniamque semper sceleris alieni arbiter
amas nocentes,

scilicet Pirithoum. Tro. 500

qui semper etiam nunc tuos,
Hector, tueris.

modo qui Andromachae apparuerat. denique idem paullo aliter effertur contr. VII, 3, 1 *revertor ad venenum quoniam iniqua fortuna nullo me periculo defungi semel passa est:* nimirum praeter venenum una abdicatio respicitur; quocum satis erit contulisse Tro. 134 de Priamo:

nil Troia semel te rege tulit.

observandum autem est locos quos e controversiis attuli omnes diversorum rhetorum esse, ne binos quidem eiusdem. ceterum erret qui hanc figuram omnibus eius aevi poetis frequentatam

[4]) nescio num quid reconditum lateat Stat. Theb. VIII, 766 *nec prius astra subit quam mystica lampas et insons Elisos multa purgavit lumina lympha.*

putet; ascribam quae epici praebent: Lucan. VIII, 585 Cornelia quae a Pompeio semel in Thessalia abscesserat:

numquam omine laeto
distrahimur miseri.

eadem IX, 66

similisve malorum
sors mihi semper erit? numquam dare iusta licebit
coniugibus? numquam plenas plangemus ad urnas?

scilicet quae post Crassum luget Pompeium. Val. Fl. VII, 95 Iaso cum Peliae iussu expeditionem susceperit:

mos iussa pati nec cedere diris.

VIII, 353

atque iterum Aesonides, iterum defenditur arte
qua solet?

Stat. Theb. VIII, 680 Tydeus:

an noctem et solitas placet expectare tenebras?

quod potest per ironiam dictum videri quasi qui semel insidias struxerit idem semper facturus sit. ib. XI, 615

et in vultus saevire ex more potestas.

idem in silvis II, 7, 122

solet hoc patere limen
ad nuptas redeuntibus maritis,

quippe quod Protesilao patuerit. Silius aridus poeta tantum XII, 583

intratam Senonum capietis milibus urbem
adsuetamque capi.

denique ex historico insigne exemplum addam quod docebit quantas difficultates color iste parum intellectus criticis parare possit. Tac. XIV, 47 *vis fulgurum non alias crebrior et sidus cometes sanguine inlustri semper Neroni expiatum*, ubi Gronovius *semper* eicere voluit, alii alia coniecerunt, historici nihil se intellegere fatentur: lege Schilleri adnotationem Neron. hist. p. 182 adn. 2. respicit autem Tacitus ad unum cometen (XIV, 22), qui Plauti Sullaeque exilium praenuntiaverat, [5])

haec igitur et quae eius generis facili negotio addi possunt ostendunt penitus Senecam rhetorum eruditione imbutum fuisse. quem etiam paterni operis assiduum et diligentem lectorem

[5]) non explicatur Tacitus Suetonii loco Ner. 36 *anxius ea re ut ex Balbillo astrologo didicit solere reges talia ostenta caede aliqua inlustri expiare atque a semet in capita procerum depellere, nobilissimo cuique exitium destinavit.* nam non dixit Tacitus: *sanguine inlustri semper regibus expiatum.*

fuisse e tragoediis evinci potest. nolo insistere in eo quod sententiae persaepe similes apud utrumque inveniuntur; ut, quo exemplo defungar, contr. IX, 6, 2 *praecipitati non quod impulit tantum trahunt, sed quod occurrit et naturali quodam deploratae mentis adfectu morientibus gratissimum est commori,* quocum cf. Ag. 202 *mors misera non est commori cum quo velis* HO 350 *felix iacet quicumque quos odit premit* Med. 427 *mecum omnia abeant: trahere cum pereas libet;* nam similia etiam apud alios poetas leguntur[6]) et omnino in sententiis similibus, etiamsi ad verba usque similitudo pertineat — ut Med. 433 *remedia quotiens invenit nobis deus periculis peiora* et contr. exc. VI, 7 *quaedam remedia graviora ipsis periculis sunt* —, spondere numquam licet sitne inter binos locos necessitudo.[7]) cuius tamen inter patrem Senecam filiumque non deesse certa indicia iam, nisi proludendo lectorem fatigavi, demonstrabo.

Sen. suas. II, 12 *occurrit mihi sensus in eiusmodi materia a Severo Cornelio dictus, tamquam de Romanis nescio an parum fortiter. edicta in posterum diem pugna epulantes milites inducit et ait*

stratique per herbam
hic meus est, dixere, dies.

elegantissime quidem adfectum animorum incerta sorte pendentium expressit e. q. s. hunc sensum ita suum in usum Seneca convertit ut de die, quem Medea antequam in exilium iret sibi expetierat, usurparet; de quo cum passim illa verba fecerit, ut v. 295 *unus parando dabitur exilio dies* 399 *segnis hic ibit dies tanto petitus ambitu tanto datus?* ita in extrema fabula liberos trucidatura loquitur (v. 1016):

perfruere lento scelere, ne propera dolor:
meus dies est; tempore accepto utimur.

---

[6]) cf. trag. inc. inc. frg. 88 v. 159 *pereant amici dum inimici una intercidant.* Ovid. fast. III, 637 *et cupit ulta mori.* Luc. VII, 654 *nec, sicut mos est miseris, trahere omnia secum mersa iuvat gentesque suas miscere ruinae.*

[7]) quamquam et rhetores e poetis (suas. III, 4 Arellius Fuscus e Vergilio, cf. 5 *solebat autem Fuscus e Vergilio multa trahere* e. q. s.) et poetae e rhetoribus haud raro sensus suos adsumebant (suas. II, 19 Arbronius Silo ex Latrone, ubi addit Seneca: *tam diligentes tunc auditores erant, ne dicam tam maligni, ut unum verbum surripi non posset. at nunc cuilibet orationes in Verrem tuto dicere licet pro suo.* controv. II, 2, 8 Ovidius ex Latrone: *adeo autem studiose Latronem audiit, ut multas eius sententias in versus suos transtulerit* e. q. s.); sed nostra aetas nimis rudis est loquendi artis quam ut veram imitationem a fortuita discernere possimus, nisi externa documenta accedant.

Romanorum quivis in hoc versu Severi meminisse debebat[8]); quorum in auribus quantopere talia haeserint ex Seneca patre potissimum scimus. quod magis etiam de altero hoc exemplo valet (suas. II, 19): *Latro in hac suasoria* (in qua deliberant Thermopylis Lacones an sibi quoque fugiendum sit) *cum tractasset omnia quae materia capiebat, posse ipsos et vincere, posse certe invictos reverti beneficio loci, tum illam sententiam adiecit: si nihil aliud, erimus certe belli mora. postea memini auditorem Latronis Arbronium Silonem patrem huius Silonis qui pantomimis fabulas scripsit —, recitare carmen in quo agnovimus sensum Latronis in his versibus:*

ite agite, o Danai, magnum Paeana canentes;
ite triumphantes, belli mora concidit Hector.

plane eodem sensu in eadem re Seneca usus est Ag. 208

quem non Achilles ense violavit fero,
quamvis procacem torvus armasset manum,
non melior Aiax morte decreta furens,
non sola Danais Hector et bello mora.

et simili in eadem re Tro. 124 choro Hectorem deflente:

columen patriae, mora fatorum,
tu praesidium Phrygibus fessis,
tu murus eras umerisque tuis
stetit illa decem fulta per annos.

quem sensum adeo adamavit ut eodem in simili re sed persona diversa rursum uteretur Phoen. 94, ubi Iocasta filios ita adloquitur:

media se opponit parens:
proinde bellum tollite aut belli moram[9]).

iam carmen illud Silonis quod Seneca pater recitare illum meminerat, nec filium lectitasse veri est simile, nec magis sensum istum vel dimidio saeculo post quam dictus esset aeque

[8]) optime res inlustratur his aequalium poetarum locis comparandis, quorum nullus quantumvis ad sententiam prope accedant cum Severi sensu conferri potest: Lucan. IV, 27 *patriaeque et ruptis legibus unum donavere diem.* Val. Fl. VI, 733 *dent tamen oro unum illum mihi fata diem.* Stat. Theb. XI, 485 *noster hic campus nosterque dies.* XII, 366 *aut quem temeraria quaeris nocte mea?* Sil. I, 457 *Murroque secundos hunc superos tribuisse diem.* XII, 633 *ventis debebis nimirum hiemisque procellis unum, Roma, diem.*

[9]) verbis eisdem sed sensu plane diverso Lucan. I, 204 *inde moras solvit belli.* Stat. Theb. I, 142 *haec mora pugnae sola.* Sil. I, 479 *Romani Murrus belli mora.* at Lucanum quoque colore eodem usum esse non mireris I, 100 *nam sola futuri Crassus erat belli medius mora.* ad suasoriam a patre tractatam respicit Seneca d. benef. VI, 31, 5 *tot ista gentium milia trecenti morabuntur.*

celebrem fuisse et praeter exercitatissimam Senecae patris memoriam multis insedisse. accedit quod Vergilio eundem locum tractanti se adplicare noluit, ut adversari quodammodo videatur patris iudicio sic loquentis ibid. 20: *sed ut scietis sensum bene dictum dici tamen posse melius, notate prae ceteris quanto decentius Vergilius dixerit hoc quod valde erat celebre 'belli mora concidit Hector':* [10])

quidquid ad adversae cessatum est moenia Troiae,
Hectoris Aeneaeque manu victoria Graium
haesit.

Messalla aiebat hic Vergilium debuisse desinere: quod sequitur
et in decimum vestigia rettulit annum
explementum esse. Maecenas hoc etiam priori comparabat. cuius loci partem priorem cum alias usum in suum verterit — Tro. 204

excidit Achilles, cuius unius manu
impulsa Troia quidquid adiecit morae
illo remoto dubia quo caderet stetit —

in altera parte probasse Maecenatis iudicium videtur; adiecit enim Tro. 124 sq., quem locum modo attulimus:

umerisque tuis
stetit illa decem fulta per annos.

alium autem colorem in voce multum significante, quae est *mora*, a Triario rhetore usurpatum item Seneca in eadem re imitatus est. ille enim de Medea contr. IX, 6, 9: *quid illa quae fratrem in moram sequentis patris sparsit?* et de eadem Seneca Med. 173:

Nut. *vindex sequetur.* Med. *forsan inveniam moras*

i. e. eiusdem generis moras quales Colchis profugiens inveni sparsis Absyrti membris. alterum in hoc sensu Triarii colorem Flores usurparunt: Ovid. her. VI, 129 *spargere quae fratris potuit lacerata per agros corpora* trist. III, 9, 27 *atque ita divellit divulsaque membra per agros dissipat*, utrumque minus audacter; sed Lucanus, item Absyrtum spectans, VIII, 98 *quo sit tibi mollius aequor — sparge mari comites;* et in alia re Seneca HO 209 *tota iacuit sparsus in aula* cf. 1394 *sparsus silebo* (supra p. 50). Ovid. met. VII, 442 *sparsuras corpora penna;* in similiore Phaed. 1208 *qui nova natum nece segregem sparsi per agros;* et rursum de Medea Med. 133 *sparsumque ponto corpus.* [11])

[10]) quo tamen proxime accedit quod Vergilius dixit Aen. X, 428 *pugnae nodumque moramque* (Abantem).

[11]) his locis nisus et Phaed. 1278 *at vos per agros* corporis partes

Vergilii imitatione, quae subinde in versibus quoque a patre adlatis apparet, nihil probatur, cum Vergilium omnino inter poetas plurimum Seneca legerit et relegerit et memoria tenuerit. qualia quam caute tractanda sint uno loco inlustrabo: suas. IV, 5 *auditor Fusci quidam, cuius pudori parco, cum hanc suasoriam de Alexandro ante Fuscum diceret, putabat aeque bene poni eundem (Vergilii) versum et dixit:*

scilicet is superis labor est, ea cura quietos
sollicitat.

Fuscus illi ait: si hoc dixisses audiente Alexandro, scisses apud Vergilium et illum versum esse:

capulo tenus abdidit ensem.

utrumque locum imitatus esse Seneca videri possit: priorem sententiam habet Phaed. 971

sed cur idem qui tanta regis —
hominum nimium securus abes,
non sollicitus prodesse bonis
nocuisse malis?

sed eadem Euripidia est, cf. Valckenaer. ad Hippol. 1102 et fortasse aliorum tragicorum (frg. adesp. 72). cf. Acc. v. 142 Sen. de benef. IV, 19, 2. Luc. IV, 454. Claudian. in Rufin. I, 1 sq. all. alteram respexisse cuipiam videatur Tro. 48 in eadem re:

alto nefandum vulneri ferrum abdidit

sed hoc et potest fortuitum esse (cf. Thy. 722 *in vulnere ensem abscondit et penitus premens iugulo manum commisit*), et isto loco aperte Ovidii sensum exprimit. pergit enim

---

vagas e. q. s., trag. inc. inc. frg. 93 v. 167 *membraque articulatim dividit perque agros passim dispergit corpus — ut dum nati dissipatos artus captaret parens* e. q. s. aliquando putavi Medeae de fratre versum 47

vulnera et caedem et vagum
funus per artus

audacissime sane dictum corrigendum esse

funus per agros.

non prohibet quod non eam fabulam, qua membra per agros dissipavit, Seneca mox secutus est v. 133 *sparsumque ponto corpus;* nam v. 452 dicit: *quaeque fraternus cruor perfudit arva*; sed simile est quod legitur Thy. 60 *membra per partes eant discerpta* Sen. suas. VI, 19 *per artus suos laceratus*, quae est egregia Kiesslingii emendatio; simile inquam est si translatum epitheti sensum addas cuius persimile exemplum habemus Med. 667 *arsit angustas vagus inter undas;* cf. HO 817 *et nubes vago sparsit cruore.* denique admonuit me Usenerus Sallustiani fragmenti (de Mario Gratidiano. hist. I fr. 35 Kr.) quod in commentis Lucani legitur p. 62, 5: *qui per singulos artus expiraret.*

quod penitus actum cum recepisset libens,
ensis senili siccus e iugulo redit.

et in eadem re Ag. 656

vidi vidi senis in iugulo
telum Pyrrhi vix exiguo
sanguine tingui.

nihil ea de re Vergilius in mortis Priami descriptione (II, 550 sq.), sed Ovid. XIII, 408

exiguumque senis Priami Iovis ara cruorem
combiberat.[12])

idem quod de Vergilio etiam de Ovidio valet quem frequenter, ut passim adnotavimus, et in eis quoque locis expressit quos pater adfert. praeteriri hoc loco nequit, Scauri iudicium de Ovidii loco contr. IX, 6, 17 adlato Senecam videri suum fecisse, ut qui Tro. 955 eundem sensum dederit sed non per tot membra eundem persecutus, id quod D. Heinsius (ed. Scriver. p. 287) probe intellexit. filium tamen non ubique patris vel auctorum eius iudiciis se adstrinxisse et vidimus et luculentum exemplum addo contr. VII, 4, 9 *et illam falsissimam (sententiam Festus dixit) in quam multi incidunt: propter hoc ipsum, inquit, magis flebilis est, quod non potest flere. et iterum: lacrimae, inquit, matri desunt, causae supersunt; tamquam caeci flere non soleant.* in 'falsissimam sententiam' Seneca quoque incidit Phoen. 239

cuncta sors mihi infesta abstulit,
lacrimae supererant: has quoque eripuit mihi.

denique cf. Pedonis Albinovani versum quem Seneca suas. I, 15 adfert v. 3

per non concessas audaces ire tenebras

cum Hf. 552

qua spe praecipites actus ad inferos
audax ire vias inremeabiles
vidisti[13]) *Siculae regna Proserpinae?*

---

[12]) sic explicandus quem inde a Servio non recte ceperunt viri docti Vergilii versus II, 662 *iamque aderit multo Priami de sanguine Pyrrhus.* simile est quod Ovidius dixit met. VII, 599: (*victima*) *exiguo tinxit subiectos sanguine cultros*, quod obversatum videtur Senecae scribenti Oed. 348 *huius exiguo graves maculantur ictus imbre, sed versus retro per ora multus sanguis atque oculos redit.* cf. Prop. IV, 16, 19 *sanguine tam parvo quis enim spargetur amantis?* Lucan. II, 128 *parvum sed fessa senectus sanguinis effudit iugulo flammisque pepercit.*

[13]) fuit cum *visisti* necessario ducerem scribendum esse, ut trag. inc. frg. 147 v. 249 *quaenam te adigunt, hospes, stagna capacis*

vereor ne in hoc loco inlustrando nimius fuisse videar.[14]) sed quam maxime intererat ut omnibus persuaderetur quanto opere ex rhetorum ludis haec carmina penderent. exempla autem quibus defuncti sumus impellant forsan quempiam ut universae elocutionis naturam scholasticam singillatim persequatur, qua sola ratione qualecumque gaudium ex his tragoediis percipi potest. etenim litus aratum est ab omnibus qui iudicium de eis ad artis tragicae leges redigere conati vel laudarunt ut bonas tragoedias vel vituperarunt ut malas, ut illorum insaniam praeteream qui vel nostro saeculo Senecam cum Euripide comparare ausi sunt — id quod et prioris aevi philologis et Lessingio adulescentulo, qui mirifice coloribus rhetoricis delectabatur, facile condonamus. istae vero non sunt tragoediae sed declamationes ad tragoediae amussim compositae et in actus deductae; in quibus si quid venuste vel acute dictum, floride et figurate descriptum, copiose narratum esset, plaudebant auditores, arti satisfactum erat.

itaque non comparabimus cum graecis has tragoedias ut artis opera, sed earum argumenta tantum et argumentorum tractationem. nimirum a prioribus Romanorum tragicis Seneca et in eligendis argumentis et in tractandis ita discessit, utriusque rei causam ut in studiis rhetoricis sitam esse elucear.

atque primum quidem argumenta apud Graecos nobilissima Oedipum et Hippolytum, quae ne priores Romanorum poetae tractanda sibi sumerent incesta conubia et flagitiosus novercae amor prohibuerant — nemo enim obiciet Divi Iuli Oedipum — Seneca utrumque sibi adscivit, ut quae affectibus depingendis praecipue aptae essent. eodem consilio ab Euripide Herculem mutuatus est quem nec Graecorum nobilis poeta nec Romanus praeter illum tractaverat.[15]) Agamemnonem Livius

---

visere Averni? sed cf. Phaed. 649 *monstrique caecam Cnosii vidit domum.* Tro. 791 *liberos Troas vide.* Ov. fast. III, 703 *ille quidem caelo positus Iovis atria vidit et tenet in magno templa dicata foro.* cf. Scaliger. ad Tro. l. s. et supra p. 143.

[14]) si nihil aliud, certe de Seneca tragoediarum auctore non leve argumentum et mea quidem sententia per se sufficiens hoc loco consecuti sumus.

[15]) in universum ad Senecam quoque attinet quod ad priores Romanorum tragicos, scilicet plerumque intra trium tragoediae principum argumenta Graecorum imitatores se continuisse. saepius ab illis unus Pacuvius recessit qui in Duloreste Iliona Medo et fortasse Periboea et Atalanta argumenta post Euripidem scaenae tradita tractavit; Ennius in hille; de Naevio nihil adfirmo. perraro in tot fabularum reliquiis ius quem praeter Melanippum Clytaemnestram et fortasse Hellenas nia ab Sophocle Euripide Aeschylo sumpsisse credo: titulos enim

in Aegistho repetierat (nam Acci Aegistho argumentum Electrae subiectum fuisse videtur), Thyesten Ennius, Accius in Atreo et Varius, Troadas Accius et fortasse Ennius in Andromacha Aechmalotide, Medeam Ennius Accius Ovidius; Phoenissas et Herculem Oetaeum hic praetereo. omnia vero argumenta ista eam ob causam Senecam sibi elegisse patet quia in illis summi affectus, amor ira dolor, et atrocissima facinora, parricidia et incestus, ubique locum tenerent.

haec autem tragoediarum argumenta intacta ut a Graecis accepta erant, servari iam non opus erat. nam si externa modo artis praecepta tenerentur, nihil iam intererat inter se omnia rite cohaerere, personarum singularum mores actaque recte et constanter explicari, nihil denique agi quod non ex necessitate quadam evenire videretur. iam summum negotium erat sic omnia contrahere et amplificare ut quam uberrima declamandi describendi altercandi materia et locus suppeteret. itaque lecta graeci poetae nobili fabula novam suo more Seneca composuit suo proposito inservientem. ut nec de versione nec de imitatione loqui possis, sed de redintegrata eiusdem argumenti tractatione. hoc quomodo in singulis factum sit eo luculentius demonstrari poterit quo certius de singularum fabularum exemplaribus constabit: qua de re plerumque non potest dubitatio esse, in paucis explicatius disputandum erit.

---

graecos ipse finxisse videtur, ut Epinausimachen Nyctegresian Thebaida Stasiastas (contra Welckerum p. 1204) et fortasse Hellenas; ut qui Didascalica Pragmatica Praxidica scripserit et graeca quaelibet tunc temporis Romanis se probaturum esse scierit. haec posui tantum quia exponere longum erat. addo de Romanorum tragoedia, quatenus quidem a Graecorum vestigiis discesserit, ex artis monumentis nihil disci posse.

IX.

Ut ad propositam de exemplaribus graecis quaestionem redeamus, apissime a prima tragoedia incipiemus cui ut cognomini Euripidiae furentis epitheton interpolator inscripsit: novicius huic et nuper demum explosus (de Wilamowitz An. Eur. p. 59 sq.), vetus illi Etrusci auctoritate convictus: inter quos quae necessitudo sit non satis liquet; aptissime ideo quia in hac fabula dubitari nequit quin ab Euripide poeta argumentum repetierit. ille enim Herculis ab inferis reversi furorem primus scaenae tradidit argumentique formam in omne aevum constituit. quod a graecis poetis aut in ignobilibus tantum tragoediis [1]) aut omnino non retractatum est.[2]) Seneca igitur una Euripidis fabula usus est.

atque primum quidem displicuit illi ut Lessingio (IV, 247 sq. L. ubi quaedam de discrimine inter Euripidem et Senecam acutissime disputavit) et plurimis egregia Euripidis ars qua ex duplici argumento — reditu Herculis et furore — unum effecit: videmus liberos Herculis et uxorem in priore tragoediae parte praeter spem servatos in altera ab ipso servatore trucidari; in priore eundem sua virtute summa perpetrare, in altera praepotentis numinis manu τὸ καλλίνικον κάρα miserrimum omnium reddi; denique amici dextra erigi rursum mundoque reddi. transitum ille a priore parte ad alteram, a subita e timore laetitia ad summum luctum, admirabili, si veterem non noviciam scaenam respicis, sed audacissimo invento fecit, Iride et Insania in scaenam inductis; minus tamen audaci si memineris Insaniae personam Atheniensibus ex Aeschyli Carminatricibus (frg. 163) notam fuisse. hoc igitur cum Senecae

---

[1]) Diogenem in Hercule (Suid. s. D.) Hylae fabulam tractasse Welckerus conicit p. 1039, in Timesithei Hercule vel de satyris cogitat (p. 1047). ut ut est et harum fabularum memoria intercidit praeter nomina et eius quae in CIG I, 231 memoratur, et Lycophronis (Suid. s. L.).

[2]) quod Asclepiades narravit (schol. λ 269) non necessario ad novam tragoediam refertur, siquidem verissima sunt quae Robertus (de Ap. bibl. p. 74 sq.) et Wilamowitzius (A. E. p. 181 adn. 3) de tragodumenis dixerunt; praesertim cum quod ille narrat καταστέφει τοὺς Ἡρακλέους παῖδας Euripidem redoleat (v. 526). scholiastam Pindari (Isthm. 4, 104) hypothesi fabulae Euripidiae usum esse intellexit Wilamowitzius l. s. p. 186.

displiceret, argumento in duo dissecto remedium eo adhibuit ut Iunonem praefantem induceret, Furias excitantem, de tristi rei eventu incerti nihil relinquentem. ita concitatissimam 124 versuum declamationem lucratus est. [3])

deinde duas scaenas, quibus intercedit apud Euripidem liberorum comptio, in unam contraxit, sed Herculis adventum primamque orationem cantico interrupit, sane quam inepte: Amphitruo enim postquam dixit (v. 523): *est est sonitus Herculei gradus*, cum nuru exit, Herculi, si quid sani agat, occursurus. chorus quasi nihil senserit de Hercule tamquam apud inferos adhuc retento canit; apparet Hercules solus, et multa demum de propria virtute gloriato pater uxor liberi accedunt. haec rerum inter se cohaerentium putidissima discerptio nulla alia de causa facta est quam ut Herculi declamandi locus daretur (592—617). legant autem Euripidis detrectatores corruptam a Seneca scaenam Herculis redeuntis v. 514 sq., cuius aequales non multae in ullius populi litteris invenientur.

temporis spatium quo de Lyco supplicium sumitur cantico expleri non suffecit Romano, qui hoc loco scaenam inseruit nihil ad argumentum attinentem sed ipso loco et ambitu gravissimam effectam totius tragoediae: paene ducentis versibus inferos describentem facit Thesea quem hanc ob causam statim cum Hercule induxit, ab Euripidis prudenti consilio recedens. deinde non minus imprudenter nec minus rhetorica libidine ductus Herculis furorem non reliquit narrandum facundiae praesenti, sed pueros coram populo Hercules trucidat; quo instituto perinde atque in Medea Horatium contempsit, toti huius artis indoli convenienter ut supra monuimus. [4])

[3]) singulos Euripidis locos respexit v. 268 (Eur. 217); 440 (Eur. 170, v. i.); 506 (Eur. 240); 519 (Eur. 501); 520 (Eur. 490); 631 (Eur. 558); canticum 875 sq. (*Thebis laeta dies adest*) secundum Eur. 764 sq. (χοροὶ χοροὶ καὶ θαλίαι μέλουσι Θήβας ἱερὸν κατ' ἄστυ); omnium apertissime v. 997 Mycenas infert ex Euripidis nuntio de Hercule dum furit Mycenis rem geri somniante, sed ita infert ut nisi ab Euripidis lectore intellegi illud omnino nequeat; 974 (*pectoris sani parum magni tamen compesce dementem impetum*) Eur. v. 1414 respicitur a Wilamowitzio egregie correctus: ὁ κλεινὸς Ἡρακλῆς σὺ καὶ νοσῶν (κεῖνος ὢν cod.); 1206 sq. cf. Eur. 1148 sq. sed ut solet immiscuit etiam quae ex aliis Graecorum fabulis memoria teneret. unum, Hf. 622 scilicet ex Soph. Trach. 201 sumptum esse, supra p. 90 monui. praeterea cf. 1287 sq. *tota cum domibus suis dominisque tecta, cum deis templa omnibus Thebana supra corpus excipiam meum* cum Eur. Phoen. 1130 sq. de Capanei scuto: σιδηρονώτοις δ' ἀσπίδος κύκλοις ἐπῆν γίγας ἐπ' ὤμοις γηγενὴς ὅλην πόλιν φέρων μοχλοῖσιν ἐξαραιρήσας βάθρων. utramque vero tragoediam propriis condendis legit et relegit.

[4]) similem forsitan in Sophoclis Athamante furente (altera) scaenam

haec de oeconomia fabulae; de personarum moribus fere nihil dicendum est, siquidem genera personarum in rhetorum ludis frequentata repraesentavit: Hercules vir fortis est et tyrannicida, Lycus tyrannus, Iuno noverca; Theseus narrandi, Amphitruo et Megara flendi causa inducti, liberi omnino supervacui sunt (v. 203, cf. Eur. 140. 181 sq. 622 sq.). de Lyco et Amphitruone singula monebo. Lycus Euripidius homo est motu civili in summam potentiam elatus, quem adversarios suos interficere Euripidis aequalibus consentaneum videbatur; seditionem vero, Euripidis consilio quam maxime aptam (quod bene exposuit Hartungus E. R. II, 19 sq.), Seneca in Lyco suo omnino non memoravit sed bellum tantum quo rerum potitus esset; nec a proavo ut Euripidius regni ius ille deducit, sed obscuram originem muliere stirpis regiae in matrimonium petenda fulcire studet: a qua repulsam ferens simul illam cum liberis socero-que necandi rationem invenit. haec scaenae Romanae satis convenienter inmutata sunt; sed simile quiddam fortasse in Cresphonte Euripides praeierat. Amphitruonis personam eo maxime corrupit quod eum Iove conubii participe statim ab initio non contentum tantum sed et gloriabundum facit v. 264:

in cuius urbem non semel divum parens
caelo relicto venit, haec quae caelites
recepit et quae fecit et — fas sit loqui —
fortasse faciet, sordido premitur iugo

et, quod nimis putidum est, Herculis originem a Lyci invidia defendentem v. 440:

partes meae sunt reddere Alcidae patrem
genusque verum — —
nondum liquet de patre? mentimur Iovem?
Iunonis odio crede.

et non minus pudende 1247

sive me altorem vocas, seu tu parentem.

hoc quoque iure admireris ab Euripide egregie institutum, cuius Amphitruo in prologo nihil indicat de Hercule Iovis filio, suum filium impense nuncupat (3. 50); Lyco mendacium obiurganti (148) uno verbo respondet (169):

τῷ τοῦ Διὸς μὲν Ζεὺς ἀμυνέτω μέρει[5]).

---

habuerit, si recte Welckerus de eius in uxorem liberosque venatione ante spectatorum oculos posita cogitavit (p. 324 sq. cf. Ov. met. IV, 511 sq. et Sen. Hf. 987 sq). ceterum notum est scholiastam Aiac. 815 coniecere Sophoclem, ne Aeschylum imitari videretur, Aiacem in scaena morientem fecisse.

[5]) in quo sententiam absolvi persuasum habeo. vides cur Wilamo-

undique demum periculis inruentibus et spe fere omni praerepta pulcherrima et nunc cum maxime auditorum animos motura effundit in Iovem convicia:

ὦ Ζεῦ μάτην ἄρ' ὁμόγαμόν σ' ἐκτησάμην,
μάτην δὲ παίδων γονέ' ἐμῶν ἐκλήζομεν.

et novissime:

σὺ δ' ἐς μὲν εὐνὰς κρύφιος ἠπίστω μολεῖν,
τἀλλότρια λέκτρα δόντος οὐδενὸς λαβών,
σῴζειν δὲ τοὺς σοὺς οὐκ ἐπίστασαι φίλους·
ἀμαθής τις εἶ θεὸς ἢ δίκαιος οὐκ ἔφυς.

etiam chorus verecunde (352) et Iris maligne (826) de Herculis origine dubitant; ipsum denique qui Iovem, ὅστις ὁ Ζεύς, aversatur ac dicit: πατέρα γὰρ ἀντὶ Ζηνὸς ἡγοῦμαί σ' ἐγώ (1265) cum Senecae Hercule conferas qui originem suam ad nauseam usque in ore gerit.

haec explicatius persequenda erant ut exemplo ante oculos poneretur quo consilio Seneca in retractandis tragoediarum graecarum argumentis versatus esset. non minus aperta et ad demonstrandum facilis res est in reliquis tragoediis quarum exempla servata sunt; nam quamquam alii quoque Oedipodas Agamemnonas Medeas scripserunt, dubitari non potest quin Sophoclem Aeschylum Euripidem secutus sit. de Oedipode et Agamemnone non multa dici possunt: utraque pueri manum refert qui nec Sophoclem nec Aeschylum intellexerit; Agamemnona certa vestigia Aegisthi Liviani referre Ribbeckius monuit. Oedipum ita contraxit ut in 1060 versibus cantica 330 versus complectantur, sacrificium et necromantia 230, ut ipsi fabulae 500 versus relinquantur. de Medea nuper Braunius plurima congessit ex Euripide et, quem lectitasse Senecam ubique vestigia apparent, Ovidio; quamquam in summam quaestionis locis similibus congerendis non multum lucramur, ut pauca de Medea dicendi officio non simus a Braunio levati.[6])

In Senecae Medea Euripidis tragoedia ita contracta est ut fere dimidiam partem scaenarum contineat, et ita amplificata ut in medio solito more scaena inserta sit de Medea venenum coquente et longissima et a graeco poeta aliena. cum Creonte

witzio (A. E. p. 237) accedere non possim. de Iove enim Amphitruo non loquitur quasi opem laturo, sed hoc dicit: suam partem Iupiter defendat, nempe sitne pater Herculis an falso praetendat; ad me spectat ut istius de Herculis factis vaniloquentiam redarguam. παιδός v. 170 quomodo corrigendum sit non habeo.

[6]) cf. Mus. Rh. XXXII p. 68 sq. ceterum Braunius serio opinatur ex Hygini fabulis aliquarum rerum notitiam Senecam petivisse (p. 79).

Medeae conloquium servavit, cum Iasone duo conloquia in unum coartavit, Medeae de liberis necandis deliberationem et necem ipsam coram populo perpetrandam suo consilio adaptavit; nutricem erae addidit prudenter obloquentem; nuntium paucis versibus absolvit; chorum Medeae inimicum comicorum more fecit et ipsam in prologo omnia mox committenda indicantem.

tragoediam ita conformatam cum Euripidia comparare non magis quam in reliquis fas est. sed negari non potest multo prudentius quam in Hercule poetam ab exemplo suo recessisse, ut subinde probabilis quaedam tragici ingenii mediocritas appareat. quo talia pertinent: Euripidis Medea antequam cum Iasone conloquatur certa est de coniuge eiusque nova nupta soceroque interficiendis (364 sq.); liberorum necandorum consilium demum cum Aegeo refugium pacta capit. Seneca haec aliter instituit; Medea in fabulae initio ne audito quidem epithalamio regem nuptamque novam occidere certa est, sed eo consilio ut Iasonem ad fidem reducat. sic v. 139:

melius a melius dolor
furiose loquere; si potest, vivat meus
ut fuit Iason, si minus, vivat tamen e. q. s.

repulsa a Creonte ira quidem furit, quod poeta ipse obscuravit choro male, ut in Hercule post Herculis adventum, inculcato; sed nequaquam de Iasone sibi reconciliando desperat. cum quo ita conloquitur quasi re vera precibus eum priscique amoris memoria flecti posse putet. cum omnem persuadendi et vincendi spem perisse vidit, tum demum omnia secum in exitium trahere constituit; at statim post summum affectum cum eodem loquens aequum animum simulat (v. 540 sq.); id quod non male institutum esse concedas in poeta cui animorum subita concitatio magis adpetenda fuerit quam iusta facinoris ex moribus statuque mentis explicatio. quod sequitur non minus huius tragoediae proprium est. Euripidis Medeam ut liberos necet duo commovent: v. 798

οὐ γὰρ γελᾶσθαι τλητὸν ἐξ ἐχθρῶν, φίλαι

et, ubi haec iustum locum habent, v. 1062

πάντως σφ' ἀνάγκη κατθανεῖν, ἐπεὶ δὲ χρή,
ἡμεῖς κτενοῦμεν οἵπερ ἐξεφύσαμεν.

Senecae Medeae, postquam liberos sibi fugae comites expetivit et Iason dixit vita se facilius quam liberis carere posse, subito oboritur consilium v. 549:

sic natos amat?
bene est, tenetur, vulneri patuit locus.

non tam sensus novus est (Eur. 817 *οὕτω γὰρ ἂν μάλιστα θηχθείη πόσις*) quam locus quo vim suam accipit. simili artificio Medeae de necandis liberis dubitantis et postremo decernentis orationem efficaciorem reddidit; quam cum partim ex Eur. v. 1019 sq. expresserit, ita conlocavit ut post relatum de dextero fraudis eventu nuntium, dum a coniuge regisque famulis in supplicium quaeritur, proferatur: Euripides dum isto temporis momento paucissima tantum Medeae verba impertit consiliique certa (1236 sq.), veritati studuit, Seneca suspensae animorum expectationi. accedit ut haec tragoedia vigore quodam orationis non nimis tumido, colorum non immoderata quadam vivacitate excellat, etiam in canticis, quae insuper accuratius reliquis composita esse demonstravimus.

omnia haec dexterius administrata esse quam ut Senecae ipsi imputari possint non contendam. sed veri multo similius est meliorem poetam inter Euripidem et Senecam intercessisse qui argumentum liberius tractarit. quem non quaerimus inter poetas Euripidem subsecutos, quorum longe alia erat ars et indoles, nec inter Alexandrinos de quorum tragoediis nihil fere compertum habemus [7]). nec utique de Graecis cogitandum videtur.

---

[7]) ad poetam qui Alexandrinorum aevo vixerit Senecae Medeam Diltheius rettulit (Ann. Inst. 1869 p. 42 sq. 68 sq.). qui cum ostenderit et artifices et poetas posteriorum temporum Medeae suae admiscuisse quaedam quae ante Alexandrinos nemo litteris marmorive tradidit, minime tamen comprobavit aut sarcophagos ad aliam quam Euripidis tragoediam redire aut Senecae Medeam a poeta graeco qui post Euripidem vixerit pendere. scilicet quaecumque illic a quinti saeculi indole recedunt, ut iuvenis taedam demittens vel puella dis nuptialibus mactata, talia non in singulis argumentis a certo quodam certi poetae opere originem cepere, sed per omnes artis litterarumque fines omnemque Graecorum et Graecanicorum vitam, qualis inde a quarti saeculi exitu conformata est, propagantur et regnant. quo fit ut carminibus et monumentis, et inter Romanorum quidem poetas inde ab Ovidio, talia inserantur ubicumque permittit occasio. continebo me, ne liberius quam par est evager, Senecae versibus quibus Diltheius praeter ceteros identidem utitur, Med. 37 sq.: *hoc restat unum, pronubam thalamo feram ut ipsa pinum postque sacrificas preces caedam dicatis victimas altaribus.* his versibus nihil inest nisi ut obscure et *αἰνιγματωδῶς* rei eventum Medea innuat, more Senecae prorsus solemni; qua in re imaginibus verbisque utitur et sibi et aliis poetis tritis ac frequentatis. primum ipsam se taedam coniugibus praelaturam minatur, nempe ut pronuba Erinys: quo sensu cum alii poetae — quos excribere non opus est quoniam quos equidem novi locos praeter Claudian. in Rufin. I, 83 omnes enumeravit Burmannus ad Ovid. her. 2, 117 — tum Seneca usus est ante paucos versus Med. 13: *sceleris ultrices deae, crinem solutis squalidae serpentibus, atram cruentis manibus amplexae facem, adeste thalamis horridae quondam meis quales ste-*

praeter Euripidiam tunc temporis sine dubio Ovidii Medea plurimum in hominum manibus versabatur, id quod Tacitus iuvenis testatur dial. 12: *nec ullus Asinii aut Messallae liber tam illustris est quam Medea Ovidii aut Varii Thyestes;* cui nec Senecae patris nec Quintiliani nec ipsius Ovidii testimonia refragantur nec denique quod exilia tantum frustula aetatem tulere: id siquidem cum Varii Thyeste commune habet.

sunt autem quae ex servatis duobus fragmentis de tragoediae natura intellegi possint. atque priore, quod his verbis Quintilianus adfert VIII, 5, 6: *nam cum sit rectum 'nocere facile est prodesse difficile', vehementius apud Ovidium Medea dicit:*

servare potui; perdere an possim rogas?

docemur Euripidem non expressum esse ab Ovidio, sed conloquium cum Iasone ita tractatum, ut non in accusando et defendendo contineretur, sed minas et, quod proclive est e coniectura addere, preces Medea effunderet. longius ab exemplari Ovidium recessisse versus fidem facit quem Seneca pater adfert suas. III, 5: *sicut in hac ipsa suasoria dixit (Fuscus): cur iste inter eius ministerium placuit? cur hoc os deus elegit? cur hoc sortitur potissimum Pythius* — *quo tantum non impie aiebat se imitatum esse Vergilianum 'plena deo'*[8]) — (p. 27, 13) *hoc*

---

tistis. item Oed. 644 *et mecum Erinyn pronubam thalami traham.* cf. Oct. 24 *illa illa meis tristis Erinys thalamis Stygias praetulit ignes.* 262 *illi soluta crine succincta anguibus ultrix Erinys venit ad Stygios toros.* deinde Creusam ad aras sacrificii loco dis oblatum iri dicit non aliter quam Deianira HO 348 *me nuptiali victimam feriat die,* Octavia v. 662 *hos ad thalamos servata diu victima tandem funesta cades.* et eodem modo hostiam appellat Lycum Hercules Hf. 922, Megaeram idem v. 1036 (cf. 1039), Hippolytus Phaedram Phaed. 708 *iustior numquam focis datus tuis est sanguis arcitenens dea.* iam nemo puto ex hoc similive loco quicquam de tragoediae exemplari conligendum esse contendet. prolusit autem Senecae Euripides Med. 885 *ἐγὼ δ' ἄφρων, ἣ χρῆν μετεῖναι τῶνδε τῶν βουλευμάτων καὶ ξυμπεραίνειν καὶ παρεστάναι λέχει, νύμφην τε κηδεύουσαν ἥδεσθαι σέθεν.*

[8]) transcripsi locum intricatissimum ut datur a Kiesslingio. primum Vergilii versus quo usus est Fuscus non extat in servatis poetae carminibus. ecl. 3, 60 *Iovis omnia plena* nimis ab hoc argumento alienum est. aptissimum locum habuisset Aen. VI, 77

at Phoebi nondum patiens immanis in antro
bacchatur vates magnum si pectore possit
excussisse deum.

quem locum et multi expresserunt et Ovidius expressisse videri possit. sed cum de Senecae patris errore vix cogitandum et credendum videatur Vergilii versum amissum esse, ne sic quidem Fusci sententiae cum Vergilio satis convenit ut tantum non impie eum imitatus esse merito dici queat: qua de causa extrema, quae sic fere in codd. leguntur: *cur hoc sortitur potissimum poetis quod tantum non impie* e. q. s. (*Phoebus quo*

autem dicebat Gallio Nasoni suo valde placuisse; itaque fecisse illum quod in multis aliis versibus Vergilii fecerat, non subripiendi causa sed palam mutuandi, hoc animo, ut vellet agnosci; esse autem in tragoedia eius:

feror huc illuc ut plena deo.

haec verba ostendunt Ovidii Medeam longe aliter moratam fuisse quam Euripidis: quae cum aequi animi et in extremis malis compos sit, numquam ira et dolore in transversum agitur; illam discimus lymphato furore debacchatam esse. eisdem igitur coloribus Medeae iram depinxit quibus Seneca; cuius Medeam et furere ab initio paene per totam fabulam videmus et gressu quali maenada incerto huc illuc ruere identidem audimus:

123 *incerta vaecors mente vaesana feror*
partes in omnes unde me ulcisci queam.
382 *incerta qualis entheos gressus tulit*
cum iam recepto maenas insanit deo —
talis recursat huc et huc motu effero
furoris ore signa lymphati gerens.
675 *ut attonito gradu | evasit.*
738 *sonuit ecce vaesano gradu.*
805 *tibi nudato pectore maenas*
sacro feriam bracchia cultro.
849 *quonam cruenta maenas*
praeceps amore saevo
rapitur?
862 *huc fert pedes et illuc,*
ut tigris orba natis
cursu furente lustrat
Gangeticum nemus.

his tantum momenti inesse non infitiaberis ut Ovidium ac Senecam et ab Euripide diverse et inter se similiter Medeae

---

Gronov.) sic corrigenda et supplenda esse censeo: *cur hoc sortitur potissimum pectus quod [impleat? quo] tantum non impie* e. q. s. de priore sententiae Arellianae parte, in quam multa et improbabilia viri docti commenti sunt, verum me invenisse confidentius affirmo: *cur iste [in] interpretis ministerium placuit? (iste inter eius min.* codd.) interpres vocatur Calchas Verg. Aen. III, 359 *interpres divum.* Tro. 351 et 938 *interpres deum.* cf. Ovid. am. III, 5, 45 *dixerat interpres.* ceterum 'plena deo' illius aevi carmina pleraque sunt, multa ex Vergilii imitatione; e nube exemplorum sume Luc. IX, 564 *ille deo plenus tacita quem mente gerebat.* Stat. Theb. X, 624 *plenum Phoebo vatem.* XI, 676 *multo possessus numine pectus.* Sil. III, 673 *loca plena deo.* V, 80 *plenus et ipse deum.* XII, 323 *Phoebo iam intrata sacerdos.* Val. Fl. I, 230 *plenus fatis Phoeboque quieto.* IV, 445 *mea quod vates insedit Apollo pectora.* VI, 673 *dei quem pectore toto iam tenet.*

personam repraesentasse discamus, et ita quidem moratam qualis novo tragoediae generi, de quo supra disputavimus, unice conveniret. sed licet ulterius progredi.

in epistula Medeae (her. 12), quam ab Ovidio compositam esse persuasum habeo, multa sunt quorum apud Senecam tam similia reperiuntur ut imitatio aperta sit. adferam graviora. primum autem iam Braunius vidit l. s., epithalamio v. 56 sq. prolusum esse her. 12, 137 sq.

ut subito nostras hymen cantatus ad aures [9])
venit et accenso lampades igne micant. [10])
141 *pertimui nec adhuc tantum scelus esse putabam* [11])

sensum venustum ex alia epistulae parte adsumpsit v. 199 sq.:

dos ubi sit quaeris? campo numeravimus illo
qui tibi laturo vellus arandus erat;
aureus ille aries villo spectabilis aureo
dos mea: quam dicam si tibi redde, neges;
dos mea tu sospes, dos est mea Graia iuventus.

manifesta imitatione hunc locum superare studuit Seneca v. 486 sq.:

(*ex opibus illis*) — *nil exul tuli*
nisi fratris artus: hos quoque impendi tibi;
tibi patria cessit, tibi pater frater pudor:
hac dote nupsi. redde fugienti sua.

item ad her. v. 155 sq.:

ire animus mediae suadebat in agmina turbae
sertaque compositis demere rapta comis

identidem respicit:

27 *non ibo in hostes? manibus excutiam faces*
caeloque lucem.
157 *libet ire contra.*
593 *cupit ire in ipsos obvius enses.*

---

[9]) Med. 116 *occidimus: pepulit aures hymenaeus meas.*

[10]) 111 *multifidam iam tempus erat succendere pinum.*

[11]) 117 *vix ipsa tantum vix adhuc credo malum.* in Ovidii epistula v. 145 *diversi flebant servi lacrimasque tegebant* non satis defendit Burmannus; nam et in locis quos adfert et ubique *diversus*, si de personis usurpatur, absentem significat (Tro. 514 *teque diversum amove.* Val. Fl. IV, 387 *diversus abis* VI, 581 *diversus abiret* VII, 577 *diversis postquam ire videt*), si de locis, longe remotum (met. XV, 23 *diversi — Aesaris undas.* art. I, 685 *diverso — orbe.* II, 499 *diversum per orbem.* her. 13, 149 *diverso in orbe.* trist. I, 3, 19 *Libycis aberat diversa sub oris.* Stat. Theb. VI, 328 *Scythici diversus ad ostia Ponti.* Sil. III, 332 *in orbem diversum* etc.). scribendum *aversi flebant.* — v. 65 multa viri docti coniecerunt. verum esse credo: *petit altera et altera avebat* (*habebat* codd.), i. e. quod soror precabatur dudum ipsa desiderabat.

adde her. 209 *quo feret ira sequar* et Sen. 953 *ira qua ducis sequor.*

haec sufficiunt ad demonstrandum inter Ovidii epistulam et Senecae tragoediam affinitatem quandam interesse. iam vero scimus Ovidium non multo ante quam heroidas scripsit (am. II, 18, 21 sq.) tragoediam suam composuisse (ibid. v. 13); praeterea nemo nescit Ovidium non singulos tantum versus sed totos locos ex uno in alterum carmen interdum ita transtulisse ut eandem rem similibus verbis iterum narraret, elegiacos versus heroicis mutans vel invicem: cf. art. am. III, 687 sq. et met. VII, 795 sq.; art. II, 23 sq. et met. VIII, 183 sq.; met. II, 401 sq. et fast. II, 155 sq.; met. XIV, 806 sq. et fast. II, 481 sq.; met. XV, 500 sq. et fast. VI, 736 sq. et alia. ergo probabile est Ovidium in conscribenda hac epistula suam ipsius de Medea tragoediam expressisse.

atqui Senecam, si Ovidio hoc argumentum tractanti se adplicare voluit, veri multo similius est tragoediam sibi electurum fuisse quam epistulam. itaque simplici nec si quid video improbabili conclusione eo perducimur ut affinitatem, quam Senecae tragoediae cum Ovidii epistula esse cognovimus, ad tragoediam potius Ovidii referendam esse statuamus.

certe Ovidii tragoediam non magis expressisse putandus est quam Euripidis; immo, cum illam in rebus nec paucis nec levibus prae Euripide secutus esse videatur, in aliis non tam reliquisse Ovidium quam superare voluisse Senecam et supra indicavimus et altero tragoediae fragmento probare possumus. nam sententiam versus

servare potui; perdere an possim rogas?

a Quintiliano relatam: 'nocere facile est, prodesse difficile', ita auxit Seneca et inflexit: nocere aliis potui, tibi an nocere possim rogas? cf. v. 120

merita contempsit mea
qui scelere flammas viderat vinci et mare?
adeone credit omne consumptum nefas?
vadis oblitus mei | et tot meorum facinorum?

Medeae veneficium num Ovidius quoque tam fuse tractaverit effici non posse manifestum est. ipsi Senecae scaenam illam attribuere suadet huius poetae et aequalium consuetudo talibus in rebus inmorandi. scaenam in Sophoclis Radicisecis diversam fuisse, Medeam scilicet non ipsam de herbis coquendis perorasse et imprecationes cecinisse ex Macrobio discimus (V, 19, 9): *in qua Medeam descrivit maleficas herbas secantem, sed aversam,*

ne vi noxii odoris ipsa interficeretur. et insuper Sophoclis versus (frg. 489):

ἡ δ' ἐξοπίσω χερὸς ὄμμα τρέπουσ'
ὁπὸν ἀργινεφῆ στάζουσα τομῆς
χαλκέοισι κάδοις δέχεται κτέ

docent omnia ista chorum cecinisse. —

in Troadibus demonstrari potest plus unam fabulam Senecam sibi sumpsisse unde integrum efficeret et aptum suo ingenio argumentum. Sophocles et Euripides binas fabulas de Troadum post urbis excidium fatis scripserant. in Captivis Sophoclem Astyanactis mortem tractasse eamque fabulam ab Accio in Astyanacte expressam esse probabiliter Welckerus statuit. idem Polyxenae mortem et ἀπόπλουν in Polyxena, Euripides ἀπόπλουν bis tractavit, alterius scaenam in Asiae alterius in Europae litore statuens: prior Polyxenam sacrificandam, Cassandram vaticinantem, Helenam ream, Astyanactis mortem et funus continet et in Troiae incendio classisque profectione praeclare terminatur; in altera Polyxenae purae virginis misera mors et Polymestoris nefarii hominis crudele supplicium egregie coniunguntur — quod qui reprehendunt et quasi duplicem actionem vituperant, secum reputent quaeso quanto infortunii et iniuriae cumulo ante spectatorum oculos obrui Hecubam opus fuerit, quo mulieris animus tam atrocis consilii et tam atrociter exequendi capax fieri videretur. Euripidis fabularum Seneca non alteram utram secutus est, sed Polyxenae et Astyanactis mortem non infabre inter se coniunxit. post Hecubae et chori lamenta per Talthybium certiores fimus Achillem in busto comparentem Polyxenam sibi immolandam poposcisse. qua de re multa inter se conviciati Pyrrhus et Agamemno Calchanta invocant, qui praeter Polyxenam Astyanacti quoque pro classis reditu moriendum pronuntiat. canticum de animarum immortalitate Andromacha excipit quae et ipsa in somno ab Hectore monita est ut Astyanacta Graecis subtrahat; quem in patris busto latitantem Ulixes dolo in lucem mortemque protrahit. Helena nuptiarum titulo Polyxenam abductura confitetur fraudem et a criminibus se purgare studet. Polyxenam abductam Pyrrhi gladio mactatam, Astyanacta ab Ulixe turri deiectum esse nuntius refert. denique classem iam secundo vento profecturam captivae petunt.

Euripidis Troadas a Seneca respectam esse plerique statuere (D. Heins. p. 317 ed. Scriver. Habrucker. p. 37 alii); et tractatur quidem in illa Astyanactis mors, perstringitur tantum Polyxenae. tam libere autem Seneca Euripidem secutus est ut, nisi

singula quaedam affinitatem proderent, de ea dubitari posset. Hecuba et Andromacha dominos quos sortitae sint ab Helena sciscitantur (v. 975 sq.) ut Hecuba a Talthybio Eur. Tro. 240 sq.; Helenae defensio ab Andromachae obiurgiis deberi videtur controversiae Hecubam inter et Helenam coram Menelao apud Euripidem actae; canticum de terris in quas captivae se abductum iri autumant (814 sq.), quamquam ratione omnino Senecae propria compositum est, ex Euripidis versibus 184 sq. 197 sq. 1096 sq. (cf. 242) pendere D. Heinsius vidit (l. s.): at similem materiam etiam Hecubae v. 444 sq. praebebant. singulos quoque versus conferre possis, 1134

tali nubat Hermione modo

cum Tro. 719

τοιαῦτα νικήσειε τῶν αὐτοῦ πέρι

567. 68 cum Eur. 626, alia.

certiora de Euripidis Hecuba statui possunt. in ea non solum Achillem in busto comparuisse audimus (37 sq.), verum et altercatos esse de virgine immolanda Graecorum principes. sed persuadet Ulixes, nulla Pyrrhi mentio (118 sq.). nuntium Ulixes fert; pulcherrimae inter Hecubam Polyxenam Ulixem scaenae apud Senecam nullum apparet vestigium. contra Talthybii narrationem de Polyxenae morte (Hec. 518 sq.) Seneca 1118 sq. non exprimit quidem sed aperte respicit: colorem addit versibus 566

ὃ δ' οὐ θέλων τε καὶ θέλων οἴκτῳ κόρης
τέμνει σιδήρῳ πνεύματος διαρροάς

1154 *novumque monstrum est Pyrrhus ad caedem piger.*

v. 568

ἡ δὲ καὶ θνήσκουσ' ὅμως
πολλὴν πρόνοιαν εἶχεν εὐσχήμως πεσεῖν

1157 *nec tamen moriens adhuc deponit animos* e. q. s.

non neglegit vel Graecos miserantes: 572 sq. — Sen. 1160; virginem ut per totam fabulam hic quoque silere voluit, quamvis aptum sibi et frequentatum locum ab Euripide sumere potuerit: 563 sq. *εἰ μὲν στέρνον — παίειν προθυμεῖς* e. q. s. (cf. Agam. 972 sq.). sed toti Euripidis narrationi Senecam se adplicuisse certum videtur.

Hartungus igitur cum (E. R. II, 284) Senecam sic Euripidem imitatum esse dicit, ut Troadum argumentum cum Hecubae argumento misceret, ad alteram Polyxenae mortem referre, ad alteram Astyanactis videtur, coniunctionem autem duplicis argumenti Senecae tribuere. sed restant alia quae

cum aegre credas Senecae deberi aliunde sumpta esse demonstrari potest, scilicet Pyrrhus et Agamemno de victima Achilli immolanda dissidentes et scaena medium et insignem locum spatiumque 400 versuum tenens Andromacham inter et Ulixem de puero occulendo et ab hoste protracto. atque Andromachae quidem somnium (438 sq.) libenter concedimus a Seneca posse inventum esse; simile enim Hecuba de Polyxena somnium enarrat (Hec. 68 sq.) et quae ad Hectorem depingendum opus habebat ea ex Vergilio repetiit (aen. II, 270 sq.). reliqua autem scimus non in hac tragoedia primum tractata esse. et discidium quidem inter Pyrrhum et Agamemnona (in Hecuba Euripidia vidimus Ulixi fuisse adversarii partes) Welckerus recte et in ceteris iudicio [12]) ad Sophoclis Polyxenam referri posse vidit. in qua Agamemno principum alicui, quem Neoptolemum esse Welckerus coniecit, sic obloquitur (frg. 479):

οὐ γάρ τις ἂν δύναιτο πρῳρᾶτης στρατοῦ
τοῖς πᾶσι δεῖξαι [13]) καὶ προσαρχέσαι χάριν

quod de Polyxena dictum esse argumentum fidem facit et quo Achillis simulacrum scimus in hac tragoedia ipsum in scaen apparuisse (frg. 478. π. ὕψ. p. 34, 27 I.) et iusta manibu suis poposcisse [14]). quo pertinere Accii Tro. frg. 2 v. 479. 8 et fortasse frg. inc. inc. 38 recte statuit Ribbeckius (tr. ro p. 417). itaque Seneca v. 184—370 ad Sophoclis exemplu se adplicuisse videtur.

puerum antequam de turri deiceretur Andromacham occu luisse et Ulixem indagasse et Servius testatur (ad Aen. III, 48 cf. Ribb. l. s. p. 412 sq.) et ex Astyanactis frg. 9. 10. 1 (v. 178 sq.) Accio quoque tribuendum videtur (Ribb. p. 415 quem in Astyanacte Sophoclis Captivas expressisse admodu incerta quidem Welckeri coniectura est si fragmentum specta quo nititur; sed firmatur eo quod in Troadibus Polyxena secutus esse videtur (v. s. de frg. 2) et Captivis Astyanactis mors iustum argumentum praebet. Ulixem autem in pueri latebras inquirentem et miserae matri diram necessitatem immoto pectore opponentem a Sophocle inductum esse veri si-

[12]) tr. gr. p. 181 '*selbst der niedrige zank zwischen diesen beiden in den Troerinnen des Seneca lässt auf ein altes tragisches vorbild dieses für die entwicklung der tragoedie so sehr brauchbaren natürlichen verhältnisses der personen schliessen*'.

[13]) scribendum videtur τοῖς πᾶσιν εἶξαι.

[14]) Baieri sententiae (secundae in calce Animadversionum in trag. gr. Bonn. 1874), qua contendit Polyxenam Sophocliam antequam Achillis εἴδωλον appareret immolatam esse, non accedo. proficiscentibus apparuit, sed ut ab itinere eos retineret (Welckerus p. 178).

millimum videtur et plurimarum fabularum exemplis confirmatum. denique in Captivis Calchantis partes fuisse frg. 31 docet

στρατοῦ καθαρτὴς κἀπομαγμάτων ἴδρις.

Senecam igitur in Troadibus altera utra vel utraque Sophoclis de rebus post Troiae excidium actis fabula non minus quam Euripide usum esse censendum est. id si contaminare vocetur, esse contaminavit; Sophoclem vero iam in Polyxena utrumque argumentum coniunxisse minime credendum, ut nec de Accio idem probare cessit Ribbeckio (p. 416).

de Thyeste loqui cum proclive est — nam de eius exemplari si quid certi constitui posset, omnium id maxime gratum acceptumque foret — tum, quoniam de graecis fabulis nihil fere compertum habemus, otiosum. adfirmari tantum potest argumentum idem a Sophocle in Mycenaeis — quam si expressit Accius in Atreo, sunt quae ad eam referenda videantur, v. Ribb. l. s. p. 267 sq. — ab Euripide in Thyeste tractatum esse; si quidem de duabus Sophoclis Thyestis recte Welckerus exposuit. Cressae autem Euripidia in Creta insula agitur argumentumque continet quod Sophoclis scholiasta memoriae tradidit, id quod et alia non pauca et nunc marmor Piraicum extra dubitationem ponunt (Wilamowitz. A. E. p. 139 et ibid. p. 255, ubi prorsus recte ea de re disputatur); ut opinionem de Cressis et Thyeste unius fabulae nominibus non denuo resuscitatum iri iure speremus. sed utram potissimum Seneca secutus sit vel ideo efficere non conamur quia Varii quoque Thyesten Senecae in manibus fuisse certum est. monendum tantummodo, solem post peractum facinus iter vertentem non videri aetatis Euripide posterioris inventum esse, quod putavit Welckerus (p. 361); nimirum ita nota omnibus et trita res est [15]) ut a tragoediae principibus in litteras inducta esse debeat. denique de Thyestis oraculo fabulam ab Hygino Servio Mythologo Vatic. traditam (Welckerus p. 367) Seneca aperte respicit Ag. 31. 48. 294. —

In Phaedra Senecam non Hippolytum coroniferum Euripidis secutum esse pridem intellectum est; nam licet in singulis frequenter utrique fabulae conveniat, in summa rei omnino

[15]) cf. praeter ea quae Welckerus adfert l. s.: Ov. am. III, 12, 39; her. 15, 101; Ib. 427; Pont. IV, 6, 47. Prop. IV, 22, 30. Manil. III, 18; V, 463. Lucan. I, 543; VII, 451. Stat. Theb. II, 184; IV, 307; XI, 129. Mart. III, 45, 1 alia. ceterum illud cum priore prodigio, quod Plato respicit Politic. p. 268 E et Sophocles (frg. 667) atque Euripides (frg. 853) tetigerunt, bene conciliari potest.

inter se discedunt atque eodem quidem discrimine quo Euripidis priorem ab altera Hippolyto diversam fuisse Aristophanis Byzantii testimonio edocemur; nimirum in servata Euripidis fabula Phaedra quasi invita et inducta a nutrice cupidini indulgens *σιγᾷ μὲν, ἐχθαίρει δὲ, βούλεταί γε μήν,* contra hic ultro amorem profitetur et durum iuvenis pectus precibus ipsa domare tentat. atqui Sophoclem, cuius Phaedram non magis refingere possumus quam plerasque eius tragoedias — nam quod Asclepiades in scholio λ 321 narrat ne a coronifero quidem Hippolyto tam alienum est ut non ex illa possit in tragodumenis relatum esse —, non tam protervam Phaedram proposuisse certum videtur. merito igitur Valckenaerius Senecam coniecit ad Hippolytum velatum in Phaedra se adstrinxisse, quam coniecturam in commentariis passim probare studuit. quibus certiora sciri posse primum uno exemplo ante oculos ponam.

Ovidius in amorum remediis haec scripsit, ut fugienda esse quibus amor ali posset praeciperet (v. 743):

perdat opes Phaedra: parces, Neptune, nepoti
nec faciet pavidos taurus avitus equos.

quibus dittographia, ut vidit Muellerus, subiecta est:

Gnosida fecisses inopem: sapienter amasset;
divitiis alitur luxuriosus amor. [16])

vix memineris in causis amoris Phaedrae nimiam vivendi luxuriam usquam memorari. at certe non poterat Ovidius illud tam nude proferre nisi sciret auditores statim recordaturos esse notum locum quo id ipsum de Phaedra expositum esset. quem fuisse in Hippolyto velato indicare videntur frg. 440

ὁρῶ δὲ τοῖς πολλοῖσιν ἀνθρώποις ἐγὼ
τίκτουσαν ὕβριν τὴν πάροιθ' εὐπραξίαν

(*τὴν περίσσ' εὐπραξίαν* Bergkius) et frg. 441

ὕβριν τε τίκτει πλοῦτος οὐ φειδὼ βίου

(sic Nauck., *ἢ φ.* Stobaei codd.). scimus quidem antiquissimo Graecorum proverbio *Κόρον* et *ὕβριν* invicem se gignere: haec illum Pind. Ol. 13, 10 *Ὕβριν Κόρου ματέρα θρασύμυθον*, oraculo apud Herod. VIII, 77 *Κόρον Ὕβριος υἱόν*, hanc ille Theogn. 153 et Sol. frg. 8

τίκτει τοι κόρος ὕβριν ὅταν κακῷ ὄλβος ἕπηται
ἀνθρώπῳ καὶ ὅτῳ μὴ νόος ἄρτιος ᾖ

cf. Nauck. ad Soph. OR 873 (*ὕβρις φυτεύει τύραννον*). sed

[16]) Ovidius etiamsi bis idem dixisset, scripsisset *Gn. facias i., s. amabit;* nec *luxuriosum* amorem *divitiis* ali dixisset.

in argumento quale Euripideum illud est Ὕβρις ea potius esse videtur quam Horatius indicat I, 19

mater saeva Cupidinum
Thebanaeque iubet me Semeles puer
et lasciva Licentia
finitis animum reddere amoribus[17])

et sententia non aliena esse ab Euripidis fragmento celeberrimo (887)

ἐν πλησμονῇ τοι Κύπρις, ἐν πεινῶντι δ' οὐ,[18])

quae quomodo tractata fuerit in priore Hippolyto discere potes ex verbosa Senecae paraphrasi qua nutrix Phaedram cohortatur ne collum subdat libidini, v. 202 sq.:

vana ista demens animus adscivit sibi
Venerisque numen finxit atque arcus dei.
quisquis secundis rebus exultat nimis
fluitque luxu, semper insolita appetit.[19])
tunc illa magnae dira fortunae comes
subit libido: non placent suetae dapes,
non tecta sani moris aut vilis cibus.
cur in penates rarius tenues subit
haec delicatas eligens pestis domos?
cur sancta parvis habitat in tectis Venus
mediumque sanos vulgus adfectus tenet
et se coercent modica? contra divites
regnoque fulti plura quam fas est petunt? e. q. s.

atque frg. 440 quidem iam Welckerus ad hoc Phaedrae cum nutrice conloquium rettulit (p. 738); qualem scaenam etiam in Hippolyto priore extitisse iam Ovidius et Seneca invicem testantur. in coronifero autem Euripides ad eandem sententiam semel adludit (v. 409)

---

[17]) cf. Claudian. nupt. Hon. et Mar. v. 54 (p. 103 l.) *Luxuriae Venerique vacat.* 78 *hic* (in nemore Veneris) *habitat nullo constricta Licentia nodo.* IV Hon. 263 *suadetque Licentia luxum.*

[18]) quod ex Achaei satyris Aethone (πεινῶσιν γὰρ ἡ Κύπρις πικρά) Euripidem sumpsisse cum dicit Athenaeus (270 B), Euripideum quoque fragmentum e satyris esse fidem facit.

[19]) cf. Sen. ep. 90, 19. all. Oct. 561 (ex Phaedra):

vis magna mentis blandus atque animi calor
amor est, iuventa gignitur, luxu, otio,
nutritur inter laeta fortunae bona.
quem si fovere atque alere desistas, cadit
brevique vires perdit extinctus suas.

ἐκ δὲ γενναίων δόμων
τόδ' ἦρξε θηλείαισι γίγνεσθαι κακόν

unde suum colorem deducere Ovidius certe non potuit.

Ovidium autem in Phaedrae epistula adornanda item Euripidis Hippolyto velato usum esse cum visum est aliis tum probatum a Wilamowitzio (A. E. p. 209 sq.) qui, cum parum recte de Ovidii v. 136 iudicarit, Plutarchi locum (mor. p. 27 ext. (p. 63, 20 Herch.) *καὶ ὁ σύσκηνος αὐτοῦ πάλιν ὁρᾷς οτι τήν τε Φαίδραν καὶ προσεγκαλοῦσαν τῷ Θησεῖ πεποίηκεν ὡς διὰ τὰς ἐκείνου παρανομίας ἐρασθεῖσαν τοῦ Ἱππολύτου*) demonstravit Ovidii versu 110 et Senecae Phaed. 91 sq. inlustrari. sic frg. 433

ἔχω δὲ τόλμης καὶ θράσους διδάσκαλον
ἐν τοῖς ἀμηχάνοισιν εὐπορώτατον
Ἔρωτα πάντων δυσμαχώτατον θεόν

componere licet cum her. 4, 11

quidquid Amor iussit non est contemnere tutum,
regnat et in dominos ius habet ille deos e. q. s.

et Phaed. 184

vicit ac regnat furor
potensque tota mente dominatur deus.
hic volucer omni pollet in terra impotens
laesumque flammis torret indomitis Iovem.
218 *Amoris in me maximum regnum puto.*

sic frg. 436

ἐγὼ δέ φημι καὶ νόμον γε μὴ σέβειν
ἐν τοῖσι δεινοῖς τῶν ἀναγκαίων πλέον

cum her. 4, 154

quid deceat non videt ullus amans. [20])

et Phaed. 177

quae memoras scio
vera esse nutrix, sed furor cogit sequi
peiora.

et sic in aliis quoque, quae ad Phaedrae mores aliter quam in Hippolyto coronato formatos spectant, non tam Ovidii epistulam a Seneca expressam esse quam utrumque ad communem fontem accessisse probabile est.

apud Euripidem Phaedra questa erat quod una domus duas sorores amore perdidisset: her. 4, 63

---

[20]) cf. 133 *Iuppiter esse pium statuit quodcumque iuvaret*, quo fortasse spectat frg. 448 *ἀλλ' οὐ γὰρ ὀρθῶς ταῦτα κρίνουσιν θεοί*, qui scilicet ipsi peccent.

hoc quoque fatale est: placuit domus una duobus,
me tua forma capit, capta parente soror.

Phaed. 665

domus sorores una corripuit duas,
te genitor at me natus.

dixerat placere sibi in Hippolyto faciem viriliter torvam: her. v. 73

quemque vocant aliae vultum rigidumque trucemque
pro rigido, Phaedra iudice, fortis erat.
77 *te tuus iste rigor positique sine arte capilli*
et levis egregio pulvis in ore decet.

quibus admiscuit Ovidius ex Arte sua colorem (75. 76); Seneca haec sic inflexit v. 657 sq.:

in te magis refulget incomptus decor
et genitor in te totus, et torvae tamen
pars aliqua matris miscet ex aequo decus:
in ore Graio Scythicus apparet rigor.

cf. v. 798

quam grata est facies torva viriliter

v. 803

te frons hirta decet, te brevior coma
nulla lege iacens.

item quod apud Euripidem Phaedra de Hippolyto in Cereris sacris sibi viso praedicasse et inde Ovidius sumpsisse videtur v. 71:

candida vestis erat, praecincti flore capilli,
flava verecundus tinxerat ora rubor,

ad Thesea Cnosi morantem Seneca transtulit v. 651:

presserant vittae comam
et ora flavus tenera tinguebat pudor.[21])

Pasiphaes infamem et infelicem Ariadnae amorem tangit saltem Euripides Hipp. 337 sq. in priore gentem Solis Veneri pridem invisam questa esse Phaedra videtur, quod Ovidius indicat v. 54:

forsitan hunc generis fato reddamus amorem
et Venus ex tota gente tributa petat,

Seneca pluribus persequitur v. 124 sq.:

stirpem perosa Solis invisi Venus
per nos catenas vindicat Martis sui.

[21]) hoc secundum noviciam et a poetis Alexandrinis excultam Theseimaginem cf. Naekius opusc. II p. 88 sq. Helbig. Unters. p. 259 sq.

et vel eo processisse prior Phaedra videtur ut felicem praedicaret Pasiphaen quae qualemcumque amatorem tamen invenisset: her. v. 165

flecte feros animos; potuit corrumpere taurum
mater: eris tauro saevior ipse truci?

et Phaed. 115:

infando malo
correpta pecoris efferum saevi ducem
audax amasti: torvus impatiens iugi
adulter ille ductor indomiti gregis —
sed amabat aliquid: quis meas miserae deus
aut quis iuvare Daedalus flammas queat?

vides hac ratione Phaedrae mores quales in Hippolyto velato fuerint accuratius ex imitatoris sententiolis et acuminibus erui et circumscribi posse. tantum autem Euripidis ingenium valuit ut scaena in qua Phaedra Hippolyto amorem suum confitetur ad non vulgarem escendat pulchritudinem verumque affectuum vigorem; quod Welckeri quoque iudicium est (p. 744); atque versum 710

Hippolyte, nunc me compotem voti facis

hoc loco etiam Euripides scribere poterat.

verum tamen cave credas totam fabulae oeconomiam et scaenas pariter cunctas ab Euripide Senecam mutuatum esse. ac primum quidem cum Senecae scaenam v. 85 sq. ad Euripidis exemplum conscriptam esse intellexerimus, eam quae sequitur (358—405) hoc saltem loco bonus poeta conlocare non potuit. sed cum Phaedram languidam in lectulo iacentem et ancillarum coetu circumdatam in priore Hippolyto non minus quam in altera[22]) descriptam fuisse ex sarcophagis eluceat his tantum parum dextere usus esse videtur et fortasse ex nutricis narratione in Phaedrae sermonem vertisse. sequentem vero scaenam quae nutricem ostendit Hippolyto persuadere studentem ut victum nimis austerum deponat, totam ex Senecae officina prodisse certum est. etenim in Hippolyto velato per nutricem Hippolyto a Phaedra litteras missas esse, quibus conloquio inter novercam et privignum proluderetur, fidem facit non tam Ovidii epistula quam sarcophagi, quibus non minus quam parietibus Pompeianis Hippolytum velatum repraesentari olim demonstrari poterit cum exoptatum sarcophagorum corpus

[22]) v. 171—202 sq.; cf. Sen. 373 et Eur. 135; Sen. 358 et Eur. 174; Sen. 360 et Eur. 177; Sen. 365 et Eur. 183; Sen. 394 et Eur. 202; Sen. 403 et Eur. 215; Sen. 396 et Eur. 220.

in lucem prodierit. hic Seneca sine dubio non alio consilio propriam scaenam substituit nisi ut laudandae venationis aevique aurei describendi optimam occasionem non praeteriret.

scaena num Athenis in velato ut in Senecae Hippolyto fuerit in medio relinquimus; illud indicare videtur Virbius Ov. met. XV, 506

Pittheam profugo curru Troezena petebam
iamque Corinthiaci carpebam litora ponti e. q. s.

ubi certe Athenis profectus est. item fast. VI, 739

non impune pius iuvenis Troezena petebat

atque illa quoque ad velatum pertinere recte vidit Hartungus E. R. I p. 420, cum Welckerus ut in heroide de Sophoclis Phaedra cogitasset. sed obstare videtur her. 4, 107 *hic tecum Troezena colam;* quamvis in omnibus, etiam externis rebus Euripidis priori fabulae utique Ovidium se adstrinxisse minime dixerim, immo facile credam illud Ovidium scripsisse alterius Hippolyti memorem.

Thesea apud Euripidem quoque ab inferis redisse fragmento (446) quo in hanc rem utuntur non confirmatur, at Plutarchi loco cum Ovidii v. 110 ut supra fecimus conlato. idem Sophoclem in Phaedra finxisse non tam frg. adesp. 424 quod ex incerta aliquot Stobaei codicum coniectura ad Sophoclis Phaedram relatum est (frg. 603 Dind.), quam Soph. frg. 620 Nauck. docet (ἔσαιν' ἐπ' οὐρὰν ὥτα κυλλαίνων κάτω), si non ad canem venaticum cum Welckero p. 399, sed ad Cerberum illud referimus ab Hercule Thesei ope in lucem protractum, cf. Hf. 810

componit aures timidus et patiens trahi
erumque fassus ore submisso obsequens
utrumque cauda pulsat anguifera latus.[23])

Phaedram post relatum de Hippolyti morte nuntium rursus comparuisse et morti suae praefatam esse ex argumenti natura consentaneum est. eo autem vel certe ad similis argumenti orationem referendum mihi videtur frg. 446

ὦ λαμπρὸς αἰθὴρ ἡμέρας θ' ἁγνὸν φάος,
ὡς ἡδὺ λεύσσειν τοῖς τε πράσσουσιν καλῶς
καὶ τοῖσι δυστυχοῦσιν, ὧν πέφυκ' ἐγώ

quae sunt verba mori volentis. a Theseo, cui a Welckero data sunt (p. 739), v. 1 pronuntiari non poterat nisi in ipso reditu, scilicet antequam se infelicem putaret.

---

[23]) qua coniectura supplere iuvat lepidam Hercheri disputationem de Argo cane Hermae vol. XII p. 391 sq.

tandem si de fine fabulae quaeras, ultimam scaenam Seneca proprio marte confecit, quae a nullo opinor Euripidi imputabitur (v. 1201 sq.). primum Theseus mortem sibi sua manu paratum iri infinite praedicat rem minime perfecturus: nec dubitat chorus quin mentiatur (v. 1244); deinde dispersa filii membra in unum congerere et unicuique legitimum locum exquirere putida diligentia instituit. apud Euripidem vero in fine Dianam necessario apparuisse et Hippolytum Troezeniis colendum commendasse Welckerus vidit (p. 742); neque alioquin frg. 449 scribi potuit. graviorem vero quaestionem digito tantum a Welckero perstrictam [24]), scilicet an ipse Hippolytus in scaenam redierit, ut factum est in coronifero, videamus an novo argumento solvere possimus.

Thesea Euripidis fabulam adventum Thesei, altercationem cum Minoe, mortem Minotauri continuisse e fragmentis constat. [25]) chorum septenis pueris puellisque constitisse quos Theseus secum 'funera nec funera' duxerat certa Welckeri coniectura est (p. 734) ex frg. 389. haec enim est scholiastae Veneti ad Arist. Vesp. 312

τί με δῆτ' ὦ μελέα μῆτερ ἔτικτες,
ἵν' ἐμοὶ πράγματα βόσκειν παρέχῃς;

adnotatio: πράγματα βόσκειν] ὁ λόγος ἐκ Θησέως Εὐριπίδου. ἐκεῖ γὰρ ταῦτα λέγουσιν οἱ ταττόμενοι παῖδες εἰς βορὰν τῷ Μινωταύρῳ. Welckeri coniectura, quamvis consentaneam et ipse aestimaret, Iahnio (Arch. Beitr. p. 255) eo elevari visa est quod senum Aristophaneorum verba quae secuntur

ἀνόνητον ἄρ' ὦ Φυλάκιόν σ' εἶχον ἄγαλμα

sic explicantur: καὶ τοῦτο παρὰ τὰ ἐκ Θησέως· ἔστι δὲ Ἱππόλυτος ὁ λέγων ταῦτα·

[24]) ibid. 'zweifelhaft ist ob die erscheinung des noch lebenden Hippolytus nicht der verbesserten ausgabe eigenthümlich angehört.' non videtur in iudicium vocandum quod Ovidius fast. VI, 745 (*reddideratque animam*) et met. XV, 527 (*fessamque videres exalari animam*) Hippolytum statim mori narrat, ut qui in ista brevitate aliter rem instituere vix potuerit.

[25]) frg. 383. 84. 92. 93 iure exulare iussit Wilam. p. 171 adn. 11. dubius haereo an possit ad Minoem cum Theseo in Euripidis fabula altercantem referri quod in Thesei templo Mico repraesentavit (Paus. I, 17 (Μίνως) καὶ ἄλλα ὑπὸ ὀργῆς ἀπέρριψεν ἐς αὐτὸν καὶ παῖδα οὐκ ἔφη Ποσειδῶνος εἶναι, ἐπεὶ οὐ δύνασθαι τὴν σφραγῖδα, ἣν αὐτὸς φέρων ἔτυχεν, ἀφέντι ἐς θάλασσαν ἀνασῶσαί οἱ. Μίνως μὲν λέγεται ταῦτα εἰπὼν ἀφεῖναι τὴν σφραγῖδα· Θησέα δὲ σφραγῖδά τε ἐκείνην ἔχοντα καὶ στέφανον χρυσοῦν, Ἀμφιτρίτης δῶρον, ἀνελθεῖν λέγουσιν ἐκ τῆς θαλάσσης), ut inde fabulae argumentum suppleatur. eadem res in Euphronii vaso Caeretano cf. Helbig. Unters. p. 166 adn. 1 et Conzii exempl. vas. V, 1.

ἀνόνητον ἄγαλμ' ὦ πάτερ οἴκοισι τεκών.

itaque coniecit victimas Minotauro destinatas in scaena apparuisse et singulas de sorte sua conquestas esse, eodem fortasse tempore quo cum Minotauro Theseus dimicaret. quod nullo modo concedi potest. nam puerorum puellarumque gregem personarum vice functas esse cum exemplo caret tum probabilitate, siquidem pugnae herois contra semibovem intercinere chori officium erat. in eo rectissimum est Iahni iudicium quod Hippolytum istum nec Thesei filium nec, si inter adulescentulorum numerum recenseatur, choreutam haberi posse dicit. sed hoc ipsum, Hippolytum scilicet ignoti cuiusdam adulescentuli Thesea comitati nomen esse veri prorsus absimile est; non quod in vasorum picturis inter Thesei comites nomen illud non apparet (cf. Iahn. l. s. p. 262), sed quia ineptum erat nomen eligere a quo Antiopae filii memoria arceri non posset. minore negotio his difficultatibus Wagnerus se expedivit (Eur. frg.) qui ipsum Thesei filium expeditioni Cretensi interfuisse putat; id quod fabulae natura et communi memoria plane refutari peritissimum quemque fugere non potuit (Welcker. p. 734; Iahn. p. 255 adn. 9). itaque quoquo nos vertimus non patebit ex hoc labyrintho exitus nisi tenebras discutere magis quam dispicere conabimur.

nempe cum in Theseo Hippolytum verba ista protulisse verum esse nequeat, alterum utrum nomen, sive Hippolyti sive Thesei, corruptum vel potius scholiastae errore inlatum esse consequitur. atqui Hippolyti nomini quod substitui possit cogitando non invenias, quippe cuius in locum nec pueri ullius nomen apte succedere nec post priorem scholii partem liberi coniunctim significari queant (dixisset enim λέγουσι δὲ καὶ ταῦτα οἱ παῖδες sive εἰσὶ δὲ οἱ παῖδες οἱ καὶ ταῦτα λέγοντες). ergo fabulae nomen errore natum esse concludemus. quod ne testatur quidem tam diserte scholiasta quam in fragmentorum conlectionibus, etiam in Nauckiana, nisis scilicet illis vulgata ante Duebnerum lectione, scribitur. in Veneto haec est altera scholii pars: τὸ δὲ ἑξῆς, τὸ ἀνόνητον ἄρα, Ἱππόλυτός ἐστιν ὁ λέγων ἐκεῖ· ἀνόνητον ἄγαλμα κτέ. nec sane improbabile videtur flebili utriusque fragmenti colore et numerorum similitudine et arta versiculorum in eodem loco coniunctione scholiastam inductum esse ut eidem fabulae utrumque ascriberet; quod utique fecisse putabimus qui adnotationem talem: ἐστὶν Ἱππόλυτος ὁ λέγων ταῦτα cum priore coniunxerit.

ergo si tenendum est Hippolytum apud Euripidem dixisse

ἀνόνητον ἄγαλμ' ὦ πάτερ οἴκοισι τεκών,

fabula in qua illud proferre potuerit nulla restat nisi Hippolytus velatus; in Hippolyto velato locus nullus praeter ultimam scaenam, quali quidem coronifer Hippolytus terminatur. nam ne ad Hippolytum fugere iussum referas numeri prohibent. [26])

haec si recte disputavimus, in priore quoque fabula Hippolytus misere laceratus et moribundus in scaena comparuit et in patre consolando ultimum vitae spatium consumpsit; ut scaenam nobilem et, si quis Euripidis artem recte cognoscere velit, notabilem non posteriori demum dramati poeta intulerit.

praeterea novo exemplo discimus Euripidem in utraque tragoedia scaenas eiusdem argumenti tractantem diversis verbis usum esse: idem enim fragmento 445 comprobatur:

πρὸς ἵππων εὐθὺς ὁρμήσας στάσιν

quod legitimum locum in narratione de infausto Hippolyti itinere habuit, et fragmentis 438. 442. 444 quae docent cum patre irato in priore quoque fabula Hippolytum conlocutum esse.

tetigimus alium Senecae ab exemplari suo in disponenda fabula dissensum, ut qui patrem filiumque una nusquam inducat. quin restent alia quae diverse ab illo instituerit minime dubitamus; sed ad illa indaganda fabulae fragmentis destituimur servata tractavimus omnia [27]) exceptis duobus quae ad ignotum aliquid spectare possint. eorum alterum frg. 435

αὐτός τι νῦν δρῶν [28]) εἶτα δαίμονας κάλει
τῷ γὰρ πονοῦντι χὠ θεὸς συλλαμβάνει

omnino non video quomodo in hac fabula locum habere potuerit. ad Phaedram cum Welckero referri non poterit nisi αὐτή scripserimus. sed obtemperandum videtur Clementi Alexandrino et relegandi versus ad Temenum cuius argumento optime conveniunt. alterum est frg. 443

Θησεῦ, παραινῶ σοι τὸ λῷστον, εἰ φρονεῖς,
γυναικὶ πείθου μηδὲ τἀληθῆ κλύων.

---

[26]) adnotandum est quod in Hippolyto coronifero fere eisdem verbis chorus utitur v. 1144

ἐγὼ δὲ σᾷ δυστυχίᾳ δάκρυσι διοίσω
πότμον ἄποτμον, ὦ τάλαινα
μᾶτερ, ἔτεκες ἀνόνατα· φεῦ
μανίῳ θεοῖσιν.

[27]) de frg. 439, quod non recte ad Phaed. 903 rettulit Wilamowitzius (A. E. p. 154), constat mihi Welckeri sententia (p. 739). — Philemo (s. βίβλος cf. Welcker. p. 740) vel potius Phavorinus iam nemini fucum faciet. confudit autem Phaedrae litteras cum Agamemnonis (Iph. Aul. 34 sq.); nuncupatur ibi et δέλτος et πεύκη. denique conferre iubet frg. inc. 876 (Ar. Lys. 713) ἀλλ' αἰσχρὸν εἰπεῖν καὶ σιωπῆσαι βαρύ cum Phaed. 603 *vis magna vocem emittit at maior tenet.*

[28]) fort. αὐτός τι συνδρῶν. non obstat εἶτα.

quod ut scribitur (prior autem versus certa ratione correctus est) mancum est et hoc fere supplemento eget: *μηδὲ τἀληθῆ κλύων* [*περίσσ᾽ ἐρεύνα*]; quae sententia fabulae argumento omnino refragatur. cui convenit quod Welckerus et Hartungus putarunt his verbis dici, simile nimirum quiddam chori verbis Hipp. 891

ἄναξ, ἀπεύχου ταῦτα πρὸς θεῶν πάλιν,
γνώσει γὰρ αὖθις ἀμπλακιών· ἐμοὶ πιθοῦ.

sed talem sententiam hoc modo demum recuperabis, quamquam in re obscura nihil spondeo:

Θησεῦ, παραινῶ σοι τὸ λῷστον· εἰ φρονεῖς,
μηδὲν πιθοῦ γυναικὶ τἀληθῆ κλύων.

X.

1.

Oed. 171

quin Taenarii vincula ferri
rupisse canem fama et nostris
errare locis, mugisse solum,
vaga per lucos simulacra virum
175 *maiora viris, bis Cadmeum*
nive discussa tremuisse nemus,
bis turbatam sanguine Dircen,
nocte silenti Amphionios
ululasse canes.

in hac ominum infernalium descriptione, qui locus poetis latinis et prioribus (Verg. Aen. VI, 256 sq. Georg. I, 476 sq. Ovid. met. XV, 796 sq. e quibus Seneca sua mutuatus est) et aequalibus Senecae posterioribusque (Lucan. I, 548 sq. III, 417 sq. Stat. Theb. IV, 374 sq. Sil. VIII, 624 sq. 642 sq.) frequentatus nec ipsi Senecae alias neglectus est (Thy. 668 sq.), esse quod metricum offendat supra (p. 109) memoravimus, hiatum scilicet in medio dimetro anapaestico (v. 178). accedit grammatica ratio; nempe in septem versuum ambitu ter omissum est verbum substantivum, semel finitum (*vincula rupisse canem fama*) bis infinitivum (*fama est vaga per lucos simulacra; bis turbatam Dircen*); ubi nequaquam in primo tertioque loco, eo magis haesitamus in secundo. sed ad profligandam rem nec ipse locus sufficit nec deliberando rationem assequaris; sufficient exempla apud Senecam obvia in unum congesta: sed quicumque in scriptoris cuiuslibet opere et minutissima quaeque constituere susceperit sciet quaestiunculam istam de omisso verbo substantivo ex eis esse quae cum molestia plurima sine bonae frugis spe sescenties retractanda in singulis et saepe in medio relinquenda sit: praesertim cum nullum vocabulum frequentius a librariis omissum sit quam *est* in vetustioribus libris per compendium tale scriptum ÷ nec ullum facilius et proclivius interpolatum. itaque hunc locum paullo uberius tractandum putavi, procul habitis sermonis ambagibus.

quaedam attulit Priscianus II p. 152 sq.; Charisius in libro quarto locos huc spectantes inter soloecismi (p. 268, 10) et ellipsis (p. 271, 4) exempla dedit. Gellius postquam perversae Hygini opinioni de versibus quibusdam Vergilii vitiosam opposuit, *et est et erat et fuit plerumque abesse* dicit *cum elegantia sine detrimento sententiae* (V, 8, 7). sed nec doctrina nec sensu veterum grammaticorum multum iuvamur, quippe qui aut solum Vergilium aut asseclas eius respiciant. ille vero quod ad hunc usum attinet similem locum inter poetas habet atque inter scriptores Tacitus [1]), diversum eo tantum quod summa apud posteros auctoritas hac quoque in re valuit.

atque Lucretium quidem Lachmannus in commentariis passim pronuntiavit non omittere verbum substantivum nisi ubi mente ex superioribus suppleatur (ad II, 194 cf. ad I, 111; 1070; II, 136; V, 836 ubi adiectiva neutri generis ut *pote suave mirum* sine verbo substantivo poni concedit; VI, 746). qui post Lucretium venere — et de eis tantum loqui in animo est — cum omnino non abstinerent a verbo substantivo omittendo, in duo quasi castra ita discesserunt, ut ab altera parte Vergilius staret, ab altera Ovidius, illum poetae epici sequerentur Lucanus Valerius Statius Silius, hic et Horatium elegiaeque poetas exempla haberet et posteros praeter epicos secum duceret. quid quod inter diversa poeseos genera stili differentia eo usque pertinet ut Vergilius et Statius in epicis carminibus frequenter, in minoribus, i. e. in bucolicis ille, hic in silvis, parcius verbum substantivum omittant.

certis autem finibus ut solet loquendi usus circumscriptus est, intra quos alia facilius alia cautius pro sermonis legibus propriaque consuetudine poetae admittunt. atque multo quidem facilius si ad substantiva adiectiva adverbia deponentium perfecta accedere debet verbum substantivum neglegitur quam si ad perfecta passivi, in passivis rursum frequentius infinitivum quam finitum. item, sive ad activa, ut breviter dicamus, sive ad passiva pertinet, facilius in sententiis rectis sive principalibus omittitur quam in subordinatis: ex subordinatis omnium facillime in eis quae relativo vel pronomine vel adverbio inducuntur, durius ubi coniunctionibus tempus condicionem causamve indicantibus sententia regitur. omnino autem facillime fit verbi substantivi defectus in sententiis quae per interrogationem sive exclamationem efferuntur. itaque de singulorum poetarum usu ita referemus ut activum a passivo secer-

[1]) de Cicerone cf. Madvig. de fin. p. 90.

namus et in utroque sententias rectas et relativas a reliquis subordinatis.

ad adiectiva igitur aliaque nomina verborumque deponentium perfecta in enuntiatis non subordinatis sive relativis Vergilius si medium sumas in Aeneidos singulis libris viciens bis verbum substantivum omittit [2]) (in IV et XII duodeciens, in IX triciens quater, intra numeros istos in reliquis) [3]), in singulis Georgicorum quinquiens deciens quod fere perinde est si librorum ambitum spectas. in eclogis universis viciens ter (ad I, 53 cf. Lachm. ad Prop. IV, 2, 29). Ovidius in singulis metamorphoseon libris non saepius quam ter quaterve, quamquam in quattuor prioribus libris non omnes locos me congessisse scio.[4]) idem in elegiis ante exilium scriptis si medium sumas deciens in singulis libris (omitto epistulas), in fastorum singulis noviens, in elegiarum Tomis scriptarum quater. Horatius in epodis quinquiens (1, 5; 9, 3; 11, 5; 12, 15; 17, 17), in carminum I octiens [5]), in II bis (1, 33; 13, 33), in III nusquam, in IV: 4, 38, multo saepius in sermonibus: in libro priore sexiens deciens, in altero terdeciens; in epistularum priore ter, secundo nusquam; ad Pis. 361. 417. Propertius, si cum Lachmanno et Hauptio libros distinguas, in I octiens, II quinquiens, III terdeciens, IV undeviciens, V deciens. Tibullus in I septiens, in II nusquam; III, 6, 19; IV, 1, 107. praeterea III, 4, 94. Catullus hanc licentiam deciens fere sibi permisit, quater *pote* nude posito (45, 5; 67, 11; 76, 16; 98, 1 cf. Prop. IV, 7, 10); 23, 7; 57, 3 *nec mirum*; 62, 3 *surgere iam tempus;* 64, 184 (*sola insula*) fortasse huc pertinet; 68, 34 *illa domus, illa mihi sedes.* ib. 28 addunt *est*) — omnia lenissimi generis. ceterum computationibus istis non absolutam inesse auctoritatem, sed dubia multa relinqui con-

[2]) in quibusdam variant codices vetustissimi, ut Aen. II, 191 cf. IX, 133; II, 428 a Seneca ep. 98, 4 cum *est* adfertur; VI, 123 a Gellio X, 16, 12. cf. Serv. ad III, 39. 45. *est* addit *F*: IV, 456. VI, 721; *M*: IX, 154; *R*: X, 105 cf. X, 621. XI, 23.

[3]) in margine durioris generis exempla dabo, in quibus omissum verbum substantivum cum alio perfecto verbi finiti coordinatur. Aen. IV, 704 *dilapsus color atque — vita recessit.* VI, 547 *tantum effatus et in verbo vestigia torsit.* VII, 328 *tot sese vertit in ora, tam saevae facies, tot pullulat atra colubris.* IX, 426 *nil iste nec ausus nec potuit.* X, 877 *tantum effatus et infesta subit obvius hasta.* qualia posteriores adamarunt.

[4]) met. I, 274 ut saepe falso relatum est de Laurentiano 36, 12 qui habet *est* (ut *M*). idem accidit I, 617. in *M* omittitur I, 732; II, 747; in *L* IV, 17; vitiose in *M* additur XIV, 385. — VII, 656 *parcum genus est M, parcumque genus L.* qualia cumulare non iuvat.

[5]) cf. Bentl. ad serm. I, 8, 32; II, 3, 139; 4, 48.

sentaneum est: omnino praeter Vergilium et Horatium vix ullius poetae manu scriptis in talibus credendum est; quapropter non respexi nisi quae aut librorum consensu aut certa ratione constarent.

multo minor est locorum numerus in quibus verbum aut nomen coniunctione regitur. *postquam:* Verg. I, 520 *postquam introgressi.* III, 1 *postquam — visum superis ceciditque.* VI, 226 *postquam conlapsi cineres et flamma quievit.* VII, 406 *postquam visa satis primos acuisse furores.* X, 298 *quae talia postquam effatus Tarchon.* cuius generis exemplum praeter epicos non habeo. *ubi* (de tempore) Aen. III, 69. IV, 80. georg. I, 312 Hor. epod. 2, 67 *haec ubi locutus fenerator Alfius.* *dum* Aen. IV, 565. VIII, 580. X, 283. georg. III, 165. Ov. met. VII, 525 *dum visum mortale malum.* sic accipiendum Hor. epod. 15, 7 *dum pecori lupus* (*infestus fuerit*) cf. III, 17, 13 *dum potis.*[6]) *cum* Verg. ecl. 8, 15 *cum ros — gratissimus.* Ov. met. II, 455. art. II, 315. III, 173 *tum cum sine nubibus aer.* Hor. serm. I, 10, 33 *cum somnia vera.* *si* Verg. Aen. II, 10. 349. IV, 319. V, 363. VI, 133 (VII, 263: om. schol. Veron.). VII, 548. IX, 738. XI, 323. 373. XII, 157. Georg. I, 17. III, 179. 384. ecl. 7, 44. 10, 38. Ov. am. I, 3, 16. II, 6, 51. III, 8, 65. art. II, 665. fast. III, 386. VI, 715 trist. I, 2, 102 remotum Bentlei emendatione. III, 1, 19. Hor. ep. I, 3, 30 recte scribitur *sit tibi curae,* non *si t. c.* — *quoniam* Aen. XII, 647 *quoniam superis adversa voluntas.*[7]) *quia* Aen. XII, 808 *quia nota mihi — tua, magne, voluntas.* Ov. am. I, 13, 35. art. II, 149. fast. VI, 644. her. 6, 148. *quod* Ov. met. II, 859. haec omnia apud Ovidium parcissime, apud ceteros praeter Vergilium fere nusquam[8]) inveniri vides. apud epicos posteriores frequentia sunt. denique in interrogatione indirecta; cf. Verg. Aen. I, 517. 743. 752. II, 390 *dolus an virtus quis in hoste requirat?* Ov. met. XIV, 2 *quid rastra quid usus aratri*

[6]) Aen. IV, 52 *dum pelago desaevit hiems et aquosus Orion quassataeque rates, dum non tractabile caelum.* vitiosa sententia est; non potest Anna dicere: manete dum naves quassatae sunt; sed quia quassatae sunt, ideo manendum donec composito mari tuto credantur. scribendum igitur: *quassataeque rati dum non tractabile caelum.* hinc Ovid. her. 7, 173: *laniataque classis postulat exiguas semirefecta moras.*

[7]) Ov. met. VII, 299 *quoniam gravis ipsa senecta est: est* om. *L.*

[8]) Catull. 64, 121 huc pertineret nisi locum, qui post Lachmannum legebatur qualis a Catullo scribi potuit, editor novissimus pessime corrupisset. sed de editione ista loqui sine indignatione non possum. et mecum sentire scio quorumcumque interest ut verum eruatur, non ut ingeniolorum istorum ludibria optimi poetae fiant.

nescia. Prop. III, 27, 11. IV, 5, 35. saepius Horatius: III, 20, 8 *maior an illa* (e coniectura Peerlkampii). serm. I, 6, 112. II, 4, 10; 5, 43, cf. 54. denique epist. I, 1, 11 *quid verum atque decens curo.*

accedimus ad verbum substantivum in perfecto passivi omissum, quo evenit ut participium nude ponatur. quo quae proxime accedit constructio, ut scilicet in gerundivo idem fiat, multo minus dura est. inveniuntur autem eius generis participia in sententiis non subordinatis sive relativis in Aeneidis libris singulis si medium sumas sexiens; rarius in georgicis: in I sexiens, II ter, in III et IV binis locis. in eclogis tantum 8, 3 *quorum stupefactae carmine lynces.* 9, 53 *nunc oblita mihi tot carmina.*[9]) Ovidius met. I, 190 *cuncta prius temptata* (sic Bernensis: *temptanda ML*). V, 142 *per utrumque fraxinus acta femur.* VII, 537 *subiti deprensa potentia morbi.* IX, 233 *quo flamma ministro subdita.* X, 242 *in rigidum parvo silicem discrimine versae.* XIV, 109 *cuius dextera per ferrum, pietas spectata per ignes.* XV, 365 et 373 sententiae breviculae (*cognita res usu; res observata colonis.*)[10]) in elegiis ante relegationem scriptis deciens quater, in fastis undeviciens, quorum locorum quattuordecim extant in libro quarto et quinto; in tristibus sexiens. Catullus nusquam. Propertius duodeviciens (ad IV, 10, 61 cf. Lachmann.). Tibullus ter (I, 3, 43. II, 1, 43. 57). Horatius I, 12, 51; II, 15, 10; 17, 15. IV, 9, 18; 15, 14. serm. I, 2, 41; 8, 28. II, 1, 52. 67; 2, 44; 6, 22; ad Pis. 394. ep. II, 1, 152; 2, 139.

facilius idem fieri in gerundivo diximus, etiamsi non frequentius: Vergilii viginti locos scio, Ovidii sedecim, quibus tamen plures extare confido. Prop. III, 24, 4. IV, 13, 62. Hor. I, 7, 27. II, 14, 17.

de verbis passivis in sententiis subordinatis quae coniunctionibus reguntur praeter Vergilium ante Lucanum perpauca exempla inveniuntur. *ubi* Verg. Aen. I, 81 et V, 32. 315. VIII, 175 ubique: *haec ubi dicta.* II, 634 *atque ubi iam patriae perventum ad limina sedis.* V, 362 *post ubi confecti cursus et*

[9]) coordinatum cum verbo finito Aen. IV, 280 et XII, 868 *arrectaeque horrore comae et vox faucibus haesit.* VI, 686. VII, 486. 722. IX, 237. X, 101. cf. ecl. 8, 3.

[10]) met. VI, 519 *iamque iter effectum est L* (om. *M*). IX, 613 *neque enim de tigride natus: neque est d. t. n. L* (quod omisit Keilius) fort. non mero errore. XI, 742 (*fatis obnoxius idem tunc quoque mansit amor nec coniugiale solutum foedus in alitibus*) non interpungendum post *amor:* sic saepe in edd. peccatur. VII, 460 *quaque patent aditus* (*patens L*), non *quaque potens habitus* (*M*).

dona peregit. georg. I, 505 *quippe ubi fas versum atque nefas.* III, 235 *post ubi collectum robur viresque refectae.* 271 *avidis ubi subdita flamma medullis.* praeterea Hor. ep. I, 7, 73 *hic ubi — visus.* *postquam* Aen. I, 216 et fere idem 723 et VIII, 184 (*postquam exempta fames epulis mensaeque remotae*) III, 212. IV, 151. VII, 709. georg. III, 433. *donec* Aen. V, 698 *restinctus donec vapor omnis.* *cum* georg. III, 105 *cum spes arrectae iuvenum.* Hor. I, 20, 3 *datus in theatro cum tibi plausus.* II, 7, 11 *cum fracta virtus et — tetigere* (non *freta*). Ov. her. 16, 104 *cum mea virginitas mille petita procis,* quod Ovidius nullo modo scripsisse potest. 7, 57 *praecipue cum laesus amor,* quod multo minus durum est. *quam* Ov. met. XII, 530 (*non prius*) *quam data pars leto.* *quod* met. V, 520 *quod rapta, feremus.* *ut* Aen. III, 53. VIII, 191. 362. XI, 300. XII, 669. Ov. met. VI, 447. art. III, 711. fast. V, 452. *si* Aen. I, 555 *sin absumpta salus.* cf. Ov. met. XV, 282 *nisi vatibus omnis eripienda fides.* Hor. ep. II, 2, 100 *si plus adposcere visus.*

hanc licentiam Lucretio et Catullo ignotam, a posterioribus praeter epicos fere vitatam, post Vergilium arripuerunt et exaggerarunt epici poetae. de quibus ut exemplis saltem defungar, Lucanus in primo duodeciens *est* apud passivum omittit, Valerius et Statius item duodenis locis, Valerius deciens quater. et cum vix quicquam omiserint quod admiserit Vergilius, multa Statius potissimum audacius instituit.

satis frequenter *esse* omittitur ubi infinitivus cum nomine a verbo pendet; nec dubitabis, si locos inter se compararis, quin ubique *esse* subaudiendum, non nomen ultro ad verbum referendum sit. ut Verg. Aen. III, 121 *fama volat pulsum regnis cessisse paternis Idomenea ducem desertaque litora Cretae.* Ov. Ib. 129 *certe ego quae voveo superos motura putabo.* sic Aen. I, 139. 626. III, 602. VI, 457. VII, 257. VIII, 340. 534. IX, 91. XI, 227. XII, 582. georg. III, 531. ecl. 1, 19; 3, 35; 4, 59. Ov. met. XIV, 725. XV, 798 et fortasse saepius, ut certe in elegiis (undeciens in fastis, viciens bis in elegiis quas Tomis, noviens quas Romae scripsit); Catullus quinquiens, Tibullus noviens (Lygd. III, 2, 8), Propertius I, 8, 32 et fortasse saepius. Horatius III, 17, 2. IV, 9, 1 et triciens in sermonibus et epistulis.

quaecumque de verbo finito disputavimus tertiam verbi personam spectabant. in prima et secunda plerumque, si verbum substantivum neglegitur, *ego nos* vel *tu vos* additur. sic in prima persona Aen. III, 45 *nam Polydorus ego* (ubi cf. Servium). XI, 392. XII, 159. ecl. 5, 43. 9, 34. Ov. trist. II, 496.

ex Pont. III, 2, 77. rem. 5. Propert. III, 22, 34. V, 1, 75; 2, 3. Hor. serm. I, 8, 3. II, 3, 236. Tib. I, 1, 75 (III, 2, 5). sine pronomine: Aen. II, 792 *ter conatus ibi collo dare bracchia circum* (scil. *sum*). IV, 336 *dum memor ipse mei, dum spiritus hos regit artus.* XI, 248 *postquam introgressi* (*sumus*). Hor. serm. I, 6, 53 *casu quod te sortitus amicum* (*sum*). secunda persona cum pronomine: Aen. IV, 113. XII, 57. georg. III, 393. ecl. 3, 109. Ov. fast. III, 505. IV, 8. 13. her. 14, 106. cf. trist. V, 4, 25 *te qui comitatus Oresten.* Prop. I, 11, 23. II, 6, 19. Tib. IV, 13, 11. *estis:* Aen. I, 201. ecl. 5, 21. Ov. fast. V, 465. her. 10, 113. sine pronomine: Aen. I, 237 ubi Ribbeckius: *pollicitu's,* et X, 827 ubi *laetatu's* scribit, utrumque inutiliter: cf. V, 192 *quibus in Gaetulis syrtibus usi* (sc. *estis*). Hor. serm. II, 3, 311 *qui ridiculus minus illo?* (*es*); 8, 2 (ubi item Holderus *dictu's,* alii in sequenti versu *die es*). cf. serm. II, 5, 54 *solus multisne coheres* (*sis*).

haec fere sunt quae de omisso verbo substantivo e poetis qui Augustea aetate vixerunt afferri possint; quin oculorum aciem haud pauca fugerint non dubito; nec hanc ob causam poetarum carmina legi. omnia autem e ceteris quoque poetis congerere inutile videbatur ad profligandam quaestionem quam in initio proposuimus, de Senecae scilicet consuetudine. atque ille quidem hac in re non Vergilii sed Ovidii exemplo se adstrinxit, ita ut perraro inveniatur quod licenter dictum sit. omittitur autem *est* apud nomina in interrogatione: Hf. 626. 730. 1138. 1153. Tro. 1047. 1105. Phoen. 80. 244. Med. 884 et fortasse 19. Phaed. 856. 915. 964 (*E*). Oed. 373. 667. Ag. 12. HO 1245 (*E*). 1909 (*quid hoc*? Hf. 976. 1193. Thy. 985. 992. HO 1432. 1441). in sententia finita: Hf. 703. 719. 788.[11]) Tro. 1009. 1024. 1062. Phoen. 608.[12]) Med. 318. 579.

---

[11]) Hf. 720:

haec porta regni, campus hanc circa iacet,
in quo superbo digerit vultu sedens
animas recentes. dira maiestas dei,
frons torva, fratrum quae tamen speciem gerat
gentisque tantae. vultus est illi Iovis,
sed fulminantis.

haec non recte procedunt: 721 *digerit* non habet quo referatur; 722 flagitari *deo* propter sequens *vultus est illi* vidit interpolator. remedium situm est in sententia recte distinguenda:

in quo superbo digerit vultu sedens
animas recentes dira maiestas dei.
frons torva, fratrum quae tamen speciem gerat
gentisque tantae, vultus est illi Iovis.

[12]) Phoen. 356 *nec hoc sat est* (*satis est E, est* om. Richterus).

604.[13]) Phaed. 117. 283. 447. 559. 1259. cf. 391 *cervix mollibus vacua (sit) nec niveus lapis deducat aures.*[14]) Oed. 151. 369. 372. 636. 709. 921. 960.[15]) Ag. 11. 118. 461. Thy. 875. 926. HO 602. 608. 1448. 1701. 1758.[16]) denique quasi in exclamatione Tro. 977 *Cassandra felix.* Med. 301 *audax nimium.* Ag. 589 *heu quam dulce malum mortalibus additum.* apud participia passivi: Hf. 855. 955[17])

his datum solis.
perdomita tellus, tumida cesserunt freta.

Tro. 423. 1111

prosperis rebus locus ereptus omnis.
ossa disiecta et gravi elisa casu. e. q. s.

Phoen. 270

in thalamos meos deducta mater.

Med. 369. 729[18])

terminus omnis motus est urbes
muros terra posuere nova.
illius alta nocte succisus frutex.

Phaed. 426. 543. 1259

utendum artibus.
factus praeda maiori minor.
hic laeva — manus ponenda.

Ag. 702

exhausta nempe.

Thy. 662. 676[19])

hoc Phrygius loco fixus tiaras Pelopis.
saepe simulacris domus attonita magnis.

---

[13]) Med. 814 *causa vocandi — una atque eadem est semper Iason:* sic *E* (‘*est* om. ε’).

[14]) Phaed. 227 *experta saevam est barbara Antiope manum: est* om. *E*.

[15]) Oed. 398 *penes quem summa regnorum est A, est* om. *E.* 691 sic interpungendum:

cultus, opulentae dapes,
donata multis gratia nostra salus:
quid tam beatae desse fortunae rear?

[16]) HO 940 *Iuno non ausa Herculem est eripere terris: est* om. *E.* 1338 *ubi natus? ubinam est? est* om. *E.*

[17]) Hf. 233 *acta est praeda: est* om. Peiper. 224 *deprensa cursu est: est* om. *E.*

[18]) Med. 421 *liberis unus dies datus est duobus: est* om. *A.*

[19]) Thy. 471 *nec abnuendum est — nec adpetendum est: est* bis om. *A.* 576 *alta pax urbi revocata laetae est: est* om. *EA* (habet Σ).

HO 747. 794. 1912 [20])

delubra praeclusa omnia.
pacata tellus, inquit, et caelum et freta.
nempe sepultus.

ultimum locum Oedipo reliqui qui hac in re mirum quantum a reliquis tragoediis discedit. scilicet septem locis *est* in perf. pass. omittit:

141 *turpis e plaga sanies profusa (est A).*
348 *effusus amnis.*
366 *mutatus ordo — acta retro cuncta.*
483 *Maenades factae.*
550 *effossa tellus et — iaciuntur ignes.*
571 *pulsata tellus.*
977 *inventa thalamis digna nox tandem meis.*

accedit Octavia 406. 485. 518

alia sed soboles minus conspecta mitis. [21])
invidia tristis victa consensu pio. [22])
concussus orbis viribus magnis ducum. [23])

in secunda persona verbum substantivum nusquam omitti moneo quia hoc de Hf. 1122 sq. disputantes asseruimus (p. 105); infinitivi non accedentis haec sunt exempla:

Tro. 247 *ferum mactare credis?*
868 *levius hoc equidem reor.*
Phoen. 417 *et ecce motos fletibus credas meis.*
Med. 993 *nil adhuc facti reor.*
Phaed. 791 *tractam Thessalicis carminibus rati.*
Thy. 176 *quod maximum probrum reor.*
288 *inimica credit cuncta.*
HO 1747 *cumque iam forti datum leto satis pensavit.*
Oed. 769 *cecidisse nostri stipitis pulsu obvium*
datumque Diti.

---

[20]) HO 26 *una est Geryon sparsus manu: est* om. *E.* v. 1240 non correxit Peiperus. v. 1887 littera nulla mutata, si Etruscum sequimur et distinctionem tollimus bene habet:

magno Alcidae poscit gemitum
stratus vestris saetiger agris
alesque sequi iussa sagittas.

[21]) *secuta mitis* Buechelerus.

[22]) versus post 499 ponendus:

cessit senatus, equitis accensus favor
plebisque votum est atque iudicium patrum,
invidia tristis victa consensu pio.

[23]) Lucan. I, 5 *certatum totis concussi viribus orbis in commune nefas.* iste quoque versus, utpote loci corrupti pars, suspicioni obnoxius est.

quae omnia lenissimi generis sunt et eius quidem pleraque in quo omnino dubitari possit sitne verbum subaudiendum; quod sane subaudiendum esse, etiam ubi a credendi verbis nomen pendet (*ferum mactare credis; inimica credit cuncta; levius hoc equidem reor*), et Oed. 769 et aliorum poetarum loci docent qui illius generis nomina simul cum infinitivis eidem verbo obnoxia referunt; quales p. 189 enumeravimus. at nullus in illis est qui tueatur locum a quo initium cepimus Oed. 171:

quin Taenarii vincula ferri
rupisse canem fama et nostris
errare locis, mugisse solum,
vaga per lucos simulacra virum
maiora viris, bis Cadmeum
nive discussa tremuisse nemus,
bis turbatam sanguine Dircen.

ubi ut ferenda sit haec sententiae constructio: *fama [est] vaga per lucos simulacra [esse]*, tam longe adiectivum remotum est a verbo quo regitur, ut non dura tantum sed intolerabilis oratio fiat; ut de dictionis inelegantia (*vaga esse*) taceam. omnis difficultas tollitur si colon quod est *mugisse solum* loco moveas in quo sermonis continuitatem turbat; ut haec evadat sententia:

quin Taenarii vincula ferri
rupisse canem fama et nostris
errare locis vaga per lucos
simulacra virum maiora viris,
bis Cadmeum nive discussa
tremuisse nemus, bis turbatam
sanguine Dircen;
mugisse solum, nocte silenti
Amphionios ululasse canes.

ut non Cerberus sed virorum simulacra per Thebarum silvas vagari dicantur. quod sic recte institutum esse Ovidii locus docet quem praeter ceteros hic Seneca expressit, met. XV, 796:

inque foro circumque domos et templa deorum
nocturnos ululasse canes umbrasque silentum
erravisse ferunt motamque tremoribus urbem.

itaque, si nihil aliud, e tam molesta taediique plena disputatione emendationem saltem certam lucrati nobis videmur.

2.

HO 380

ut alta silvas forma vernantes habet
quas nemore nudo primus investit tepor,
at cum solutos expulit Boreas Notos
et saeva totas bruma decussit comas,
deforme solis aspicis truncis nemus:
385 *sic nostra longum forma percurrens iter*
deperdit aliquid semper et fulget minus
nec illa Venus est. quidquid in nobis fuit
olim petitum cecidit et partu labat
materque multum rapuit ex illo mihi,
390 *aetas citato senior inrupit gradu.*

haec Deianirae verba quorum sententiam praeivit Sophocles Trach. 547

ὁρῶ γὰρ ἥβην τὴν μὲν ἕρπουσαν πρόσω,
τὴν δὲ φθίνουσαν· ὧν ἀφαρπάζειν φιλεῖ
ὀφθαλμὸς ἄνθος, τῶν δ' ὑπεκτρέπει πόδα.
ταῦτ' οὖν φοβοῦμαι μὴ πόσις μὲν Ἡρακλῆς
ἐμὸς καλῆται, τῆς νεωτέρας δ' ἀνήρ,

descripsi ut a Peipero edita sunt. in quibus non omnia recte procedere partim primo obtutu intellegis partim certis probabo indiciis. haesitamus statim in initio. nam cum forma silvas habere recte dicatur [1]), *alta forma* omnino dici nequit; quare *alia* N. Heinsius scripsit, qui scilicet quod nihil significet tolerari posse credidit. correxit versum Madvicus (adv. II, 126) scribendo:

ut laeta silvas forma vernantes habet,

qua coniectura epitheton recuperatur ad sententiam necessarium. sed neglexit Madvicus non levius corruptum esse sequentem versum, quo quod silvae dicuntur nemore nudo investiri absonum est. succurrisse utrique versui videatur cuipiam amicus meus qui scripsit

ut alta formas silva vernantes habet.
quas nemore nudo primus investit tepor.

[1]) cf. Oed. 460 *et nova demersos facies habet.* similia Petron. 128, 34 *et mentem timor altus habet.* Hor. epod. 1, 17 *in metu qui maior absentis habet.* ad Pis. 8 *ut nec pes nec caput uni reddatur formae.* cf. Sen. epist. 119, 12 *nam quod ad illos pertinet apud quos falso divitiarum nomen invasit occupata paupertas, sic divitias habent, quomodo habere dicimur febrem, cum illa nos habeat. e contrario dicere solemus 'febris illum tenet'. eodem modo dicendum est 'divitiae illum tenent'.*

quo id certe effectum est ut non silvae sed silvarum formae nemore nudo investiri dicantur: qui est inanis verborum lusus; accedit autem quod non de altitudine arborum sed de amoenitate et decore agitur, nec breves sed soli trunci laetis arboribus opponuntur. sequitur versum istum, quamcumque formam praecedenti indueris, tolerari non posse. atque minime mihi quidem dubium est, quin scripserit poeta quod debuit:

ut laeta silvas forma vernantes habet,
cum nemora nuda primus investit tepor.

v. 383 non *decussit* sed *discussit E* praebet. ac scio quidem et Vergilium dixisse georg. II, 404

frigidus et silvis Aquilo decussit honorem

et Horatium epod. 11, 5

hic tertius December ex quo destiti
Inachia furere silvis honorem decutit

et alios similia; sed Seneca Med. 715

aut rigida cum iam bruma discussit decus

ubi sine necessitate Gronovius *decussit*.[2])

v. 384 Avantius corrigendum ducebat; scripsit enim

deforme foliis aspicis truncis nemus.

sed hic epitheti *solus* usus nec Senecae (cf. Phaed. 407. Ag. 436)[3]) nec reliquis Romanorum poetis ignotus est.

v. 387 *nec illa Venus est* ex Etrusco prodiit et expulit interpolatam scripturam *malisque minus est;* interpolatorem vero concedimus optimo iure de tradita versus forma dubitasse. nam quod Gronovius *illam* Venerem alterius temporis dicit Venerem esse, id recte quidem cogitatum est; sed ut recte efferatur non sufficit verbum substantivum pro eo quod est *nec manet illa Venus.* hoc ulcus Kiesslingius sanavit emendatione quam non in rectis tantum sed in elegantissimis recenseo quae in hoc poeta factae sunt. scribit enim:

sic nostra longum forma percurrens iter
deperdit aliquid semper et fulget minus.
haec illa Venus est: quidquid in nobis fuit
olim petitum cecidit.

---

[2]) cf. Hf. 279 *dispulsas manu: depulsas A* errore solemni.

[3]) quibus certa emendatione addere possum Tro. 1075

haec nota quondam turris et muri decus,
nunc saeva cautes undique adfusa ducum
plebisque turba cingitur.

quam inepte turri qui de muro iacente superest epitheton addatur Caucasi rupibus aptum monitus videbis. *sola cautes* ut Val. Fl. IV, 202: *instar scopuli, qui montibus altis summus abit longeque iugo stat solus ab omni.* sic HO 1985 *saeva* recte in *A* legitur, *sola* scriptum est in *E*.

ulterius sine offensione pedem proferre nequimus. nam quod in editionibus circumfertur v. 388:

et partu labat
materque multum rapuit ex illo mihi

cum languidissimum est — nam ut recte *mater* de partu sive, ut voluit Gronovius observ. c. VI. p. 44 Pl., de matris opera et cura dicatur, alterum praereptum est v. 388, alterum et post eundem versum et in ore Deianirae ineptum — tum interpolatori debetur. nempe Etruscus ita haec verba reddit:

et pariter labat
materque multum rapuit ex illo mihi.

atqui clarum est, id quod interpolator quoque intellexit, haec de partu dicta esse. ergo cum *pariter* aptissimum ac sine dubio genuinum, ab interpolatore autem mala coniectura oblimatum sit, in *labat* nihil latere potest nisi substantivum quod cum sequenti *materque* unam pariendi notionem efficiat. atque quod verum est invenisse me confido:

quidquid in nobis fuit
olim petitum cecidit, et pariter labor
materque multum rapuit ex illo mihi.

hic *pariter*, quod non comparative sed temporaliter dictum est[4]), verba quae sunt *cecidit* et *rapuit* coniungit, non nomina ***labor materque***. sic Phaed. 845 *me quoque supernas pariter ad sedes tulit.* 849 *pariterque mortem fugere et Alciden sequi.* hoc parvum; sed figuram quae est *labor materque* sine maiore disputationis ambitu lectori probare non potero.

notiones igitur duae ita inter se coniunguntur ut quasi una notio effici videatur quae est in isto Herculis versu ***labor maternus.***[5]) inter duas notiones ita coniunctas necessario altera utra praecipuum locum tenet et quodammodo regnat; quo fit ut verbum, a quo utraque pendet, ad hanc tantum proprio sensu quadret, ad alteram plerumque translato. altera vero

---

[4]) cf. Charisius p. 214, 17 *pariter pro pariliter Cicero, ut Maximus notat. similiter et Maro XI* (673. 592), *ubi Celsus pro aequaliter. idem georg.* (I, 189) *et* — (aen. I, 714).

[5]) figura a grammaticis vocatur ἓν διὰ δυοῖν, sed minime omnia quae hoc nomine comprehenduntur figurae quam definivimus similia sunt. ad eandem redeunt qualia, ut e Seneca exempla sumam, leguntur Med. 701 *et hydra et omnis redeat Herculea manu succisa serpens;* Phaed. 509 *ramique ventis lene percussi tremunt veteresque fagi;* 961 *qui sparsa cito sidera mundo cursusque vagos rapis astrorum,* ubi in parte toti addenda aut eadem re expressius iterum efferenda color sermonis versatur.

ita ad potiorem accedit ut vel explicet illam vel definiat et suppleat vel denique originem causamve indicet. ex Senecae tragoediis huc pertinet Phaed. 640 *pectus insanum vapor amorque torret* (vapor amoris). Hf. 485 *vulneri et ferro obvius* (ferro vulneranti). 995 *ceteram prolem eruam omnesque latebras* (prolem ubicumque latentem). Tro. 222 *exuit matris dolos falsasque vestes* (vestes fallaces). proxime accedit Phaed. 882 *anus altrixque prodet* (altrix vetula) cf. Ag. 301 *haec vacat regi ac viro.* his, ne nimia accrescat moles, aliorum poetarum electa addam exempla. Ov. fast. I, 406 *positis arte manuque comis.* her. 4, 58 *enixa est utero crimen onusque suo.* 11, 64 *et positum est uteri crimen onusque mei.* Manil. I, 96 *nec prius imposuit rebus finemque manumque.* Lucan. V, 590 *cum iam non poterit puppi nostraeque saluti altera terra dari.* VII, 63 *cuius sub iure togaque — tremuit Catilina.* Stat. Theb. IV, 337 *tunc bella tibi ferrumque quod ardes ipsa dabo.* (cf. Val. I, 268). 732 *nec legem dominosve pati.* V, 7 *dispositi in turmas rursum legemque severi ordinis.* XII, 166 *bello cogendus et armis in mores hominemque Creo.* Sil. II, 324 *vidi animos mortesque virum.* III, 64 *virgineis iuvenem taedis primoque Hymenaeo imbuerat coniunx.* 102 *concutiens thyrso atque armata Maenade Calpen.* 390 *vel more patrum vis raptaque pascunt.* IV, 100 *et ad pugnam Martemque insania concors.* cf. VI, 208. XII, 196. Stat. Theb. VII, 172. Sil. VI, 76 *renovata focis et paupere Vesta lumina.* VII, 495 *iam monita et Fabium — exuerat.* 587 *nam Fabium auxiliumque viri sperare pudebat.* XVII, 194 *Cerere et victu fraudasse cohortes.* Val. Fl. I, 39 *et fictis dat vultum et pondera dictis.* 84 *quam — in campos et tuta tuli.* 230 *plenus fatis Phoeboque quieto* (hunc locum et v. 39 pessime corrupit qui nuper Valerii carmen data opera interpolavit). 473 *donat et Iphiclo pelagus iuvenumque labores.* III, 503 *paullumque moras et foedera necte* (ex coniectura Burmanni). 688 *sat lacrimis comitique datum.*

haec figura arte coniuncta est cum altera, qua nomina diversi generis, plerumque abstractum ut dicunt alterum, alterum concretum, ad unum verbum ita accedunt ut sponte alterum propria, alterum translata notione efferatur. cuius rei exemplum dabo quod apud Senecam audacissimum est Phaed. 1101

haesere biiuges vulnere et pariter moram
dominumque rumpunt.

hoc quatenus ab eo versu a quo initium cepimus diversum sit commode intellegitur eo quod hic *pariter*, licet temporaliter dictum sit, non ad verbum attinet sed nomina coniungit: moram

pariter et dominum rumpunt. nimirum non ita illa inter se conexa sunt ut quasi una notio efficiatur; color in eo situs est quod *mora* translato, *dominus* proprio sensu usurpatur. hoc ut recte perspiciatur monendum est *moram rumpere* dictionem esse et Senecae [6]) et aliis poetis [7]) usitatam; quae inde nata est quod *mora* translato sensu pro omni re quae quid moratur accipitur.[8]) quod optime inlustratur locis quales sunt Tro. 681 *rumpe fatorum moras* (cf. Hf. 566 *fatum rumpe manu*) et 939 *abrumpere ense lucis invisae moras.* itaque hic *mora* de stipite dictum est quo per medium Hippolyti inguen ingesto currus adfixus paulisper stetit. subito equi 'moram' rumpunt et pariter dominum stipiti infixum.

huius quoque figurae [9]) apud Vergilium eiusque aequales perpauca extare exempla, apud Ovidium multa non miraberis: quippe rhetorica sermonis Ovidiani natura hos ut omnis generis colores sedulo captavit; qua in re Ovidio cum epicis posterioribus convenire consentaneum est, immo istos multo etiam frequentius haec quoque figurati sermonis condimenta arcessere. scilicet hanc figuram ut plurima eius generis excultam esse in rhetorum ludis docebunt Senecae patris loci contr. exc. III, 8 *suum quisque illo et ignem attulit et dolorem.* V, 1 *sumpsi instrumenta mortis solitudinem et laqueum.* cf. Sen. d. benef. VI, 33, 4 *libros — quos vix nomenclatorum complectitur aut memoria aut manus.*

poetarum locos proponam ex numero satis grandi electos; quos enumerare facilius est quam iusta ratione digerere. nec facile aliam invenies digerendi rationem nisi ut loci inter se similiores simul eant. praemitto Senecae versus: Thy. 661 *pendent rotae et omne gentis facinus.* Ag. 446 *aut bella narrat, Hectoris fortis minas currusque.* Tro. 1120 *aliud ad facinus redit tumulumque Achillis.* HO 799 *taurus — vulnus et telum*

---

[6]) Med. 54 *rumpe iam segnes moras.*

[7]) Aen. IX, 13. Ov. met. XV, 583. Aen. IV, 569 *eia age rumpe moras* (quod repetierunt Stat. Ach. II, 198. Mart. II, 64, 9 et interpolator Silii VIII, 214). Lucan. I, 264. II, 525. IV, 762. V, 634. VI, 217. Stat. Theb. XI, 201 (*abrumpe moras*). Val. Fl. I, 306. IV, 627. VI, 127. VII, 33. Silius nusquam, sed *tollere* (IV, 57) *pellere* (IV, 732) *impellere* (VIII, 279) *rapere moras* (IX, 218).

[8]) ut et omnes poetae frequenter (cf. p. 154 sq.) et Seneca Thy. 761 *amputat trunco tenus umeros patentes et lacertorum moras;* quod qui nuper in Mnemosynae vol. V, 2, p. 177 puerili ariolatione tentavit, ille nec hunc nec sexaginta locorum quos aggressus est ullum intellexit.

[9]) Eur. Phoen. 1429 ἐν τῷδε μήτηρ ἡ τάλαινα προσπίτνει σὸν παρθένῳ τε καὶ προθυμίᾳ ποδός. v. 1430 deletus a Valckenaerio (1439). aut graviter corruptus aut spurius' Kirchhoff.

ferens.[10]) Vergilius Aen. II, 378 *conticuit retroque pedem cum voce repressit.* V, 508 *pariterque oculos telumque tetendit.* Horatius I, 15, 12 *currusque et rabiem parat.* III, 3, 30 *et gravis iras et invisum nepotem — redonabo.* nullum habeo elegiacorum ante Ovidium locum. Ovidius met. II, 601 *et pariter vultusque deo plectrumque colorque excidit.* IV, 174 *at illi et mens et quod opus fabrilis dextra tenebat excidit.* VII, 133 *demisere metu vultumque animumque Pelasgi.* VII, 347 *cecidere illis mentesque manusque.* IX, 409 *exul mentisque domusque* cf. Stat. Theb. II, 545 *huc — atque illuc animum pallentiaque ira ora ferens.* X, 517 *verba solo vultusque cadunt.* Val. Fl. VI, 580 *oculos sensusque refert animumque faventem.* Sil. IV, 104 *augurium mentes oculosque ad sidera vertit.* Luc. V, 319 *vultu dextraque furebas.* Val. VII, 293 *vix animos dextramque tenens.* Sil. I, 410 *una omnes dextraque cadunt iraque perempti.* — am. I, 7, 15 *promissaque velaque Thesei — tulisse notos.* art. I, 551 *et color et Theseus et vox abiere puellae.* her. 2, 25 *ventis et verba et vela dedisti.* 7, 8 *atque idem venti vela fidemque ferent? certus es Aenea cum foedere solvere naves?* 11, 52 *sed dolor et nutrix et pudor ipse vetant.* cf. Stat. silv. I, 2, 35 *iam nusquam ianitor aut lex aut pudor.* Theb. I, 591 *pulsi ex animo genitorque pudorque et metus.* Sil. XVII, 112 *ira pudorque dabant et coniunx, tertius ignis, inmanes animos.* fast. III, 859 *cumque recusantem cives et tempus et Ino compulerunt.* Lucan. V, 63 *regnumque sorori ereptum est soceroque nefas.* IX, 365 *abstulit arboribus pretium nemorique laborem* (scribendum videtur *numeroque laborem*). X, 95 *sed habet sub iure Pothini adfectus ensesque suos.* Val. Fl. I, 350 *Zephyrumque ratemque*

[10]) huc loci pertinent non admodum rari in quibus dei alicuius nomini per metonymiam de rebus quarum largitor vel dominus est usurpato adiungitur alterius cuiusdam rei propria notio. ut Thy. 65 *mixtus in Bacchum cruor spectante te potetur.* 700 *vina mutato fluunt cruenta Baccho.* 973 *satias dapis me nec minus Bacchi tenet.* Ag. 886 *cruor Baccho incidet.* Phaed. 373 *nulla iam Cereris subit cura aut salutis.* Hor. III, 13, 4 *cui frons — et Venerem et proelia destinat.* Ov. art. III, 564 *non bene cum sociis regna Venusque manent.* her. 3, 116 *citharae noxque Venusque iuvant.* Lucan. VII, 331 *armaque raptim sumpta Ceresque viris.* X, 204 *Luna suis vicibus Tethyn terrenaque miscet.* Stat. silv. I, 2, 167 *non ideo tibi tale decus vultusque superbos meque dedi (Venerem).* Theb. II, 154 *per imbres fulminibus mixtos intempestumque Tonantem.* V, 257 *sanguine commixto redeuntem in pocula Bacchum.* Sil. V, 404 *longam Clotho turbamque nepotum.* XIII, 434 *fundent mella super Bacchique et lactis honorem.* Val. Fl. I, 253 *exta — veribus Cereremque dedere canistris.* III, 5 *dent Cererem lectumque pecus nec palmite Bacchum Bithyno Phrygiove satum.* V, 215 *dona dehinc Bacchi — (et) rapta Ceres.*

morantis amplexus. 525 *flecte ratem motusque pater.* IV, 762 *et votis pariter praedaque fruuntur.* VII, 29 *vota deis pactasque — appendere praedas.* 599 *ipsa vi molis et irae.* VIII, 174 *te venti — et tua fata ferebant.* Stat. Theb. II, 96 *Tiresiae vultus vocemque et vellera nota induitur.* 657 *nunc arma diemque proice.* VII, 727 *illum armis animisque cupit.* X, 571 *ipsae tela viris, ipsae iram animosque ministrant.* Sil. I, 442 *aspera telis dicta admiscentem.* IV, 342 *laudemque pedum cum sanguine ademit.* VII, 92 *praecluserat omnes fortunaeque hostique vias.* 171 *attulit hospitio — pes dexter et hora Lyaeum.* 575 *omnia — devicta viro: metus Hannibal ira invidia.* X, 22 *deserit una et color et sanguis et tela minora periclo.* XV, 690 *et una praedam animamque simul victori victor ademit.*

haec satis erunt ut Senecae non audaciorem quam par est dictionem imputasse videar, dum Herculis loco a quo initium cepimus scripsisse illum contendo *et pariter labor materque multum rapuit ex illo mihi.*[11]) sequitur v. 390 (*aetas citato senior eripuit gradu*) qui ut legitur ferri non potest: nimirum Deianira non iam sibi adesse aetatem seniorem dicat necesse est sed prope abesse; quare non satisfacit Heinsii coniectura *inrupit*, cum sine dubio codicum scripturam recte Grotius emendarit scribendo *eripiet:* quo certius sentimus mancam esse sententiam et complemento egentem, quale exempli gratia ut solemus indicabimus. tandem igitur transcribamus locum qualem nos aliique restituimus:

ut laeta silvas forma vernantes habet,
cum nemora nuda primus investit tepor,
at cum solutos expulit Boreas Notos
et saeva totas bruma discussit comas,
deforme solis aspicis truncis nemus:
sic nostra longum forma percurrens iter
deperdit aliquid semper et fulget minus.
haec illa Venus est: quidquid in nobis fuit
olim petitum cecidit, et pariter labor
materque multum rapuit ex illo mihi.
[si quid relictum est, id quoque actutum mihi]
aetas citato senior eripiet gradu.

[11]) Stat. Theb. III, 159 *mihi quippe malorum causa labor.* IX, 632 *per te maternos, mitis Dictynna, labores fraternumque decus, iustis hunc fige sagittis infelicem uterum.*

3.

Phaed. 1015 media nuntii narratio:

consurgit ingens pontus in vastum aggerem
tumidumque monstro pelagus in terras ruit.
nec ista ratibus tanta construitur lues:
terris minatur. fluctus haud cursu levi
provolvitur: nescio quid onerato sinu
gravis unda portat; quae novum tellus caput
ostendit astris? Cyclas exoritur nova?
latuere rupes, numen Epidauri dei,
et scelere petrae nobiles Scironides
et quae duobus terra comprimitur fretis.
haec dum stupentes querimur: en totum mare
immugit; omnes undique scopuli adstrepunt.
summum cacumen rorat, expulso sale
spumat vomitque vicibus alternis aquas.
qualis per alta vehitur Oceani freta
fluctus refundens ore physeter capax,
inhorruit concussus undarum globus
solvitque sese et litori invexit malum
maius timore. pontus in terras ruit
suumque monstrum sequitur. os quassat tremor.
Thes. quis habitus ille corporis vasti fuit?
Nunt. caerulea taurus colla sublimis gerens
erexit altam fronte viridanti iubam e. q. s.

transcripsi ut vulgo legitur locum in quo non magna est codicum discrepantia. quare minutiora quaecumque de singulis versibus monenda sunt reponens statim ad graviora accedo. etenim v. 1022 sq.:

latuere rupes numine Epidauri dei [1])
et scelere petrae nobiles Scironides
et quae duobus terra comprimitur fretis

versi sunt ex Euripide: Hipp. 1207

ὥστ' ἀφῃρέθη
Σκείρωνος ἀκτὰς ὄμμα τοὐμὸν εἰσορᾶν
ἔκρυπτε τ' Ἰσθμὸν καὶ πέτραν Ἀσκληπιοῦ.

[1]) ita emendandum duxi, non *nomine* cum N. Heinsio. *numen* codd. Madvicus adv. II p. 116 coniecit *lumen*. quod cum posteriores et praecipue Silius (IV, 610. V, 447. VI, 274. IX, 592. cf. Val. VI, 246. Hf. 219) singulari quoque numero de oculo usurpent (Prop. III, 32, 3 *crimina lumen habet* correxit Lachmannus: *lumina crimen habent*), hic otiosum est. rupes numine nobiles, petrae scelere.

sed quod in Euripidis tragoedia aptissimum erat — nam loca ista omnia conspicit qui Troezena relinquens *τὴν εὐθὺς Ἄργους κἀπιδαυρίας ὁδόν* persequitur — idem prorsus ridicule Seneca dixit de Hippolyto suo, qui non Troezene sed Athenis proficiscitur; unde via in Isthmum ducente profectus nemo umquam vidit Epidaurum. qua de re plura dicere inutile est, quoniam poetam Euripidis verba transtulisse, nequaquam vero de locorum natura situque cogitasse manifestum est.

atque id quidem cum suae aetatis poetis commune habet Seneca ut nomina geographica usurpet de veritate ac ratione securus. ideo tolerandum est quod Ag. 566 a Caphareo rupe conspici posse dicit *scelere Lemnon nobilem et Chalcedona tardamque ratibus Aulin;* nec mirandum quod Thy. 112 Tantalum Mycenis Furia animadvertere iubet quam Isthmus Lerna Inachus Alpheus et Cithaeron illius praesentiam moleste ferant; nec quod Thy. 578 cum Bruttium mare ventis agitatur id non Scylla et Charybdis tantum atque Aetna sentiunt sed et Ithaca Cycladesque; nec denique eam ob causam HO 1031 sq. Senecae abiudicarim — quod fecit Goebelius in Muetzel. ann. XVI p. 739 — quod Orphea sub Rhodopes iugis canentem et Hebrus, qui scilicet illi Geticus est, et Athos et ipse leo Marmaricus audiunt. ut qui Suebas — nam ita dixit — in lucis Hyrcaniis[2]) habitare dicat Med. 713, et Tiphyn cum Boeotus fuerit Aulidis regem ultro habeat Med. 622, et Polynicem cum Thebis Argos migrarit *maria tot diversa* superasse praedicet (Phoen. 504); ac potuit saltem, si carmen illud scripsit, Histrum gemmiferum (HO 622), Hebrum aureum appellare (ib. 627), ut Phoen. 607 eundem campos fertiles secare voluit. idem Tro. 821 in cantico quod totum ex navium catalogo Homerico expressum est[3]), Gortynida ut novum nomen post Cretam inseruit

---

[2]) *Hercyniis A*, sed cf. Phaed. 75 *sive Hyrcani celant saltus vacuisque vagus Sarmata campis.* Thy. 630 *an sub aeterna nive Hyrcana tellus an vagi passim Scythae?*

[3]) hoc post Gronovium et alios Peiperus vidit (obs. p. 10 sq. cf. Henneb. p. 25). scivit vetus interpolator qui v. 839 dittographiam ad v. 840 secundum B 677 confecit — nam nullo artificio impetrabis ut *quolibet vento faciles Calydnae* et *carens numquam Gonoessa vento* simul eant — et interpolator *A* qui eundem versum secundum B 625 inmutavit. quae in catalogo non inveniuntur haec sunt: *Tempe* v. 815, quod cum de Thessalia ageretur ultro se offerebat; *Pisa* quo ducebat B 615 (*οἵ τ' ἄρα Βουπράσιόν τε καὶ Ἤλιδα δῖαν ἔναιον* — 849 *an Pisas Iovis et coronis Elida claram?*), quod propter Olympicos ludos omitti non debuit; *Eleusin* (843) quam Athenis substituit (B 546); denique *Paparethos* quam valde memorabile est sumpsisse Senecam ex Sophoclis Philocteta, in qua mercator se commigrare dicit (v. 548) *ἐξ Ἰλίου πρὸς*

(*Κρητῶν δ' Ἰδομενεὺς δουρικλυτὸς ἡγεμόνευεν, οἳ Κνωσόν τ' εἶχον Γόρτυνά τε τειχιόεσσαν* cf. Steph. Byz. s. *Βοίβη*) et Methonen sub Oeta sitam esse voluit: nam quae his aliisque locis comminiscuntur inutilia sunt.

ergo in locorum situ inaccurate indicato non offendimus; immo neglegentiam istam qua in fabula Athenis acta narrat quod intellegi nequeat nisi si Troezene agatur, prorsus Senecae mori ac tragoediarum indoli convenire dixerim. at sunt quae suspicionem moveant graviora.

narrat nuntius undas consurgentes et in litus semet provolventes aliquid portasse quod quale fuerit comites Hippolyti ignorarint:

quae novum tellus caput
ostendit astris? Cyclas exoritur nova?

latuisse Epidauri Megaridisque rupes Isthmumque; deinde pergit, ut quidem in interpolatis codicibus legitur:

haec dum stupentes querimur, en totum mare
inmugit, omnes undique scopuli adstrepunt.[4])

at quid tandem queruntur? an rupes latere, mare agitari, novam insulam oriri? quae mirari certe poterant et stupere; queri in litore securos puerile erat. ac mirati quidem sunt: stupentes scilicet queruntur; at nemo simul queritur et obstupescit.

οἶκον ἐς τὴν εὔβοτρυν Πεπάρηθον. quam cum his verbis inferat Seneca (842): *Attica pendens Peparethos ora an sacris gaudens tacitis Eleusin* (nam *aretica* non dicunt boni poetae praeter astronomos, atque Med. 314 recte legitur *et quae sequitur flectitque senex Attica tardus plaustra Bootes*), sequitur Senecam quoque, ut scholiasta Sophoclis (*Π. δῆμος τῆς Ἀττικῆς καὶ μία τῶν Κυκλάδων νήσων*), Peparethum Atticae pagum habuisse. praeterea monendum est operam dedisse Senecam ut prorsus turbaret pristinum Boeotiae Homericae ordinem: qua de re qui volet Peiperi somnia apud ipsum cognoscere poterit. nimirum omnia recte decurrunt praeter unum locum in quo iacturam versus factam esse Scaliger vidit.

[4]) hunc versum et Hf. 950 *hiemsque gelido frigida spatio refert* emendandos esse Schmidtio (p. 35) concedere non possum. nam, ut paucis defungar exemplis, Tibullus quoque bis tantum brevem vocalem ante duas consonantes sequens verbum inficohantes longam esse voluit: I, 5, 28 *pro segete spicas*, et 6, 34 *servare, frustra;* Lucanus et Statius singulis tantum locis: Luc. V, 118 *quippe stimulis.* Stat. Theb. VI, 551 *agile studium* (nam falso quidam legunt XI, 168 *supplicia fratrem*, et corruptus est versus silv. I, 6, 10 *iam velaria linea pluebant*); Sil. VII, 618 *Syllaeque Crassique simul.* IX, 575 *inmane stridens* (XVII, 546 *diversa spatio: diverso ς diversae* N. Heinsius. XII, 209 *ne qua spes fusos – maneret: quâ* ad *maneret* pertinet). neque hanc ob causam mutarim Manilii versum III, 89 *utcumque stellae;* cui V, 136 Bentleius reddidit *suspensa in strepitus* (*suspensa strepitus* Iacob.). itaque Senecae quoque in locis alia ratione non suspectis (apte autem componitur *omnes undique*) singularia sua indulgebimus.

commode igitur accidit quod Etruscus stribiliginem istam non agnoscit. in quo hoc legimus:

haec dum stupentes quaerimus, en totum mare
inmugit —

atque verum esse quaerendi verbum statim elucet; nec dubitari potest quin Peiperus pristinam versus formam restituerit — quam cum interpolator *A* non reperiret, *querimur* substituit — scilicet:

haec dum stupentes quaerimus, totum en mare
inmugit.

at rursum interrogamus: quid tandem quaerunt et adeo stupentes quaerunt? an Aesculapii Scironisque rupes? quas undis in immensum sublatis operiri modo audivimus; non quaeritur autem quod ubi lateat et quo tegatur in aperto est.

fortasse quae statim secuntur hac de re certiores nos facient:

totum en mare
inmugit, omnes undique scopuli adstrepunt.
summum cacumen rorat expulso sale
spumat vomitque vicibus alternis aquas.

sed non expectatione tantum excidimus sed in alios quoque et intricatiores errores incurrimus. nam quis haec intellegat? quale est quod rorat cacumen? quis est qui alternis aquam spumat vomitque? cacumen quidem illud ut nunc legitur debet petrarum quas modo nominavit cacumen esse: quae tamen nec spumare aquam nec vomere possunt. hoc aenigma solvitur eis quae secuntur:

qualis per alta vehitur Oceani freta
fluctum[5] *refundens ore physeter capax,*
inhorruit concussus undarum globus
solvitque sese et litori invexit malum
maius timore.

itaque de monstro quod v. 1020 gravis unda extulerat, in omnibus istis versibus poeta locutus est. unde omnium primum sequitur haec ita distinguenda esse:

summum cacumen rorat expulso sale,
spumat vomitque vicibus alternis aquas
qualis per alta vehitur Oceani freta
fluctum refundens ore physeter capax.
inhorruit concussus undarum globus e. q. s.

---

[5]) *fluctum E* (*fluctus A*) cf. p. 37.

deinde vero patet v. 1027 *summum cacumen rorat* e. q. s. ad monstrum illud referri non posse si vv. 1022—24 intercedunt. atque nunc tandem comperimus quid quaerant Hippolyti comites v. 1025: nimirum quaestiones quas audivimus v. 1020:

quae novum tellus caput
ostendit astris? Cyclas exoritur nova?

quas nunc elucet arte cum v. 1025 cohaerere et quidquid intercedit ut fixum in corpore paxillum ipsa rerum natura exprimi et expelli. itaque hoc saltem in rebus geographicis crimine Senecam absolvere poterimus.

quoniam v. 1022—24 non esse a Seneca scriptos comprobasse mihi videor — nam de versibus transponendis cogitari nequit — unum ad refutandum restat quod iam dudum qui totam narrationem legerunt mihi obicientes audio. nimirum constare sibi in errore geographico Senecam, ut qui v. 1057 dicentem nuntium faciat:

est alta ad Argos collibus ruptis via
vicina tangens spatia suppositi maris,

quo manifeste expressam esse τὴν εὐθὺς Ἄργους κἀπιδαυρίας ὁδόν (Eur. Hipp. 1197). hoc si verum esset ultro quae disputavimus corruerent. sed paullo accuratius hos versus inspiciamus.

Hippolytus Athenas reliquit; de via quam ingressus sit, quae apud Euripidem statim in initio ut par est indicatur, nihil comperimus nisi haec v. 1000:

ut profugus urbem liquit infesto gradu
celerem citatis passibus cursum explicans,
celso sonipedes ocius subigit iugo —
acerque habenis lora permissis quatit.

viam non remotam a mari fuisse sequentia docent. apparet monstrum et litus intrat:

1050 *tremuere terrae, fugit attonitum pecus*
passim per agros nec suos pastor sequi
meminit iuvencos; omnis e saltu fera
diffugit, omnis frigido exanguis metu
venator horret. solus immunis metu
Hippolytus artis continet frenis equos
pavidosque notae vocis hortatu ciet.

postquam audivimus monstri horrore pecora pastoresque diffugisse et cum feris venatores, unum Hippolytum interritum equos continuisse, si ita pergitur (v. 1057):

est alta ad Argos collibus ruptis via —
hic se illa moles acuit ac vires parat,

deinde

ut cepit animos, — praepeti cursu evolat —
et torva currus ante trepidantes stetit,

id certe clarum est de semita quadam poetam loqui quae, cum diversa sit ab ea via quam Hippolytus cum comitibus sequitur, primum a monstro teneatur, postea relinquatur ut ipsum Hippolytum petat. semitam istam audimus *vicina tangere spatia suppositi maris.*[6]) iam si via ad Argos ducens omnino nominatur, ea debet esse qua Hippolytus proficiscitur; via alta in collibus ruptis ubi monstrum consistit antequam viam intrat spatiosam aptamque curribus, non potest *via ad Argos* dici. itaque Argos corruptum est; nec sane dignum cui tot verba impendantur, quippe quod ne traditum quidem antiquitus sed ab interpolatore suppositum sit pro genuina scriptura quam servavit Etruscus:

est alta ad agros collibus ruptis via.

nempe pecudes pastoresque per agros fugerant; per quos via curribus apta ducebat; prope autem per litoris scopulos semita mare tangens. ex illa cum monstrum prorupit,

1068 *inobsequentes protinus frenis equi*
rapuere currum iamque derrantes via
quacumque rabidos pavidus evexit furor,
hac ire pergunt seque per scopulos agunt.

itaque monstrum equos planum relinquere et currum per rupes scopulosque unde ipsum desiluerat trahere cogit. ibi dum Hippolytus misere laceratur,

1105 *errant per agros funebris famuli manus,*
per illa qua distractus Hippolytus loca
longum cruenta tramitem signat nota.

vidimus igitur ne hic quidem praeter agri litorisque mentionem quicquam de locorum situ poetam indicasse. et quoniam removimus quod disputationi nostrae obstare visum est, aliud addemus quo nescio an quodammodo fulciatur. nimirum notum est quod Lachmannus dicit ad Lucr. p. 327: *Propertius adiectivum quoque nomen breviori illa genetivi inflexione extulit, sed unum (Feretri). idem qui praeter hunc ausi sint, Iuvenalem invenio* (VI, 385 *nominis Appi*) *et Senecam qui scripsit in Hippolyto* 1022 *numen Epidauri dei.* cf. B. Schmidt. p. 6 sq. itaque ne hoc quidem Senecae imputandum est.

---

[6]) cf. Stat. Theb. II, 502 *medias alte secat aspera rupes semita, quam subter campi devexaque latis arva iacent spatiis.*

sed locus quem tractandum proposui non tribus tantum versibus illis a vetusto interpolatore auctus est. scilicet versum 1016

tumidumque monstro pelagus in terras ruit

spurium esse non minus certis rationibus evinci potest. quarum prima est quod post verba ista dici nequit quod sequitur:

nec ista ratibus tanta construitur lues,
terris minatur,

nimirum quae in terram iam inruerit. deinde monstri prima mentio fit v. 1019

nescio quid onerato sinu
gravis unda portat,

quod ineptum esset si iam 'monstro tumidum pelagus' in terras ruisset. *lues* autem quae non ratibus sed terrae minari dicitur ingens tempestas est v. 1007 sq. descripta. denique terram fluctibus invadi descriptionis summa est in qua finitur, v. 1032

litori invexit malum
maius timore: pontus in terras ruit
suumque monstrum sequitur.

quod nullam omnino vim haberet si idem iam v. 1016 dictum esset. quem versum ex hoc ipso v. 1033 confictum esse vides et post 1015 insertum, cum haesitaret interpolator in 'ista lue' non ratibus sed terris minante.

postremo v. 1035 quamvis Etruscus dudum quod verum est suppeditarit nondum recte intellegitur. inepte enim Theseus nuntium interrumpit ac rogat:

quis habitus ille corporis vasti fuit?

atque Theseo versum interpolator dedit, in *E* nuntio continuatur. qui videlicet hoc modo cum reliquis cohaeret:

os quassat tremor.
quis habitus ille corporis vasti fuit!
caerulea taurus colla sublimis gerens c. q. s.

sic supra v. 651 *quis tum ille fulsit.*

itaque totum locum qualem restituisse nobis videmur ante oculos ponamus:

consurgit ingens pontus in vastum aggerem.
nec ista ratibus tanta construitur lues:
terris minatur; fluctus haud cursu levi
provolvitur: nescio quid onerato sinu
gravis unda portat; quae novum tellus caput
ostendit astris? Cyclas exoritur nova?
haec dum stupentes quaerimus, totum en mare

inmugit, omnes undique scopuli adstrepunt;
summum cacumen rorat expulso sale,
spumat vomitque vicibus alternis aquas
qualis per alta vehitur Oceani freta
fluctum refundens ore physeter capax.
inhorruit concussus undarum globus
solvitque sese et litori invexit malum
maius timore. pontus in terras ruit
suumque monstrum sequitur — os quassat tremor.
quis habitus ille corporis vasti fuit!
caerulea taurus colla sublimis gerens
erexit altam fronte viridanti iubam e. q. s.

4.

Huic disputationi quasi epimetri loco ac ne unicum illud interpolationis exemplum esse credas, pauca quaedam addenda puto de quibus non minus certe iudicari posse videatur. primum autem haec inspice Medeae post unum filium interfectum verba (v. 1009):

si posset una caede satiari haec manus,
nullam petisset. ut duos perimam, tamen
nimium est dolori numerus angustus meo.
in matre si quod pignus etiamnum latet,
scrutabor ense viscera et ferro extraham.

qualem Medea matrem dicit? an semet ipsam? propria igitur viscera ense se scrutaturam profitetur; quod sane tantillum saltem Iasoni fuisset solacii. restat igitur ut Creusam; at illam virginem appellavit v. 1007: *i nunc superbe, virginum thalamos pete;* et praeterea totam crematam esse omnes sciunt. nimirum ne nihil adderet, postquam duorum numerum nimis angustum sibi esse dixit, inseruit aliquis versus 1012. 13 fictos secundum HO 345

si quid e nostro Hercule
concepit Iole, manibus evellam meis.

accedit autem quod v. 1013 *ense* et *ferro* male et ταυτολόγως sese excipiunt: quod Muellerum movit ut coniceret *fetum extraham* (Fleckeis. ann. 89 p. 424).

Ag. 547 Aiax Pallada compellat et deos minime se timere his verbis praedicat:

non me fugavit bellici terror dei,
et Hectorem una solus et Martem tuli
Phoebea nec me tela pepulerunt gradu.
cum Phrygibus istos vicimus — tene horream?

hic Mars v. 548 male repetitur postquam totum v. 547 eidem impendit; deinde *una* et *solus* inepta sunt, nam dimicasse se cum altero utro nec dicit nec potest dicere: gloriatur tantum se istis in pugna praesentibus aciem non reliquisse. denique 550 *cum Phrygibus istos vicimus* 'istos' deos dicit, Hector autem inter Phryges est. itaque v. 548 inter Senecae versus locum iniuria tenet.

Tro. 8

ad cuius arma venit et qui frigidum
septena Tanain ora pandentem bibit,
et qui renatum primus excipiens diem
tepidum rubenti Tigrin inmiscet freto,
et quae vagos vicina prospiciens Scythas
ripam catervis Ponticam viduis ferit,
excisa ferro est; Pergamum incubuit sibi.

Troianis Hecuba auxilium tulisse praedicat Rhesum Memnona Penthesileam: Rhesum enim intellegunt qui Tanaidis ripas incolat. at quamvis incuriosum cognovimus Senecam locorum situs, hoc tamen crimine absolvitur Etrusci ope et auctoritate. qui praebet:

ad cuius arma venit et quae frigidum
septena Tanain ora pandentem bibit,

Amazon scilicet, cuius illic legitimus locus est. cuius cum iterum mentio fiat v. 12. 13, hos versus spurios esse consentaneum est et confirmatur verbo quod sequitur *excisa ferro est.* quod quia nullo modo ut nunc legitur ad Troiam attinet, sed utique ad Amazonem, Gronovius legit *excisa ferro est Pergamum. incubuit sibi.* sed cf. Ag. 421 *Pergamum omne* et supra p. 90. restat v. 11 recte de Memnone dictus (cf. Strab. p. 728), sed duas ob rationes ineptissimus: primum Tigrin mari rubro excipi audimus — quod ferimus si cogimur; dein Assyrios ipsos flumen mari inmiscere, quale nemo umquam dixit. Seneca dixisse videtur: *tepidum rubenti Tigrin inmiscet mero.*

Phoen. 98

qui cogit mori
nolentem in aequo est quique properantem impedit.
occidere est vetare cupientem mori.
nec tamen in aequo est: alterum gravius reor:
malo imperari quam eripi mortem mihi.

arte cohaerent v. 99 et 101: *in aequo est: nec tamen in aequo est.* quod ut vidit Peiperus, v. 100 post 101 traiecit. sed merito ille exulabit. non dicit Oedipus mortem infligere eum qui quem a morte prohibeat — non malum illud mortem exoptanti — sed crimen idem esse necantis invitum et servantis. sic Hor. ad Pis. 466 *sit ius liceatque perire poetis. invitum qui servat idem facit occidenti.*

eiusdem generis dittographiam legimus HO 1833

non est gemendus nec gravi urgendus prece
virtute quisquis abstulit fatis iter:
aeterna virtus Herculem fleri vetat.
fortes vetant maerere, degeneres iubent.

sic v. 1836 *E* pessime: nam quis ferat 'quasi praeceptum sapientum', ut ait Gronovius qui et ipse improbat. nec melius quod ille coniecit *veta* — *iube* vel quod interpolator *A* excogitavit *vetat* — *iubet.* nam post v. 1835 utique scribendum erat *maereri.* delendus igitur versus ad sententiam otiosus.

Hf. 1098 chorus Hercule dormiente Somnum adloquitur:

pelle insanos
fluctus animi, redeat pietas
virtusque viro. vel sit potius
mens vesano concita motu;
error caecus qua coepit eat:
solus te iam praestare potest
furor insontem. proxima puris
sors est manibus nescire nefas.
nunc Herculeis percussa sonent
pectora palmis e. q. s.

hoc dicit chorus: sana Herculis furorem, vel potius relinque illi furorem quo scilicet in se ipse saeviat (v. 98 *in se semper armatus furor*) plangendo quae commisit; haec sola ratio qua se insontem possit reddere. recte igitur dictum *solus te iam praestare potest furor insontem;* sed sententiae progressum turbat quod sequitur *proxima puris sors est manibus nescire nefas:* siquidem id ipsum chorus optat ut nefas cognoscat. aliam eiusdem cantici partem interpolatam esse vidimus supra p. 102. — cf. Epr. frg. 204 *φρονῶ δ' ἃ πάσχω καὶ τόδ' οὐ σμικρὸν κακόν· τὸ μὴ εἰδέναι γὰρ ἡδονὴν ἔχει τινὰ νοσοῦντα κέρδος τ' ἐν κακοῖς ἀγνωσία.* frg. 1018 *τὸ μὴ εἰδέναι σε μηδὲν ὧν ἁμαρτάνεις ἔκκαυμα τόλμης ἱκανόν ἐστι καὶ θράσους.* quae verbis magis quam sensu similia sunt.

Med. 465 Medea in Iasonem invehitur:

ingratum caput,
revolvat animus igneos tauri halitus
interque saevos gentis indomitae metus
flammifero in arvo flammeum Aeetae pecus
hostisque subiti tela, cum iussu meo
terrigena miles mutua caede occidit.

haec non recte habere Hennebergerus sensit l. s. p. 11, sed remedia invenit morbo graviora: sanabit ferrum. recenset Medea 'segetesque virorum taurorumque truces flammas'; sed neque post *igneos tauri halitus* locum habet *flammeum Aeetae pecus*, neque *hostis subiti tela* post *saevos gentis indomitae metus*. si usquam, hoc loco deprensa est dittographia, scilicet v. 467 ad 469 et v. 468 ad 466. qui v. 468 ante nos delevit, Richterus, ille iocabundus hoc fecisse videtur.

finem faciat locus in Etrusco non servatus HO 1576

vere dum flores venient tepenti
et comam silvis hiemes recident,
vel comam silvis revocabit aestas
pomaque autumno fugiente cedent,
nulla te terris rapiet vetustas.

hic v. 1578. 79 puerilem lusum esse alicuius qui veri hiemique aestatem quoque et autumnum accedere voluerit vel v. 1578 particula *vel* docere potuit. quem lusum interpolatoris *A* fuisse inde non sequitur quod v. 1578. 79 in *M* omittuntur. sed versus in *E* omissos HO 998.[1]) 1167.[2]) 1503.[3]) 1716[4]) spurios esse et ab interpolatore *A* confictos ipsa res docet.

---

[1]) 997 *ita nulla perages iussa nec franges mala*
erres per orbem. si qua nascetur fera
referens parentem? dexteram intrepidam para.
v. 997 sic *E*. *peragas — nec peragens A*. v. 999 *referes E*. *referas A*. *referens* meum est.

[2]) 1166 *haut meae telum necis*
saxum est nec instar montis abruptum latus
est totus Othrys.
v. 1167 varia coniecere. v. 1168 *aut totus A*.

[3]) 1502 *licet sit falsa progenies mei,*
materna culpa cesset et crimen Iovis
merui parentem.

[4]) 1715 *haec postquam edidit,*
noverca cernat quo feram flammas modo
flammas poposcit.
v. 1715 *hoc postque addidit A*.

5.

HO 1747

nec properat uri; cumque iam forti datum
leto satis pensavit, igniferas trabes
hinc inde traxit, nimia quas flamma occupat
totasque in ignes vertit et qua plurimus
exundat ignis, recipit intrepidus ferox.
tunc ora flammis implet; ast illi graves
luxere barbae cumque iam vultum minax
appeteret ignis, lamberent flammae caput,
non pressit oculos. sed quid hanc maestam intuor
sinu gerentem? reliquias magni Herculis
crinemque iactans squalidum Alcmene gemit.

locum transcripsi ut fere in editionibus circumfertur.[1]) v. 1747 *cumque tam forti datum* N. Heinsius coniecit: idem in *M* et *N* legitur. at nihilo minus Heinsium et librarios aeque errasse iudicandum est, cum in loci sententiam isto *iam* careri non possit. felicius simile quiddam accidit v. 1749, ubi quod Lipsius coniecit *minima quas flamma occupat* et loci sententia postulatur et in *M* legitur. contra *E* et hoc et sequenti versu in relativi pronominis formis erravit, ut cuius librarius v. 1749 *quis* pro *quas* scripserit, v. 1750 vero *quas* loco formae quae in interpolatis legitur *qua*. atque hic veri aliquid retinuisse Etruscum certa Gronovii emendatione constat. qui scribendum censuit

et quis plurimus
exundat ignis, recipit intrepidus ferox.

ubi *quis* necessarium est, cum inter *quas occupat — vertit — recipit* pronomen tantum ad *trabes* referri possit; praeterea autem Gronovius, cum *recipit* genuinum non esse Etrusci corruptela *repedit* ostendat, librarium *repetit* scribere voluisse suspicatus est[2]); quod restituit qui codicem Σ exaravit: legitur enim in *N* et pro varia lectione in *M*, in quo quae adnotata sunt omnia ex archetypo fluxere. itaque scribendum:

et quis plurimus
exundat ignis, repetit intrepidus ferox.

[1]) v. 1747 sic in *E* scriptus est: *nec poterat uticumque.* quod ideo memoro quia simili mendo purgare in animo est Phaedrae versum 989: *sed quid citato nuntius portat gradu rigatque maestis lugubrem vultum genis?* ubi ferri non potest *quid portat rigatque?* manifestum est *quid* adverbii vice fungi; quare legendum: *sed quid citato nuntius properat gradu rigatque maestis lugubrem vultum genis?* quod ita Euripides dixit (1151): *καὶ μὴν ὀπαδῶν Ἱππολύτου τόνδ' εἰσορῶ σπουδῇ σκυθρωπὸν πρὸς·δόμους ὁρμώμενον.*

[2]) idem iterum coniecit Madvicus (adv. II, 127).

Med. 465 Medea in Iasonem invehitur:

ingratum caput,
revolvat animus igneos tauri halitus
interque saevos gentis indomitae metus
flammifero in arvo flammeum Aeetae pecus
hostisque subiti tela, cum iussu meo
terrigena miles mutua caede occidit.

haec non recte habere Hennebergerus sensit l. s. p. 11, sed remedia invenit morbo graviora: sanabit ferrum. recenset Medea 'segetesque virorum taurorumque truces flammas'; sed neque post *igneos tauri halitus* locum habet *flammeum Aeetae pecus*, neque *hostis subiti tela* post *saevos gentis indomitae metus*. si usquam, hoc loco deprensa est dittographia, scilicet v. 467 ad 469 et v. 468 ad 466. qui v. 468 ante nos delevit, Richterus, ille iocabundus hoc fecisse videtur.

finem faciat locus in Etrusco non servatus HO 1576

vere dum flores venient tepenti
et comam silvis hiemes recident,
vel comam silvis revocabit aestas
pomaque autumno fugiente cedent,
nulla te terris rapiet vetustas.

hic v. 1578. 79 puerilem lusum esse alicuius qui veri hiemique aestatem quoque et autumnum accedere voluerit vel v. 1578 particula *vel* docere potuit. quem lusum interpolatoris *A* fuisse inde non sequitur quod v. 1578. 79 in *M* omittuntur. sed versus in *E* omissos HO 998.[1]) 1167.[2]) 1503.[3]) 1716[4]) spurios esse et ab interpolatore *A* confictos ipsa res docet.

---

[1]) 997 *ita nulla perages iussa nec franges mala*
erres per orbem. si qua nascetur fera
referens parentem? dexteram intrepidam para.
v. 997 sic *E*. *peragas — nec peragens A*. v. 999 *referes E*. *referas A*. *referens* meum est.

[2]) 1166 *haut meae telum necis*
saxum est nec instar montis abruptum latus
est totus Othrys.
v. 1167 varia coniecere. v. 1168 *aut totus A*.

[3]) 1502 *licet sit falsa progenies mei,*
materna culpa cesset et crimen Iovis
merui parentem.

[4]) 1715 *haec postquam edidit,*
noverca cernat quo feram flammas modo
flammas poposcit.
v. 1715 *hoc postque addidit A*.

XI, 428. 479. XII, 526), in Achilleide nusquam, in silvis sexiens (I, 2, 150. II, 4, 16. III, 2, 14. IV, 7, 54. V, 3, 92. 98). Lucanus nisi quid me fugit nusquam; Silius multo frequentius, scilicet quadragiens septiens et in prioribus quinque libris tot locis quot in carminibus suis Vergilius. vides diligenter expendendum esse Senecae usum antequam formam istam tragoediis inferas; atque cum de Hercule Oetaeo agatur, in hac ipsa alterum exemplum non invenitur, in reliquis pauca quidem sed certa haec:

Phaed. 443 *quis nescit uti.*

Ag. 197 *turbo quis rerum imminet.*

Med. 711 *et quis sagittas divites Arabes linunt.*

Oed. 680 *in utrumque quis est liber etiamnum status,*

ubi potuit scribere *quibus*. praeterea in Octavia v. 621. 728. 961, nam v. 964 *quis invisa es* potest *quibus* substitui, quod in cod. Ambr. H 77 inf., Riccard. 526 aliisque e melioribus legitur.

etiam sequens versus continet quod in his tragoediis perpauca habeat exempla:

ast illi graves
luxere barbae.

omnino particulae *ast* usus apud poetas latinos artissimis finibus circumscriptus est. quod Charisius e Iulio Romano (cf. p. 230, 1) tradit p. 229, 30 *ast apud antiquos variam vim contulit vocibus, pro atque, pro ac — ergo — sed — tamen — tum — cum, ut in glossis antiquitatum legimus scriptum,*[5]) eius rei tantum in titulis antiquis, in litteris nullum vestigium est: ubique pro *at* ponitur nec usquam iustum locum nisi ante vocales habet. ubicumque consonanti excipitur[6]) hoc librariis deberi persuasum habeas. sed ne ante vocales quidem sine exceptione admittitur: paucissimi enim loci extant in quibus particula ista nomina substantiva vel adiectiva antecedit: duo apud Vergilium (Aen. X, 173 *ast Ilva* XI, 293 *ast armis*), unus apud Horatium (serm. I, 8, 6 *ast importunus*), duo tresve apud Valerium (IV, 407 *ast Erebi* VI, 197 *levis ast abies,* quod notandum quia fere ubique primum locum tenet; VI, 332 *ast epulae* loco non iniuria viris doctis pridem suspecto[7])), duo apud Silium (II, 183

[5]) cf. Buecheler. in Mus. Rh. XXXIII p. 22.

[6]) cf. Ov. met. VII, 241 *ast laeva.* XI, 461 *ast iuvenes.* ex Pont. III, 2, 70 *ast Pylades.* Verg. Aen. X, 743 *ast de me.* Stat. Theb. II, 668 *ast tamen* — cf. XII, 741 *attamen* — Pers. 6, 27 *ast vocat.* Sil. III, 35 *ast Stygius.* XI, 190 *ast delecta.* et sic saepe in codicibus.

[7]) vides quam perversum sit quod ad III, 430 Aemilius Baehrens *adnotat 'malim ast Argoa manus.'*

ast Ithacus. XIV, 58 *ast Aetna*[8]); adverbiis *ast* praeponi omnino duobus tantum locis probare possum: Val. VIII, 255 *ast inde.* Sil. XII, 471 *ast aeque;* praepositioni tantum Val. VIII, 363 *ast inter tantos.* quos Valerii versus fortasse non iniuria operi limam non ad finem passo imputes. nihil igitur eius generis admisit Catullus Tibullus Propertius Ovidius Manilius Lucanus Persius Petronius Statius alii. atque ut verum particulae usum explicemus, ita tantum illa e regula ponitur, ut aut pronomen (*ego hic ille ipse alius*[9])) aut *ubi ibi* continuo sequatur. itaque ut omnia in conspectu ponamus, Ovidius ter dixit *ast ego* (met. XII, 434. XIII, 877. pont. IV, 12, 3) et praeterea semel *ast ubi:* fast. IV, 637. Horatius, qui in carminum libris nusquam *ast* posuit, epod. 15, 24 *ast ego vicissim ridero* scripsit, si scripsit: nam etiam v. 10 in mero iambo incipit (*fore hunc amorem mutuum*); et semel in sermonibus: I, 6, 125 *ast ubi.* omnino particulam istam vitarunt, nisi quid me fugit, Catullus Propertius Tibullus. reliqua deinceps digeremus:

ast ego Verg. Aen. I, 46. VII, 308. Luc. VIII, 279. X, 197. 262. Pers. 2, 39. Val. III, 326. Stat. Theb. III, 212. VII, 215. VIII, 61. Ach. I, 634. II, 273. silv. I, 4, 19. III, 1, 61; 2, 142. IV, 2, 5. Sil. IV, 826. VIII, 229. IX, 161. XVI, 204. *ast egomet* Theb. X, 811.

ast hic Stat. silv. II, 1, 220. Sil. XII, 116. XVII, 484 (*ast hos*) *ast horum* Stat. Theb. II, 458.[10])

ast ille etc. Verg. Aen. I, 116. III, 330. V, 468. 676. IX, 160. XII, 951. Manil. III, 227. Luc. VII, 608. VIII, 151. IX, 49. Pers. 6, 74. Val. III, 115. 188. 227. V, 371. 407. 548. VI, 503. Stat. Theb. I, 248. II, 410. III, 93. IV, 697. VI, 119. 278. 658. VIII, 612. X, 780. XI, 226. silv. I, 2, 79. Sil. I, 448. 574. IV, 383. IX, 120.

ast ipse etc. Verg. Aen. V, 509. Val. IV, 568 (Sil. X, 546 codices corrupte *ast ipsis;* scripserunt *atque i., hac i.*).

ast alius etc. Verg. Aen. II, 467. IV, 488. VI, 316. VII, 395. IX, 724. Manil. II, 779. Luc. III, 565. 754. Val. I, 835. II, 239. Stat. Theb. I, 520. V, 383. Ach. II, 21. Sil. VI, 560. VII, 446. XIII, 610. XIV, 381 et *ast altera* XIII, 203.

[8]) cf. Sid. Ap. 16, 125 *ast Epicureos.*

[9]) *ast is* nusquam (Sil. XII, 337 *ast ea* ς?); *idem* tantum Sil. XIV, 31 *ast eadem* cf. Accius v. 260 *ast idem.* loquor autem de poetis tantum quorum aut nomina aut locos attuli.

[10]) cf. Sid. Ap. c. 2, 129 *ast hunc;* 23, 18 *ast haec.* vix enim degeneravit usus in talibus. videtur quidem Venantius scripsisse V, 5, 73 Luchi *ast ludaea manus,* sed alias nihil praeter priscorum poetarum consuetudinem.

ast ubi Verg. Aen. III, 410. item semel Lucan. VI, 538 et Val. VI, 95. Stat. Theb. II, 41. IV, 431. V, 340. VII, 438. IX, 699. Sil. I, 123. X, 353. XII, 175. *ast ibi* Stat. Theb. XI, 351.

tandem ad Senecam revertimur; qui praeter formulam *ast illi* ter eodem versus loco positam omnino hac voce abstinuit. legitur autem Thy. 721. Hf. 1006.

ast illi ferus | in vulnere ensem abscondit.
ast illi caput | sonuit.

et loco a quo initium cepimus, HO 1752

ast illi graves | luxere barbae.

praeterea HO 1736

ast ille medias inter exurgens faces

sine necessitate, ergo vitiose, in *E* legitur, *at* in *A*. contra HO 510

at ille ut esse vidit Alciden procul

recte in *E*, *ast* in *A* (cf. 808 *at ille vultus ignea torquens face*). denique Phoen. 186 (*aut ut iras temporum haud ipsa mora fractas remisso pectore ac placido feras* [11])) Commelinum pessime scripsisse vides *ast ut iras*. cf. Both. ad Hf. 454.

antequam longiusculae iam de hoc loco disputationi finem facere possimus, pronuntiare saltem debemus carendum esse in futurum versu quem nescio num quis absentem aegre laturus sit. nimirum cum v. 1753 iniuria in Etrusco omittatur, v. 1755 (*non pressit oculos. sed quid hanc maestam intuor*) optimo iure; quem explendae lacunae sane quam infabre fictum esse duo docent: primum quod in tanta sermonis prolixitate ferri non potest ipsum Herculis finem ne perstringi quidem sed narrationem ita terminari: *non pressit oculos.* [12]) deinde quod inepta sunt quae secuntur: *sed quid hanc maestam intuor sinu gerentem? reliquias magni Herculis crinemque iactans squalidum Alcmene gemit;* nam nec legitur in *E cineremque* quod qualemcumque sensum praebere visum est, et pessime dicit *quid hanc intuor?* cum pergat *reliquias cineremque iactans Alcmene gemit;* debuit enim *quam intuor?* atque in libris praeter dupliciter interpolatum Melisseum legitur *sed quid hoc?* quae interpolatoris saltem genuina manus est (*sed quid hoc? maestam*

[11]) *tempore aut ipsa mora* codd. correxit Bothius. *non ipse* pro *ne ipse quidem* ut Tro. 874 *tale coniugium tibi non ipsa sospes Troia, non Priamus daret.* Med. 545 *namque istud ut possim pati non ipse memet cogat et rex et socer.* Verg. Aen. VI, 444 *curae non ipsa in morte relincunt.* VII, 102 *monitusque silenti nocte datos non ipse suo premit ore Latinus.* Prop. V, 9, 44 *non clausisset aquas ipsa novercа suas.*

[12]) cf. Lucan. VIII, 615 de Pompeio: *tunc lumina pressit continuitque animam, ne quas effundere voces vellet et aeternam fletu corrumpere famam.*

tutuor sinu gerentem reliquias magni Herculis. crinemque iactans s. A. g.). itaque post 1755 plura intercidisse videntur quae et ultimam de Herculis morte et primam de Alcmenae adventu orationem continuerint. de v. 1756 nunc in suspenso relinquo sitne amissorum versuum lacera pars an maiori lacunae explendae pridem interpolatus. [13]) nam cum v. 1757 ille, quodcumque de v. 1755 statuis, nullo modo conciliatur. itaque in loco emendate transcripto more solito finem faciamus:

nec properat uri; cumque iam forti datum
leto satis pensavit, igniferas trabes
hinc inde traxit, minima quas flamma occupat,
totasque in ignes vertit et quis plurimus
exundat ignis repetit intrepidus ferox.
tunc ora flammis implet: ast illi graves
luxere barbae; cumque iam vultum minax
appeteret ignis, lamberent flammae caput
* * *
sinu gerentem reliquias magni Herculis
* *
crinemque iactans squalidum Alcmene gemit.

6.

Tro. 487 sq.

Andromacha filiolum in patris tumulo abditura loci praesagium abominatur:

sudor per artus frigidus totos cadit:
omen tremesco misera feralis loci.

cui senex inepte respondet:

haec causa multos una ab interitu arcuit,
credi perisse

quae non, ut iure expectamus, de loco male ominato dicta sunt, sed in universum de occulendo puero, qui quin removendus sit non dubitat mater, dubitat quo removeat. ad senis verba Andromacha:

vix spei quicquam est super,
grave pondus illum magna nobilitas premit

at ex his priora (*vix spei q. est super*) in *E* seni continuantur,

[13]) cf. v. 1823 *reliquias magni Herculis.* simile quid accidit v. 738 sq., ubi trium versuum primus ex amisso orationis fine servatus, secundus et tertius ab interpolatore *A* sarciendae orationi confictus est.

arte cohaerent v. 99 et 101: *in aequo est: nec tamen in aequo est.* quod ut vidit Peiperus, v. 100 post 101 traiecit. sed merito ille exulabit. non dicit Oedipus mortem infligere eum qui quem a morte prohibeat — non malum illud mortem exoptanti — sed crimen idem esse necantis invitum et servantis. sic Hor. ad Pis. 466 *sit ius liceatque perire poetis. invitum qui servat idem facit occidenti.*

eiusdem generis dittographiam legimus HO 1833

non est gemendus nec gravi urgendus prece
virtute quisquis abstulit fatis iter:
aeterna virtus Herculem fleri vetat.
fortes vetant maerere, degeneres iubent.

sic v. 1836 *E* pessime: nam quis ferat 'quasi praeceptum sapientum', ut ait Gronovius qui et ipse improbat. nec melius quod ille coniecit *veta* — *iube* vel quod interpolator *A* excogitavit *vetat* — *iubet.* nam post v. 1835 utique scribendum erat *maereri.* delendus igitur versus ad sententiam otiosus.

Hf. 1098 chorus Hercule dormiente Somnum adloquitur:

pelle insanos
fluctus animi, redeat pietas
virtusque viro. vel sit potius
mens vesano concita motu;
error caecus qua coepit eat:
solus te iam praestare potest
furor insontem. proxima puris
sors est manibus nescire nefas.
nunc Herculeis percussa sonent
pectora palmis e. q. s.

hoc dicit chorus: sana Herculis furorem, vel potius relinque illi furorem quo scilicet in se ipse saeviat (v. 98 *in se semper armatus furor*) plangendo quae commisit; haec sola ratio qua se insontem possit reddere. recte igitur dictum *solus te iam praestare potest furor insontem;* sed sententiae progressum turbat quod sequitur *proxima puris sors est manibus nescire nefas:* siquidem id ipsum chorus optat ut nefas cognoscat. aliam eiusdem cantici partem interpolatam esse vidimus supra p. 102. — cf. Eur. frg. 204 *φρονῶ δ' ἃ πάσχω καὶ τόδ' οὐ σμικρὸν κακόν· τὸ μὴ εἰδέναι γὰρ ἡδονὴν ἔχει τινὰ νοσοῦντα κέρδος τ' ἐν κακοῖς ἀγνωσία.* frg. 1018 *τὸ μὴ εἰδέναι σε μηδὲν ὧν ἁμαρτάνεις ἔκκαυμα τόλμης ἱκανόν ἐστι καὶ θράσους,* quae verbis magis quam sensu similia sunt.

quem nec noverca potuit hunc perimes virum?
DEI. *caelestis ira quos premit miseros facit,*
humana nullos. NVT. *parce miseranda et time.*
D. *contempsit omnes ille qui mortem prius;*
libet ire in enses. N. *maior admisso tuus,*
alumna, dolor est: culpa par odium exigat.

hic nullo modo intellegitur cur Deianira nutrici respondeat caelesti ira homines miseros fieri, non humana; quod nec ad Herculem nec post v. 440 ad ipsam nec ad quemquam referri potest. quod si statim *miseranda* a nutrice appellatur, in eo certe inesse sentimus veri vestigium. accedit ut v. 442 *parce* ad v. 444 *enses* in Etrusco omittatur, quali indicio haud raro cognoscitur versus olim loci non certos fuisse. ordinem restituisse hac ratione mihi videor:

N. *quem nec noverca potuit hunc perimes virum?*
D. *contempsit omnes ille qui mortem prius:*
libet ire in enses. N. *parce miseranda et time.*
D. *caelestis ira quos premit miseros facit,*
humana nullos. N. *maior admisso tuus,*
alumna, dolor est: culpa par odium exigat.

Nessus Deianiram portans Herculi per flumen praegreditur v. 510:

Scriptus est codex *R* ea litterarum capitalium forma, quae cum medium aliquo modo teneat locum inter Plauti codicem Ambrosianum accuratissime pictum et Terentii codicem Bembinum minus constanter scriptis litteris conspicuum[1]), paulo probabilius quinto quam quarto saeculo uidetur adscribi posse[2]). Hoc constat, Plautinum illum codicem Annaeano esse antiquiorem: nam et F et R litterae in hoc subter lineam producuntur et ad labentis calligraphiae aetatem illud quoque uidetur pertinere, quod non omnes litterae aeque altae sunt; praecipue prima uersus littera in *R* non raro paululum eminet supra proximas, quam inconstantiam in apographo meo non ubique typorum forma imitatus sum: conf. e. g. Med. 726, Oed. 395. 414[a]. 526 (ubi sinistra U litterae trabs producta est non secus atque in antiquioribus codicibus nonnumquam fit) in capite paginae et praeterea Oed. 405. 416. 518. 524. 543. Memoria maxime dignum est, quod I littera non raro eminet supra ceteras, quamquam ne in hac quidem re constantiam adsecutus est amanuensis: conf. Med. 237 *obici*, 697 et 696 *maior*, 708 *iugis*, Oed. 422 et 536 *iam*, 510 *cuius*, 535 *huius*, 516 *indicium*, 521 *uile*, 522 *sacri*; apparet locis plerisque altiore I litterae forma *j* sonum exprimi. Litterae delendae significantur more antiquo ab ipsa prima manu puncto supra litteram posito: conf. Med. 702. 725. 740, Oed. 534 (conf. etiam Med. 263). Litterae contignatae nullae extant nisi Med. 744 UM sub uersus finem prope marginem.

Compendiis scripturae librarius non utitur nisi his duobus: 1) *-que* saepissime Q· scribitur: Med. 204. 210. 211. 212. 220. 230. 231 (ter, etiam in fine uersus). 239. 244. 248. 250. 257. 258. 265. 699. 696. 703. 707. 726. 732. 739. 740. 741, Oed. 412. 423. 427. 525. 534. 542; contra perscriptum est QUE quater: Med. 208 (in fine uersus). 233. 698. 733.

[1]) Vtriusque codicis imaginem habes in Zangemeisteri et Wattenbachii Exemplis in tabulis VI. VIII. IX.

[2]) *h* etiam in Senecae codice constanter ea forma scribitur, quae magis ad K accedit quam ad H; L littera non eminet supra ceteras litteras; ceterum et L et F in codice Annaeano graciles sunt. U litterae forma ab ea proxime abest, quae in Terentii Bembino conspicitur.

2) *-bus* raro B· scribitur: Med. 239, Oed. 530; contra septies perscriptum est BUS: Med. 211. 213. 704. 739, Oed. 402. 408. 413.

Ad saeculi quinti initium reuocare uidentur codicem *R* etiam orthographicae rationes, quas amanuensis secutus est; qui quamquam foedissima uitia praecipue in nonnullis paginis, ueluti in paginis 449. 450, non euitauit, tamen et in nominibus graecis describendis raro lapsus est neque umquam *f* pro *ph* aut *t* pro *th* aut *i* pro *y* substituit, et *u* pro *b* uno loco solo scripsit (*fleuiles* Oed. 509), et *ae* ab *e* sedulo distinxit (nisi quod Oed. 529 *expresse* dedit pro *expressae*), et *-a* ab *-am* itemque *-e* ab *-em* accurate discreuit (nisi quod Oed. 414^{b} fortasse *molle* scripsit pro *mollem*), et aspirationem raro neglexit (Med. 254 *aut* pro *haut*, Oed. 432 *coros* pro *cohors*, Med. 698 *Ophiucus*).

Componam autem has scripturas, unde appareat recte me de orthographia codicis Annaeani iudicasse: a*fuit* Med. 264, a*moues* 262 ‖ *ad* (praepositio) 267. 699, Oed. 400; contra *at* Med. 743 ‖ *ad* (coniunctio) Med. 730; contra *at* Oed. 513 ‖ *atque* Med. 258, Oed. 525; contra ad*que* Med. 741, Oed. 542 ‖ ad*ducto* Oed. 417 ‖ ad*flicta* Med. 209, ad*flictum* 255 ‖ al*ligat* Oed. 533 ‖ ad*mouit* Med. 205 ‖ ad*sit* 699 ‖ at*tigi* Med. 247 ‖ ad*uerte* Oed. 409 ‖ ad*uexit* Med. 197 ‖ *aecum* et *aecus* 200 ‖ *aliqui*d 199 ‖ *annosa* Oed. 535 ‖ *ausus* Med. 700 ‖ *bacas* Oed. 538, *bacifera* 415 ‖ *bracchia* 404 ‖ *caeli* Oed. 405 ‖ *caput* Med. 204, Oed. 409. 414^{a}. 521. 532 ‖ causae Med. 202, *causam* 242. 262 ‖ *comprecor* 740 ‖ *cupressus* Oed. 532 ‖ *damna* Med. 245 ‖ *Danuius* Med. 724 ‖ *est* nusquam per aphaeresin *e* amittit ‖ *efusam* Oed. 403, *efusos* 416 ‖ *execta* Med. 734 ‖ *exerens* Oed. 532 ‖ *exilio* Med. 220, *exulem* 255 ‖ *fluuidum* Oed. 423 ‖ *formosi* 508 ‖ *fraglanti* (debebat saltem *flagranti*) Med. 241 ‖ *generosa* Med. 217 ‖ *haut* 200, conf. *aut* pro *haut* 254 ‖ h*edera* Oed. 414^{b} ‖ *i* pro *ii*: Med. 249 *miseris*; *ii* pro *i*: Med. 706 *frugiis*, 743 *suppliciis* ‖ *illut* 226 ‖ *inclytum* 226 ‖ *inmisso* 232; contra *immensum* Oed. 539, *immensos* Med. 695 ‖ *inplacabile* Oed. 395; contra *imperio* Med. 216, *imperia* Oed. 527, *impium* Med. 261, *imputo* 234 ‖ *inriguae* Oed. 531 ‖ *lapsa* Oed. 513 ‖ *maesti* Med. 733 ‖ *myrtus* Oed. 539 ‖ *numquam* Med. 196 ‖ *obici* Med. 237 ‖ *opponens* Oed. 541 ‖ *optinens* Med. 257 ‖ *obscenas* Med. 732 ‖ p*aenitet* Med. 243 ‖ *precandum* Oed. 396, *precor* 528 ‖ *quaecumque* Med. 707 ‖ *quid* Oed. 519. 526 ‖ *quidquid* Med. 212. 214 ‖ *quod* Med. 223 ‖ *quodcumque* Med. 211. 244 ‖ *ratim*? (accus.) Med. 272 ‖ *rursus* Oed. 417 ‖ *sed* Med. 202. 246 ‖ succisa 702, succisu 729 ‖ *summota* 232 ‖

supplicium 201, *suppliciis* 743, *supplices* 224, *supplicibus* Oed. 408; contra *suplex* Med. 208. 248 ‖ *uesano* 738 ‖ *unge* (pro *ungue*) 730 ‖ *urguet* Oed. 543 ‖ *uulgus* Med. 740 ‖ *ultu* Oed. 410, *ultus* 509 ‖ *zona* Oed. 421. Alia consulto omitto; accusatiui tertiae quae uocatur declinationis aeque atque nominatiui pluralis numeri in *-es* exeunt (non in *-is*); *a* praepositio ante consonam est, *ab* ante uocalem.

Versuum Senecae distinctionem, qualem in exemplo quod describebat, inuenerat, religiose plerumque seruauit amanuensis: itaque recta est uersuum distinctio in *R* praeter aliquot cantici locos. Quanto autem arbitrio canticorum uersuum initia ex parte recedant a margine sinistro, docet codicis pagina 376.

Vbi in medio uersu nouae personae uerba incipiunt, uersus ita dispescitur, ut a primo uerbo alterius personae caput fiat: conf. Med. 197, Oed. 524. Inde explicandum est, quod librarius alteram partem uersus Oed. 399, quae nouae personae tribuenda erat, errore omisisse uidetur.

Personarum notae nunc nullae apparent, atque omnino certa rubricatoris uestigia nulla extant; sed quoniam minium, ubi antiqua scriptura abluitur, defluere solet uestigio aut nullo aut paene nullo relicto, ueri non est dissimile initio uersuum in margine sinistro rubris litteris singularibus graecis item atque in codice Bembino Terentii personas indicatas fuisse et similiter scaenarum inscriptiones minio additas fuisse: conf. uersum inter Oed. 508 et 509 atramento uacantem et uersum inter Oed. 402 et 403 atramento uacuum relictum ad CKORUS litteras capessendas, quarum incertissima uestigia uidentur adhuc superesse.[1])

Nulli fabulae tituli apparent in summis paginis 473. 474. 471. 472. 449. 450 id est in eis quae ad Medeam pertinent; contra apparent a prima manu scriptae in Oedipode in summa pagina 375 itemque in summa pagina 385 (i. e. in foliis rectis) litterae PUS, in summa pagina 386 OEDIP, unde consentaneum est peruersam *Oedippus* scripturam ne a *R* quidem alienam fuisse; nihil dispici potuit in summa pagina 376.

Alterius manus siue correctoris perpauca supersunt uestigia: conf. Med. 699 (conf. etiam Med. 724).

Haec hactenus de forma scripturae codicis *R*.

Descripsi folia Ambrosiana accuratissime uere anni 1878

[1]) Inter Med. 739 et 740 ante Medeae uerba nullus uersus uacuus relictus est.

Mediolani adiuuante Paulo Krueger iurisconsulto celeberrimo et amico carissimo. Permisit, ut codex pretiosus denuo examinaretur, Antonius Ceriani bibliothecae Ambrosianae praefectus clarissimus et studiorum meorum fautor benignissimus. Post Angeli Mai tempora, qui Annaeanam scripturam gallae infuso resuscitauit, alius nescio quis nonnullos locos alio remedio chemico uidetur temptasse, nec tamen comperi post Ritschelium quemquam denuo fragmenta Ambrosiana excussisse.

In apographo quod sequitur foliorum paginas leuigatiores appellaui „interiores", minus leues appellaui „exteriores". Earum litterarum, quibus nullum signum addidi, lectio certa est, litteris incertis puncta subscripsi, litteris incertissimis et subscripsi punctum et superscripsi signum interrogationis: itaque Med. 205 MAṆUṢ significat litterarum A et U lectionem incertam, litterae S incertissimam esse. Vbi propter pallorem, quid olim extiterit, dici nequit, his punctis usus sum..... conf. e. g. Med. 740 seqq. Vbi et propter sacram scripturam obductam et propter fenestras nihil legi potuit, his lineolis //// usus sum: conf. Med. 211. Foramina longiora his lineis significaui —— conf. e. g. Med. 249. 251. 252. Propter typographum singuli uersus, qui in *R* paribus interuallis dirempti sunt, in apographo meo modo propius modo longius inter se distant.

APOGRAPHVM FRAGMENTORVM AMBROSIANORVM.

(pag. 473)	(continet Senecae Medeae uersus hos:)
1 INIQUANUMQUAMREGNAPERPETUOMANENT	196
2 IQUERERECOLCKIS	
3 REDEOQUIADUEXITFERAT	197
4 UOXCONSTITUTOSERADECRETOUENIT	198
5 QUISTATUITALIQUIDPARTEINAUDITAALTERA	199
6 AECUMLICETSTATUERITKAUTAECUSFUIT	200
7 AUDITUSATEPELIASSUPPLICIUMTULIT	201
8 SEDFARECAUSAEDETUREGREGIAELOCUS	202
9 DIFFICILEQUAMSITANIMUMABIRAFLECTERE	203
10 IAMCONCITATUMQUAMQ · REGALEKOCCAPUT	204

Pagina 473 interior facile legitur. 1 littera 16ª aut G aut C fuit

(pag. 473) (continet Senecae Medeae uersus hos:)

11 SCEPTRISSUPERBASQUISQUISADMOUITMANUS 205
12 QUACOEPITIREREGIADIDICIMEA 206
13 QUAMUISENIMSIMCLADEMISERANDAOBRUTA 207
14 EXPULSASUPLEXSOLADESERTAUNDIQUE 208
15 ADFLICTAQUONDAMNOBILIFULSIPATRE 209
16 AUOQ · CLARUMSOLEDEDUXIGENUS 210
17 QUODCUMQ · PLACIDISFLEXIBUSPKASISRIGA /// 211
18 PONTUSQ · QUIDQUIDSCYTKIGUSATERGOUIDET 212
19 PALUSTRIBUSQUAMARIADURESCUNTAQUIS 213
20 ARMATAPELTISQUIDQUIDEXTERRETCOKORS 214

(pag. 474)

1 INCLUSARIPISUIDUATKERMODONTIIS 215
2 KOCOMNENOSTERGENITORIMPERIOREGIT 216
3 GENEROSAFELIXDECOREREGALIPOTENS 217
4 FULSIPETEBANTTUMMEOSTKALAMOSPROCI 218
5 QUINUNCPETUNTURRABIDAFORTUNAACLEUIS 219
6 PRAECEPSQ · REGNOERIPUITEXILIODEDIT 220
7 CONFIDEREGNISCUMLEUISMAGNASOPES 221
8 KUCFERATETILLUCCASUSKOCREGESKABENT 222
9 MAGNIFICUMETINGENSNULLAQUODRAPIATDIES 223
10 PRODESSEMISERISSUPPLICESFIDOLARE 224
11 PROTEGERESOLUMKOCCOLCKICOREGNOEXTULI 225
12 DECUSILLUTINGENSGRAECIAEFLOREMINCLYTUM 226
13 PRAESIDIAACKIUAEGENTISETPROLEMDEUM 227
14 SERUASSEMEMETMUNUSESTORPKEUSMEUM 228
15 QUISAXACANTUMULCETETSILUASTRAKIT 229
16 GEMINUMQ · MUNUSCASTORETPOLLUXMEUMEST 230
17 SATIQ · BOREAQUIQ · TRANSPONTUMQUOQ · 231
18 SUMMOTALYNCEUSLUMINEINMISSOUIDET 232
19 OMNESQUEMINYAENAMDUCUMTACEODUCEM 233
20 PROQUONIKILDEBETURKUNCNULLIIMPUTO 234

---

11 littera 27ª aut M aut N fuit 17 punctum post 8ªm litteram sacra scriptura tectum latet in fine potest RIGAT scriptum fuisse

Pagina 474 exterior facile legitur; rescripti sunt soli uersus 1—4. 17 punctum post quintam litteram incertum est.

XXII

(pag. 471) (continet Senec[illegible] Medeae uersus ho[illegible]

1 UOBISREUEXICETEROSUNUMMIKI 235
2 INCESSENUNCETCUNCTAFLAGITIAINGERE 236
3 FATEBOROBICICRIMENKOCSOLUMPOTEST 237
4 ARGOREUERSAUIRGINIPLACEATPUDOR 238
5 PATERQ · PLACEATTOTACUMDUCIB · RUET 239
6 PELASGATELLUSKICTUUSPRIMUMGENER 240
7 TAURIFEROCISOREFRAGLANTIOCCIDET 241
8 FORTUNACAUSAMQUAEUOLETNOSTRAMPREMAT 242
9 NONPAENITETSERUASSETOTREGUMDECUS 243
10 QUODCUMQ · CULPAPRAEMIUMEXOMNITULI 244
11 KOCESTPENESTESIPLACETDAMNAREAM 245
12 SEDREDDECRIMENSUMNOCENSFATEORCREO 246
13 TALEMSCIEBASESSECUMGENUAATTIGI 247
14 FIDEMQ · SUPLEXPRAESIDISDEXTRAPETI 248
15 TERRAMACMISERISANGULUMETSED——— 249
16 LATEBRASQ · UILESURBESIPELLIPLACET 250
17 DETURREMOTUSALIQUISINREGNISLOC——— 251
18 NONESSEMEQUISCEPTRAUIOLENTUSGERA——— 252
19 NEQUISUPERBOMISERIASCALCEMPEDE 253
20 TESTATUSEQUIDEMUIDEOAUTCLAREPARUM 254

(pag. 472)

1 GENERUMEXULEMLEGENDOETADFLICTUMETGRAUI 255
2 TERROREPAUIDUMQUIPPEQUEMPOENAEEXPETIT 256
3 LETOQ · ACASTUSREGNATKESSALICAOPTINENS 257
4 SENIOTREMENTEMDEBILIATQ · AEUOGRAUEM 258

Pagina 471 exterior maximam partem facile legitur; sub uersuum fi[illegible]es litterae ex parte pallidiores sunt. 3 litteram 10am eminere supra [illegible]i-cinas litteras non prorsus certo constat 5 paenultimam litteram mu[illegible] to probabilius est E quam I fuisse 7 littera ab exitu octaua non uidet[illegible] ur E fuisse paenultima littera aut E aut I fuit 10 in fine ne id q[illegible]i-dem constat, utrum TULI an TULIT scriptum fuerit; illud tamen-pa[illegible] lulo ueri similius est 13 littera ab exitu quarta foramine haus[illegible] periit 14 in fine PETI quam PETII scriptum fuisse paulo probabili[illegible] est 15 in fine umbrae litterarum, quae supra foramen apparent, [illegible] EMROGO non male quadrant 19 C supra lineam addidit manus prima.

Pagina 472 interior maximam partem facile legitur. 1 prima littera foramine hausta periit

(pag. 472)	(continet Senecae Medeae uersus hos:)
5 PATREMPEREMPTUMQUERITURETCAESISENIS	259
6 DISCISSAMEMBRACUMDOLOCAPTAETUO	260
7 PIAESORORESIMPIUMAUDERENTNEFAS	261
8 POTESTIASONSITUAMCAUSAMAMOUES	262
9 SUAMTUERINULLUSINNOCUUSCRUOR	263
10 CONTAMINAUITAFUITFERROMANUS	264
11 PROCULQ · UESTROPURUSACOETUSTETIT	265
12 TUTUMALORUMMACKINATRIXFACINORUM	266
13 CUIFEMINAENEQUITIAADAUDENDAOMNIA	267
14 R'OBURUIRILEESTNULLAFAMAEMEMORIA	268
15 EGREDER——URGAREGNALETALESSIMUL	269
16 TECU———FERKERBASLIBERACIUESMETU	270
17 A————NSTELLURESOLLICITADEOS	271
18 PROFUGERECOGISREDDEFUGIENTIRATIM	272
19 UELREDDECOMITEMFUGERECURSOLAMIUBES	273
20 NONSOLAUENIBELLASIMETUISPATI	274

(pag. 449)	
1 KUCILLEUASTIMORETORRENTISIACENS	694
2 DESCENDATANGUISCUIUSIMMENSOSDUAE	695
3 MAIORPELASGISAPTASIDONIISMINOR	697
4 PRESSASQUETANDEMSOLUATOPKIUCUSMANUS	698

9 supra litteram 14^{am} punctum extat, nisi omnia fallunt 13 litterarum 11^{ae} et 12^{ae} pars inferior foraminibus hausta est; pars superior litterae 12^{ae} sacra scriptura tecta latet 14 uncinus post primam litteram, qui non prorsus certus est, nescio quid sibi uelit in fine nihil amplius scriptum erat 15 litterarum 4^{ae} 5^{ae} 6^{ae} 7^{ae} pars inferior foramine hausta est fenestra post litteram 7^{am} sufficit ad EP litteras capessendas litterae post fenestram primae pars sinistra foramine hausta est 16 litterae quartae nihil superest nisi ductus sinistri pars superior fenestra post litteram 4^{am} sufficit ad MAU litteras capessendas 17 fenestra post litteram primam sufficit ad LIASEDE litteras capessendas 18 litterae 3^{a} et 5^{a} foraminibus haustae perierunt litterarum 2^{ae} et 4^{ae} partes superiores foraminibus haustae sunt littera paenultima I magis quam E fuisse uidetur

Pagina 449 exterior partim facile legitur, partim litterae pallidae sunt. Ipsa uersuum initia non sunt rescripta. Paucarum litterarum particulae fenestris haustae sunt. Primae uersuum 1. 2. 4. 6 litterae pars sinistra resecta periit. 2 littera 18^{a} utrum supra uicinas litteras eminuerit necne, dici nequit litterarum ab exitu 4^{ae} et 3^{ae} et ultimaers pa media foraminibus hausta periit

(pag. 449) (continet Senecae Medeae uersus hos:)

5 UIRUSQ · EANDATADSITADCATUSMEOS 699

6 LACESSEREAUSUSGEMINAPYTKONNUMINA 700

7 ETKYDRAETOMNISREDEATKERCULEAMANUS 701

8 MAIORMINORQ · SENTIUNTNODOSFERAE 696

9 SUCCISTASERPENSCAEDESEREPARANSSUA 702

10 TUQUOQ · RELICTISPERUIGILOOLCKISADES 703

11 SOPITEPRIMUMCANTIBUSSERPENSMEIS 704

12 POSTQUAMEUOCAUITOMNESERPENTUMGENUS 705

13 CONGERITINUNUMFRUGIISINFAUTAEMALA 706

14 QUAECUMQ · GENERATINUIUSSAXISERYX 707

15 QUAEFERTOPERTISKIEMEPERPETUAIUGIS 708

16 TENERAMCRUENTAFALCEDEPOSUITCOMAM 722

17 KASALUITALTUMGURGITEMTIGRISPREMENS 723

18 DANUUIUSILLASKISPERARINTESPLAGIS 724

19 TEPIDISKYDASPESGEMMISFERRCURRENSAQUIS 725

(pag. 450)

1 NOMENQ · TERRISQUIDEDITBAETIS ····· 726

2 KESPERIAPULSANSMARIALANGUENTIUADO 727

3 KAECPASSAFERRUMDUMPARATPKOEBUSDIEM 728

4 ILLIUSALTANOCTESUCCISUFRUTEX 729

---

5 FU supra lineam addidit manus secunda; pro FU possis etiam de FC cogitare N supra lineam addidit manus prima 9 littera septima aut T aut I fuit; punctum supra hanc litteram non prorsus certum est CAEDE lectio certissima est 10 littera 23ª O, non C fuit 15 littera ab exitu quinta paululum eminet supra uicinas litteras 18 litterae 20ae pars superior foramine hausta est litteram 22am I quam E fuisse probabilius est litterulae E et A supra lineam a manu coaeua additae uidentur esse; A litterula certissima est, E non prorsus certa; inter utramque litteram nihil extitit supra paenultimam litteram utrum A litterula addita fuerit necne, dici nequit 19 infra (non supra) 21am litteram punctum extitisse ueri non est dissimile punctum supra 25am litteram certissimum est.

Pagina 450 interior maximam partem facile legitur; rescripti sunt soli uersus 1. 2. 4. 6. 8 toti et uersuum 3. 5. 7 initia, reliqui non sunt rescripti. Versuum exitus propter pallorem aut difficulter leguntur aut legi nequeunt; quos, si chemico remedio uti licuisset, facili negotio dispexissem. 1 punctum post 6am litteram sacra scriptura tectum latet in fine post BAETIS utrum SUIS extiterit necne, propter pallorem dici nequit 2 media octauae litterae pars foramine hausta est; item litterae 9ae pars superior et litterarum 12ae et 13ae pars inferior

(pag. 450) (continet Senecae Medeae uersus hos:)

5 ADKUIUSUNGESECTACANTATOSEGES 730
6 MORTIFERACARPITGRAMINAACSERPENT····· 731
7 SANIEMEXPRIMITMISCETQ · OBSCENASAUES 732
8 MAESTIQUECORBUBONISETRAUCAESTRIG····· 733
9 EXECTAUIUAEUISCERAKAECSCELERUMARTIFEX 734
10 DISCRETAPONITKICRAPAXUISIGNIUM 735
11 KISGELIDAPIGRIFRIGORISGLACIESINEST 736
12 ADDITUENENISUERBANONILLISMINUS 737
13 METUENDASONUITECCEUESANOGRADU 738
14 CANITQ · MUNDUSUOCIBUSPRIMISTREMIT 739
15 COMPRECORCUULGUSSILENTUMQUOQ · FERALES·····S 740
16 ETCKAOSCAECUMADQ · OPACAMDITISUMBROSI·····— 741
17 TARTARIRIPISLIGATOSSQUALIDAEMORTIS····· 742
18 SUPPLICIISANIMAEREMISSISCURRITEATTKALAMOSN——— 743
19 ROTARESISTATMEMBRATORQUENSTANGATIXIONKUM ——744

(pag. 375) (continet Senecae Oedipodis uersus hos:)

PUS

1 RESERANDATELLUSDITISINPLACABILE 395
2 NUMENPRECANDUMPOPULUSINFERNAESTYGIS 396
3 KUCEXTRAKENDUSEDECUIMANDESSACRUM 397
4 NAMTEPENESQUEMSUMMAREGNORUMNEFAS 398
5 INUISEREUMBRAS 399
6 ADQUEMSECUNDUMREGNARESPICIUNTMEA 400
7 DUMNOSPROFUNDAECLAUSTRALAXAMUSSTYGIS 401
8 POPULAREBACCKILAUDIBUSCARMENSONET 402
9 C·····

5 altera littera paene certa est 7 littera 11ª aut I aut E fuit 8 litterae alterius pars media foramine hausta periit; item in uersu 11 litterae alterius pars inferior 15 punctum supra 10ªm litteram addidit manus prima litterae 25ª 26ª 27ª incertissimae quidem sunt, uidentur tamen non UOS fuisse uersuum 16 et 18 et 19 exitus desecti sunt 17 littera 10ª neque U est neque B

Pagina 375 exterior maximam partem facile legitur. Versus 1 solus non est rescriptus. 5 post UMBRAS utrum TECREOKICPOSCITLABOR litterae extiterint an uersus exitus atramento uacuus fuerit (hoc paululo probabilius mihi est), propter pallorem dici nequit 7 littera ab exitu octaua aut U fuit aut O 9 nonnumquam CKORUS litterarum rubro(?) scriptarum admodum tenuia uestigia uidebantur apparere, sed fortasse potius tota haec species fallax est

(pag. 375) (continet Senecae Oedipodis uersus hos:)

10 EFFUSAMREDIMITECOMAMNUTANTECORYMBO 403
11 MOLLIANYSAEISARMATUSBRACCKIATKYRSIS 404
12 LUCIDUMCAELIDECUSKUCADESUOTIS 405
13 QUAETIBINOBILESTKEBAE 406
14 TKEBAEBACCKETUAE 407
15 PALMISSUPPLICIBUSFERUNT 408
16 KUCADUERTEFAUENSUIRGINEUMCAPUT 409
17 UULTUSIDEREODISCUTENUBILA 410
18 ETTRISTESEREBIMINAS 411
19 AUIDUMQ · FATUM 412
20 TEDECETCINGICOMAMFLORIBUSUERNIS 413

(pag. 376)

1 TECAPUTTYRIACOKIBEREMITRA 414[a]
2 KEDERAUEMOLLE 414[b]
3 BACIFERARELIGAREFRONTEM 415
4 SPARGEREEFFUSOSSINELEGECRINES 416
5 RURSUSADDUCTOREUOCARENODO 417
6 QUALISIRATAMMETUENSNOUERCAM 418
7 CREUERASF · · · S · · · · · · · · · · · · · · · · TUS 419
8 CRINEFLAUENTISIMULATAUIRGO 420
9 LUTEAUESTEMRETINENTEZONA 421
10 INDEIAMMOLLESPLACUERECULTUS 422
11 ETSINUSLAXIFLUUIDUMQ · SYRMA 423
12 UIDITAURATORESIDERECURRU 424
13 UESTECUMLONGAREGERESLEONES 425
14 OMNISEOAEPLAGAUASTATERRAE 426
15 QUIBIBITGANGENNIUEUMQ · QUISQUIS 427

---

in fine uersuum 12. 13. 14. 18. 19 nihil amplius scriptum fuisse constat.

Paginae 376 interioris praeter uersuum initia, quae facillima lectu sunt, lectio propter litterarum pallorem maximam partem satis difficilis est; plura ac certiora leget, cui nouis medicamentis chemicis uti licebit. Titulus in summa pagina nullus apparuit; qui aut omnino numquam aderat aut abluendo prorsus deletus est. Versus 1 solus non est rescriptus. 1 in fine post MITRA potest gracilis littera, ueluti E, extitisse, nec tamen quicquam certum est 2 ultima littera aut E aut I fuit; post hanc utrum M extiterit necne, dici nequit: sane nulla huius litterae uestigia dignoscere potui 3 littera 13[a] aut G aut C fuit 7 nolui incertissimas litterarum umbras describere 10 littera quinta non uidetur T fuisse 11 post SYRMA utrum alia littera, e. g. M, extiterit necne, dici nequit: propter pallorem enim res incerta est

(pag. 376) (continet Senecae Oedipodis uersus hos:)

16 FRANGITARAXEN 428
17 TESENIORTURPISEQUITURSILENUSASELLO 429
18 TURGIDAPAMPINEISREDIMITUSTEMPORASERTIS 430
19 CONDITALASCIUIDEDUCUNTORGIAMYSTAE 431
20 TEBASSARIDUMCOMITATACOROS 432

(pag. 385)

PUS

1 CANDIDAFORMOSIUENERABIMURORALYAEI 508
2
3 ETSIIPSEUULTUSFLEUILESPRAEFERTNOTAS 509
4 EXPROMECUIUSCAPITEPLACEMUSDEOS 510
5 FARIIUBESTACEREQUAESUADESMETUS 511
6 SITERUENTESNONSATISTKEBAEMOUENT 512
7 ATSCEPTRAMOUEANTLAPSACOGNATAEDOMUS 513
8 NESCISSECUPIESNOSSEQUAENIMIUMEXPETIS 514
9 INERSMALORUMREMEDIUMIGNORANTIAEST 515
10 ITANEESTSALUTISPUBLICAEINDICIUMOBRUES 516
11 UBITURPISESTMEDICINASANARIPIGET 517
12 AUDITAFAREUELMALODOMITUSGRAUI 518
13 QUIDARMAPOSSINTREGISIRATISCIES 519
14 ODEREREGESDICTAQUAEDICIIUBENT 520
15 MITTERISEREBOUILEPROCUNCTISCAPUT 521
16 ARCANASACRIUOCENIRETEGISTUA 522
17 TACERELICEATULLALIBERTASMINOR 523
18 AREGEPETITUR
19 SAEPEUELLINGUAMAGIS 524
20 REGIATQ · REGNOMUTALIBERTASOBEST 525

19 littera septima foramine hausta periit 20 litteram paenultimam non R fuisse constat.

Paginae 385 interioris pars superior facile, inferior propter litterarum pallorem difficulter legitur. Versus 1 solus non est rescriptus. 1 littera 15ª foramine hausta periit 2 hic uersus atramento scriptus non erat, incertissimas litterarum (rubrarum?) umbras conspicere nonnumquam mihi uisus sum 4 littera paenultima foramine hausta periit; item litterae ab exitu tertiae pars inferior 5 supra litteram ab exitu sextam punctum et T litterula utrum extiterint necne, dici nequit; neutrius uestigia supersunt 7 littera 19ª non uidetur S fuisse 16 littera ab exitu quinta non uidetur E fuisse.

XXVIII

(pag. 386) (continet Senecae Oedipodis uersus hos:)

OEDIP

1	UBINONLICETTACEREQUIDCUIQUAMLICET	526
2	IMPERIASOLUITQUITTACETIUSSUSLOQUI	527
3	COACTAUERBAPLACIDUSACCIPIASPRECOR	528
4	ULLINEPOENAUOCISEXPRESSEFUIT	529
5	ESTPROCULABURBELUCUSILICIB · NIGER	530
6	DIRCAEACIRCAUALLISINRIGUAELOCA	531
7	UIRENTESEMPERALLIGATTRUNCONEMUS	533
8	CUPRESSUSALTISEXERENSSILUISCAPUT	532
9	CURUOSQ · TENDITQUERCUSETPUTRESSITUS	534
10	ANNOSARAMOSKUIUSABRUPITLATUS	535
11	EDAXUETUSTASILLAIAMFESSACADENS	536
12	RADICEFULTAPENDETALIENATRABE	537
13	AMARABACASLAURUSETTILIAELEUES	538
14	ETPAPKIAMYRTUSETPERIMMENSUMMARE	539
15	MOTURAREMOSALNUSETPKOBOOBUIA	540
16	ENODEZEPKYRISPINUSOPPONENSLATUS	541
17	MEDIOSTATINGENSARBORADQ · UMBRAGRAUI	542
18	SILUASMINORESURGUETETMAGNOAMBITU	543
19	DIFFUSARAMOSUNADEFENDITNEMUS	544
20	TRISTISSUBILLALUCISETPKOEBIINSCIUS	545

Pagina 386 exterior maximam partem facile legitur. Versus 1. 19. 20 non sunt rescripti. 1 littera ab exitu undecima foramine hausta periit 2 supra litteram 17am utrum punctum additum fuerit necne, dici nequit; nulla puncti uestigia apparent 4 litterae undecimae pars inferior foramine hausta periit, item litterae duodecimae trabs sinistra et trabis dexterae pars inferior 9 punctum supra ultimam litteram fere certum est 13 paenultima littera aut E aut I fuit.

Ex hoc apographo apparet non paucas illas et bonas, quibus codex *R* insignis est, lectiones non tam ei, quam *R* repraesentat, recensioni tragoediarum deberi quam codicis uetustati. Immo plurimis locis a libri Etrusci (*E*) nec multis glossis interpolationibusque nec nimis grauibus erroribus deprauati fide progrediendum esse in crisi exercenda et olim constabat et nunc constabit, postquam fragmentorum codicis *R* lectiones innotuerunt. Nam recensionem, quam *A* appellare consueuimus, licenter interpolando multifariam corruptam esse notum est. *R* autem cum prima specie uideatur medium

fere locum tenere inter *E* et *A*, quarum recensionum neutra ex ipso codice *R* eiusue gemello originem duxit, si accuratius inspexeris, uidebitur multo propius ad *E* accedere quam ad *A*. Aut omnia fallunt aut *R* ex eodem archetypo deriuatus est ex quo *E*, cum quo codice et bonas lectiones multas et falsas non paucas communes habet etiam eis locis, ubi recensio *A* ab *RE* discrepat. Quod autem aliis nec paucis locis *R* cum *A* consentit discrepante libro *E*, id facile Tibi concedent uiri docti ita explicandum esse, ut statuamus in eum codicem deperditum, ex quo *R* descriptus est, aliquot lectiones arbitrio correctoris selectas ex interpolata recensione, quam iam tunc extitisse consentaneum est, illatas fuisse. Itaque cum amanuensis, qui librum *R* exarauit, in aliis paginis accuratius, in aliis (ueluti in paginis 449. 450) neglegentius munere suo functus sit, mirum non est, quod liber *R*, qui uetustate ceteros codices Annaeanos longe praecedit, et locis compluribus genuinam lectionem solus seruauit, et in genere orthographico ceteros superat, et uitia scripturae nonnulla atque adeo falsam uersuum collocationem solus exhibet. Qui si integer seruatus esset, dubium non est quin non paucis obscuris atque depraуatis Senecae locis lucem allaturus fuerit. Sed de singulis uersibus in fragmentis Ambrosianis seruatis Tu ipse uideas, ne Tuam laboris partem praeripere Tibi uidear.

Vale, Vir Doctissime, et mihi fauere perge.

Scribebam Argentorati kal. Febr. a. 1879.

E codex Etruscus (Laurentianus 37, 6)

R fragmenta rescripta Ambrosiana

Th excerpta Thuanea

Σ amissum Etrusci apographum, archetypus codicum:

M Ambros. D 276 inf.

N Vatican. 1769

A recensio interpolata ex qua libri praeter modo enumeratos fluxerunt omnes

ς scriptura interpolata incertum ab antiquo (*A*) an Italo correctore novicio

corr. ς emendatio in codice aliquo interpolato tradita

HERCVLES

PERSONAE

IVNO
AMPHITRYON
MEGARA
LYCVS
HERCVLES
THESEVS
CHORVS

SCAENA THEBIS

IVNO

Soror Tonantis (hoc enim solum mihi
nomen relictum est) semper alienum Iovem
ac templa summi vidua deserui aetheris
locumque caelo pulsa paelicibus dedi;
tellus colenda est: paelices caelum tenent.
hinc Arctos alta parte glacialis poli
sublime classes sidus Argolicas agit;
hinc, qua recenti vere laxatur dies,
Tyriae per undas vector Europae nitet;
illinc timendum ratibus ac ponto gregem
passim vagantes exerunt Atlantides.
ferro minax hinc terret Orion deos
suasque Perseus aureus stellas habet;
hinc clara gemini signa Tyndaridae micant
quibusque natis mobilis tellus stetit.
nec ipse tantum Bacchus aut Bacchi parens
adiere superos: ne qua pars probro vacet,
mundus puellae serta Cnosiacae gerit.
Sed vetera querimur — una me dira ac fera
Thebana tellus sparsa nuribus impiis
quotiens novercam fecit! escendat licet
meumque victrix teneat Alcmene locum,

MARCI LVCII ANNEI SENECAE HERCVLES *E in catalogo.*
L. Annaei Senecae Hercules furens *A sed ut in multis omittantur priora nomina. praenomen* P. *vel* M. ς
6 *post* arctos *ras. 1 literae* (i?) *vel maculae E.* — glacialis: i *corr. ex* e *1 m. E* 8 recenti *1 m.* tepenti *2 m. E; illud* Σ, *hoc A* 12 ferro minax hinc terret *1 m.* fera coma hinc exterret *2 m. E; erasam prioris manus scripturam in marg. repetiit 2 m.; cum priore* Σ *facit, cum altera A* 13 aureas *A* 17 probro: *altera* r *i. ras. 1 m. E* 18 mundus puellas fert. anobis lac egent *E* gnosiacae *A* 19 sed vetera sero querimur *E A* sero *om.* ς 20 nuribus sparsa tellus *A* tellus nuribus sparsa *E correxit Buechelerus* 21 ascendat *A E, sed prior* a *2 m. i. ras. 2 litt.* escendat Σ (as *ex* es *2 m. N* extendat *M*)

pariterque natus astra promissa occupet,
in cuius ortus mundus impendit diem
tardusque Eoo Phoebus effulsit mari
retinere mersum iussus Oceano iubar —
non sic abibunt odia; vivaces aget
violentus iras animus et saevus dolor
aeterna bella pace sublata geret.
Quae bella? quidquid horridum tellus creat
inimica, quidquid pontus aut aer tulit
terribile dirum pestilens atrox ferum,
fractum atque domitum est. superat et crescit malis
iraque nostra fruitur; in laudes suas
mea vertit odia: dum nimis saeva impero,
patrem probavi, gloriae feci locum.
qua Sol reducens quaque deponens diem
binos propinqua tinguit Aethiopas face,
indomita virtus colitur et toto deus
narratur orbe. monstra iam desunt mihi
minorque labor est Herculi iussa exequi,
quam mihi iubere: laetus imperia excipit.
quae fera tyranni iura violento queant
nocere iuveni? nempe pro telis gerit
quae timuit et quae fudit: armatus venit
leone et hydra. nec satis terrae patent:
effregit ecce limen inferni Iovis
et opima victi regis ad superos refert.
vidi ipsa, vidi nocte discussa inferum
et Dite domito spolia iactantem patri
fraterna. cur non vinctum et oppressum trahit
ipsum catenis paria sortitum Iovi
Ereboque capto potitur et retegit Styga?
parum est reverti, foedus umbrarum perit:
patefacta ab imis manibus retro via est
et sacra dirae mortis in aperto iacent.
at ille, rupto carcere umbrarum ferox,

---

24 ortu *A*. — impediit ς 26 iussus: sus *i. ras. 1 m. E* 30 quid bella ς 34 fruitur: t *corr. ex* m (*2 m*?) *E* fruimur Σ 36 patrem probavit. inde qua lucem premit *A et erasa genuina scriptura, quam* Σ *praebet, E 3 m.* 37 aperitque Tethys (Thetis) qua ferens Titan diem *A*. — reponens *E corr.* ς 38 tinguit: u *del. 1 m. E* tangit ς. — Aethyopes: es *3 m. i. ras. litt.* as *E* (– as Σ) 43 quo *A*. — iussa *A*, *i. ras. 2 m. N*, ss *i. ras. 1 lit. 3 m. E* iura *M* 49 *traieci post v. 54* 52 victum ς. — trahit: h *add. 2 m. E* 56 dirae *A E*, *sed* i *ras. ex* u (durae Σ)

de me triumphat et superbifica manu
atrum per urbes ducit Argolicas canem.
viso labantem Cerbero vidi diem
pavidumque Solem; me quoque invasit tremor,
et terna monstri colla devicti intuens
timui imperasse. levia sed nimium queror;
caelo timendum est, regna ne summa occupet
qui vicit ima: sceptra praeripiet patri.
nec in astra lenta veniet ut Bachus via:
iter ruinâ quaeret et vacuo volet
regnare mundo. robore experto tumet,
et posse caelum viribus vinci suis
didicit ferendo; subdidit mundo caput
nec flexit umeros molis immensae labor
meliusque collo sedit Herculeo polus.
immota cervix sidera et caelum tulit
et me prementem: quaerit ad superos viam.
Perge ira, perge et magna meditantem opprime,
congredere, manibus ipsa dilacera tuis:
quid tanta mandas odia? discedant ferae,
ipse imperando fessus Eurystheus vacet.
Titanas ausos rumpere imperium Iovis
emitte, Siculi verticis laxa specum,
tellus gigante Doris excusso tremens
supposita monstri colla terrifici levet —
sed vicit ista. quaeris Alcidae parem?
nemo est nisi ipse: bella iam secum gerat.
adsint ab imo Tartari fundo excitae
Eumenides, ignem flammeae spargant comae,
viperea saevae verbera incutiant manus.
i nunc, superbe, caelitum sedes pete,
humana temne. iam Styga et manes feros
fugisse credis? hic tibi ostendam inferos.
revocabo in alta conditam caligine,

---

sublimis alias Luna concipiat feras

---

62 et tetra *A*, *3 m. i. ras. 5 litt. E* terna Σ (eterna *M*). — devicta Σ devicti: ti *ex* ta *i. ras. E* 63 minimum Σ *E 1 m.* (*inde i. ras.* nimium) 66 lenta: a *ex* us *2 m. E.* — ut bacchus: ut bac *i. ras. 2 m. E* 67 iter: *inter* i *et* t *eras.* n *E* 68 expenso *A* 72 mediusque *A* 76 ipsa iam lacera *A* 81 gigante: e *corr. ex* is *E* (*2 m*? gigante *N* giganti *M*) 83 *delevi* 82 *et* 89 *cf. infra ad v. 123* 83—89 *om.* ς 90 ferox *A* feros Σ *E 1 m.* (ox *2 m. i. ras. ex* os) 91 *ante v. 90 E literis* a b (*2 m?*) *restitutus ordo, quem tenet* Σ

ultra nocentum exilia, discordem deam
quam munit ingens montis oppositi specus;
educam et imo Ditis e regno extraham
quidquid relictum est: veniet invisum Scelus
suumque lambens sanguinem Impietas ferox
Errorque et in se semper armatus Furor —
hoc hoc ministro noster utatur dolor.
Incipite, famulae Ditis, ardentem citae
concutite pinum et agmen horrendum anguibus
Megaera ducat atque luctifica manu
vastam rogo flagrante corripiat trabem.
hoc agite, poenas petite vitiatae Stygis.
concutite pectus, acrior mentem excoquat
quam qui caminis ignis Aetnaeis furit:
ut possit animo captus Alcides agi,
magno furore percitus, vobis prius
insaniendum est — Iuno, cur nondum furis?
me me, sorores, mente deiectam mea
versate primam, facere si quicquam apparo
dignum noverca; vota mutentur mea:
natos reversus videat incolumes precor
manuque fortis redeat. inveni diem,
invisa quo nos Herculis virtus iuvet.
me vicit et se vincat et cupiat mori
ab inferis reversus. hic prosit mihi
Iove esse genitum. stabo et, ut certo exeant
emissa nervo tela, librabo manu,
regam furentis arma, pugnanti Herculi
tandem favebo — scelere perfecto licet
admittat illas genitor in caelum manus.
Movenda iam sunt bella: clarescit dies
ortuque Titan lucidus croceo subit.

CHORVS

Iam rara micant sidera prono

---

94 qua *E* 96 veniat *A* 100 incitae *A* 101 anguibus *add. A* 102 *dit 2 m. i. ras. E* 103 flagrante: m *post* e *eras. E* 104 violata *e A* 107 animum *A* 108 nobis *A* 109 furit *ς* 110 deiectam: i *ras.* *ex* l, m *add. 2 m.* (*i. ras. 1 lit.*?) *E* (delectat *M* derectam: r *ex* i, *m* *i. ras. 2 m. N*) 111 *post* versate *ras. 1 lit. E* 112 vota *Σ* *i a m* *E* odia *A*, *3 m. i. ras. 4—5 litt. E* 113 reversus: u *i. ras. 2 m.* 116 me vicit *Σ* me pariter *A*, pariter *3 m. i. ras. 5 litt. E* 119 *ma-* num *A* 123 *post v. 89 A* (*in nonnullis post v. 82*), *ut omitta tur* *praeter ς v. 124* 125—161 *om. ς*

languida mundo; nox victa vagos
contrahit ignes luce renata,
cogit nitidum Phosphoros agmen;
signum celsi glaciale poli
lucem verso temone vocat.
iam caeruleis evectus equis
Titan summa prospicit Oeta;
iam Cadmeis incluta Bacchis
aspersa die dumeta rubent
Phoebique fugit reditura soror.
labor exoritur durus et omnes
agitat curas aperitque domos.
Pastor gelida cana pruina
grege dimisso pabula carpit;
ludit prato liber aperto
nondum rupta fronte iuvencus,
vacuae reparant ubera matres;
errat cursu levis incerto
molli petulans haedus in herba;
pendet summo stridula ramo
pennasque novo tradere soli
gestit querulos inter nidos
Thracia paelex, turbaque circa
confusa sonat murmure mixto
testata diem.
carbasa ventis credit dubius
navita vitae, laxos aura
complente sinus. hic exesis
pendens scopulis aut deceptos
instruit hamos aut suspensus
spectat pressa praemia dextra:
sentit tremulum linea piscem.
Haec, innocuae quibus est vitae
tranquilla quies et laeta suo

---

stellis Arcados ursae

---

7 renata: *altera* a *i. ras. 1 m. E* 128 bosforos *E* 130 Ar- *versum delevi* 131 vocant *E A corr.* ς 132 aquis 133 summum prospicit Oetan *A* 134 baccis *A* 137 147 pinnasque *E* 149 circum *A* 151. 152 *et* 153. *pulis versibus coniunxit E sed pristinis initiis minio di-*

parvoque domus; spes immanes
urbibus errant trepidique metus t
ille superbos aditus regum
durasque fores expers somni
colit, hic nullo fine beatas
componit opes gazis inhians
et congesto pauper in auro;
illum populi favor attonitum
fluctuque magis mobile vulgus
aura tumidum tollit inani;
hic clamosi rabiosa fori
iurgia vendens improbus iras
et verba locat. novit paucos
secura quies, qui velocis
memores aevi tempora numquam
reditura tenent. Dum fata sinunt
vivite laeti: properat cursu
vita citato volucrique die
rota praecipitis vertitur anni;
durae peragunt pensa sorores
nec sua retro fila revolvunt.
at gens hominum flatur rapidis
obvia fatis incerta sui:
Stygias ultro quaerimus undas.
nimium, Alcide, pectore forti
properas maestos visere manes:
certo veniunt tempore Parcae.
nulli iusso cessare licet,
nulli scriptum proferre diem:
recipit populos urna citatos.
Alium multis gloria terris
tradat et omnes fama per urbes
garrula laudet caeloque parem
tollat et astris; alius curru
sublimis eat: me mea tellus

turbine magno spes sollicitae

161 p. d. iam spes in agris *et similia* ς spes iam magnis *E correxit B. Schmidtius obs. crit. p. 8* 162 *om. E* 166 ac nullo *codd. correxit Avantius* 171 volvit ς 183 flatur Σ fertur *A, 3 m. i. ras. 6 litt. E* 184 suis Σ *E erasa* s 188 tempore Σ ordine *A, 3 m. i. ras. 7 litt. E* 193 *post* 194 *E*

lare secreto tutoque tegat.
venit ad pigros cana senectus,
humilique loco sed certa sedet
sordida parvae fortuna domus:
alte virtus animosa cadit. —
Sed maesta venit crine soluto
Megara parvum comitata gregem,
tardusque senio graditur Alcidae parens.

AMPHITRYON

O magne Olympi rector et mundi arbiter,
iam statue tandem gravibus aerumnis modum
finemque cladi. nulla lux umquam mihi
secura fulsit * *
* * finis alterius mali
gradus est futuri: protinus reduci novus
paratur hostis; antequam laetam domum
contingat, aliud iussus ad bellum meat;
nec ulla requies tempus aut ullum vacat,
nisi dum iubetur. sequitur a primo statim
infesta Iuno: numquid immunis fuit
infantis aetas? monstra superavit prius
quam nosse posset. gemina cristati caput
angues ferebant ora, quos contra obvius
reptabat infans igneos serpentium
oculos remisso lumine ac placido intuens;
artos serenis vultibus nodos tulit,
et tumida tenera guttura elidens manu
prolusit hydrae. Maenali pernix fera,
multo decorum praeferens auro caput,
deprensa cursu est; maximus Nemeae timor
pressus lacertis gemuit Herculeis leo.
quid stabula memorem dira Bistonii gregis
suisque regem pabulum armentis datum,
solitumque densis hispidum Erymanthi iugis

---

203 Maegera *E. novae scaenae inscribit* Amphitryon. Maegera. Lycus *E Megaram loquentem inducit A* 207 umquam Herculi *coniecit de Wilamowitz* 208 *ego sententiam olim stetisse conieci tali complemento:* [nullus e nati datur | labore fructus] 211 bellum exeat *A* 212 ullum datur *A* 213 apprime *A* a prime: e *ras. 2 m. ex* o *E* (a primo *Σ*) 216 posset: e *ex* i *E* (*1 m*? possit *N*) 218 reptavit *A* 219 lumine *Σ*, *eras. et* vultu *i. ras. E* pectore *A* 224 est *om. E* 225 gemuit lacertis pressus *A* 228 iugis 3 *m. i. ras. 5—6 litt. E*

pariterque natus astra promissa occupet,
in cuius ortus mundus impendit diem
tardusque Eoo Phoebus effulsit mari
retinere mersum iussus Oceano iubar —
non sic abibunt odia; vivaces aget
violentus iras animus et saevus dolor
aeterna bella pace sublata geret.
Quae bella? quidquid horridum tellus creat
inimica, quidquid pontus aut aer tulit
terribile dirum pestilens atrox ferum,
fractum atque domitum est. superat et crescit malis
iraque nostra fruitur; in laudes suas
mea vertit odia: dum nimis saeva impero,
patrem probavi, gloriae feci locum.
qua Sol reducens quaque deponens diem
binos propinqua tinguit Aethiopas face,
indomita virtus colitur et toto deus
narratur orbe. monstra iam desunt mihi
minorque labor est Herculi iussa exequi,
quam mihi iubere: laetus imperia excipit.
quae fera tyranni iura violento queant
nocere iuveni? nempe pro telis gerit
quae timuit et quae fudit: armatus venit
leone et hydra. nec satis terrae patent:
effregit ecce limen inferni Iovis
et opima victi regis ad superos refert.
vidi ipsa, vidi nocte discussa inferum
et Dite domito spolia iactantem patri
fraterna. cur non vinctum et oppressum trahit
ipsum catenis paria sortitum Iovi
Ereboque capto potitur et retegit Styga?
parum est reverti, foedus umbrarum perit:
patefacta ab imis manibus retro via est
et sacra dirae mortis in aperto iacent.
at ille, rupto carcere umbrarum ferox,

---

24 ortu *A*. — impediit ς 26 iussus: sus *i. ras. 1 m. E* 30 quid bella ς 34 fruitur: t *corr. ex* m (*2 m*?) *E* fruimur Σ 36 patrem probavit. inde qua lucem premit *A et erasa genuina scriptura, quam* Σ *praebet, E 3 m.* 37 aperitque Tethys (Thetis) qua ferens Titan diem *A*. — reponens *E corr.* ς 38 tinguit: u *del. 1 m. E* tangit ς. — Aethyopes: es *3 m. i. ras. litt.* as *E* (– as Σ) 43 quo *A*. — iussa *A*, *i. ras. 2 m. N*, ss *i. ras. 1 lit. 3 m. E* iura *M* 49 *traiecі post v. 54* 52 victum ς. — trahit: h *add. 2 m. E* 56 dirae *A E*, *sed* i *ras. ex* u (durae Σ)

de me triumphat et superbifica manu
atrum per urbes ducit Argolicas canem.
viso labantem Cerbero vidi diem
pavidumque Solem; me quoque invasit tremor,
et terna monstri colla devicti intuens
timui imperasse. levia sed nimium queror;
caelo timendum est, regna ne summa occupet
qui vicit ima: sceptra praeripiet patri.
nec in astra lenta veniet ut Bachus via:
iter ruina quaeret et vacuo volet
regnare mundo. robore experto tumet,
et posse caelum viribus vinci suis
didicit ferendo; subdidit mundo caput
nec flexit umeros molis immensae labor
meliusque collo sedit Herculeo polus.
immota cervix sidera et caelum tulit
et me prementem: quaerit ad superos viam.
Perge ira, perge et magna meditantem opprime,
congredere, manibus ipsa dilacera tuis:
quid tanta mandas odia? discedant ferae,
ipse imperando fessus Eurystheus vacet.
Titanas ausos rumpere imperium Iovis
emitte, Siculi verticis laxa specum,
tellus gigante Doris excusso tremens
supposita monstri colla terrifici levet —
sed vicit ista. quaeris Alcidae parem?
nemo est nisi ipse: bella iam secum gerat.
adsint ab imo Tartari fundo excitae
Eumenides, ignem flammeae spargant comae,
viperea saevae verbera incutiant manus.
i nunc, superbe, caelitum sedes pete,
humana temne. iam Styga et manes feros
fugisse credis? hic tibi ostendam inferos.
revocabo in alta conditam caligine,

sublimis alias Luna concipiat feras

62 et tetra *A*, *3 m. i. ras. 5 litt. E* terna *Σ* (eterna *M*). — devicta *Σ* devicti: ti *ex* ta *i. ras. E* 63 minimum *Σ E 1 m.* (*inde i. ras.* nimium) 66 lenta: a *ex* us *2 m. E.* — ut bacchus: ut bac *i. ras. 2 m. E* 67 iter: *inter* i *et* t *eras.* n *E* 68 expenso *A* 72 mediusque *A* 76 ipsa iam lacera *A* 81 gigante: e *corr. ex* is *E* (*2 m*? gigante *N* giganti *M*) 83 *delevi* 82 *et* 89 *cf. infra ad v. 123* 83—89 *om.* ς 90 ferox *A* feros *Σ E 1 m.* (ox *2 m. i. ras. ex* os) 91 *ante v. 90 E literis* a b (*2 m?*) *restitutus ordo, quem tenet Σ*

ultra nocentum exilia, discordem deam
quam munit ingens montis oppositi specus;
educam et imo Ditis e regno extraham
quidquid relictum est: veniet invisum Scelus
suumque lambens sanguinem Impietas ferox
Errorque et in se semper armatus Furor —
hoc hoc ministro noster utatur dolor.
Incipite, famulae Ditis, ardentem citae
concutite pinum et agmen horrendum anguibus
Megaera ducat atque luctifica manu
vastam rogo flagrante corripiat trabem.
hoc agite, poenas petite vitiatae Stygis.
concutite pectus, acrior mentem excoquat
quam qui caminis ignis Aetnaeis furit:
ut possit animo captus Alcides agi,
magno furore percitus, vobis prius
insaniendum est — Iuno, cur nondum furis?
me me, sorores, mente deiectam mea
versate primam, facere si quicquam apparo
dignum noverca; vota mutentur mea:
natos reversus videat incolumes precor
manuque fortis redeat. inveni diem,
invisa quo nos Herculis virtus iuvet.
me vicit et se vincat et cupiat mori
ab inferis reversus. hic prosit mihi
Iove esse genitum. stabo et, ut certo exeant
emissa nervo tela, librabo manu,
regam furentis arma, pugnanti Herculi
tandem favebo — scelere perfecto licet
admittat illas genitor in caelum manus.
Movenda iam sunt bella: clarescit dies
ortuque Titan lucidus croceo subit.

CHORVS

Iam rara micant sidera prono

---

94 qua *E* 96 veniat *A* 100 incitae *A* 101 anguibus *addit 2 m. i. ras. E* 103 flagrante: m *post* e *eras. E* 104 violatae *A* 107 animum *A* 108 nobis *A* 109 furit ς 110 deiectam: i *ras. ex* l, m *add. 2 m.* (*i. ras. 1 lit.*?) *E* (delectat *M* derectam: r *ex* i, m *i. ras. 2 m. N*) 111 *post* versate *ras. 1 lit. E* 112 vota Σ iam odia *A*, *3 m. i. ras. 4—5 litt. E* 113 reversus: u *i. ras. 2 m. E* 116 me vicit Σ me pariter *A*, pariter *3 m. i. ras. 5 litt. E* 119 manum *A* 123 *post v. 89 A* (*in nonnullis post v. 82*), *ut omittatur praeter* ς *v. 124* 125—161 *om.* ς

languida mundo; nox victa vagos
contrahit ignes luce renata,
cogit nitidum Phosphoros agmen;
signum celsi glaciale poli
lucem verso temone vocat.
iam caeruleis evectus equis
Titan summa prospicit Oeta;
iam Cadmeis incluta Bacchis
aspersa die dumeta rubent
Phoebique fugit reditura soror.
labor exoritur durus et omnes
agitat curas aperitque domos.
Pastor gelida cana pruina
grege dimisso pabula carpit;
ludit prato liber aperto
nondum rupta fronte iuvencus,
vacuae reparant ubera matres;
errat cursu levis incerto
molli petulans haedus in herba;
pendet summo stridula ramo
pennasque novo tradere soli
gestit querulos inter nidos
Thracia paelex, turbaque circa
confusa sonat murmure mixto
testata diem.
carbasa ventis credit dubius
navita vitae, laxos aura
complente sinus. hic exesis
pendens scopulis aut deceptos
instruit hamos aut suspensus
spectat pressa praemia dextra:
sentit tremulum linea piscem.
Haec, innocuae quibus est vitae
tranquilla quies et laeta suo

---

septem stellis Arcados ursae

---

127 renata: *altera* a *i. ras. 1 m. E* 128 bosforos *E* 130 Arcades ς *versum delevi* 131 vocant *E A corr.* ς 132 aquis ς *vulgo* 133 summum prospicit Oetan *A* 134 baccis *A* 137 omnis *E* 147 pinnasque *E* 149 circum *A* 151. 152 *et* 153. 154 *singulis versibus coniunxit E sed pristinis initiis minio distinctis*

parvoque domus; spes immanes
urbibus errant trepidique metus t
ille superbos aditus regum
durasque fores expers somni
colit, hic nullo fine beatas
componit opes gazis inhians
et congesto pauper in auro;
illum populi favor attonitum
fluctuque magis mobile vulgus
aura tumidum tollit inani;
hic clamosi rabiosa fori
iurgia vendens improbus iras
et verba locat. novit paucos
secura quies, qui velocis
memores aevi tempora numquam
reditura tenent. Dum fata sinunt
vivite laeti: properat cursu
vita citato volucrique die
rota praecipitis vertitur anni;
durae peragunt pensa sorores
nec sua retro fila revolvunt.
at gens hominum flatur rapidis
obvia fatis incerta sui:
Stygias ultro quaerimus undas.
nimium, Alcide, pectore forti
properas maestos visere manes:
certo veniunt tempore Parcae.
nulli iusso cessare licet,
nulli scriptum proferre diem:
recipit populos urna citatos.
Alium multis gloria terris
tradat et omnes fama per urbes
garrula laudet caeloque parem
tollat et astris; alius curru
sublimis eat: me mea tellus

turbine magno spes sollicitae

161 p. d. iam spes in agris *et similia* ς spes iam magnis *E correxit B. Schmidtius obs. crit. p. 8* 162 *om. E* 166 ac nullo *codd. correxit Avantius* 171 volvit ς 183 flatur Σ fertur *A, 3 m. i. ras. 6 litt. E* 184 suis Σ *E erasa* s 188 tempore Σ ordine *A, 3 m. i. ras. 7 litt. E* 193 *post* 194 *E*

lare secreto tutoque tegat.
venit ad pigros cana senectus,
humilique loco sed certa sedet
sordida parvae fortuna domus:
alte virtus animosa cadit. —
Sed maesta venit crine soluto
Megara parvum comitata gregem,
tardusque senio graditur Alcidae parens.

AMPHITRYON

O magne Olympi rector et mundi arbiter,
iam statue tandem gravibus aerumnis modum
finemque cladi. nulla lux umquam mihi
secura fulsit * *
* * finis alterius mali
gradus est futuri: protinus reduci novus
paratur hostis; antequam laetam domum
contingat, aliud iussus ad bellum meat;
nec ulla requies tempus aut ullum vacat,
nisi dum iubetur. sequitur a primo statim
infesta Iuno: numquid immunis fuit
infantis aetas? monstra superavit prius
quam nosse posset. gemina cristati caput
angues ferebant ora, quos contra obvius
reptabat infans igneos serpentium
oculos remisso lumine ac placido intuens;
artos serenis vultibus nodos tulit,
et tumida tenera guttura elidens manu
prolusit hydrae. Maenali pernix fera,
multo decorum praeferens auro caput,
deprensa cursu est; maximus Nemeae timor
pressus lacertis gemuit Herculeis leo.
quid stabula memorem dira Bistonii gregis
suisque regem pabulum armentis datum,
solitumque densis hispidum Erymanthi iugis

---

203 Maegera *E. novae scaenae inscribit* Amphitryon. Maegera. Lycus *E Megaram loquentem inducit A* 207 umquam Herculi *coniecit de Wilamowitz* 208 *ego sententiam olim stetisse conieci tali complemento:* [nullus e nati datur | labore fructus] 211 bellum exeat *A* 212 ullum datur *A* 213 apprime *A* a prime: e *ras. 2 m. ex* o *E* (a primo *Σ*) 216 posset: e *ex* i *E* (*1 m*? possit *N*) 218 reptavit *A* 219 lumine *Σ*, *eras. et* vultu *i. ras. E* pectore *A* 224 est *om. E* 225 gemuit lacertis pressus *A* 228 iugis 3 *m. i. ras. 5—6 litt. E*

Arcadia quatere nemora Maenalium suem,
taurumque centum non levem populis metum?
inter remotos gentis Hesperiae greges
pastor triformis litoris Tartesii
peremptus, acta est praeda ab occasu ultimo;
notum Cithaeron pavit Oceano pecus.
penetrare iussus solis aestivi plagas
et adusta medius regna quae torret dies
utrimque montes solvit ac rupto obice
latam ruenti fecit Oceano viam.
post haec adortus nemoris opulenti domos
aurifera vigilis spolia serpentis tulit;
quid? saeva Lernae monstra, numerosum malum,
non igne demum vicit et docuit mori,
solitasque pennis condere obductis diem
petit ab ipsis nubibus Stymphalidas?
non vicit illum caelibis semper tori
regina gentis vidua Thermodontiae,
nec ad omne clarum facinus audaces manus
stabuli fugavit turpis Augei labor.
Quid ista prosunt? orbe defenso caret.
sensere terrae pacis auctorem suae
abesse: rursus prosperum ac felix scelus
virtus vocatur; sontibus parent boni,
ius est in armis, opprimit leges timor.
ante ora vidi nostra truculenta manu
natos paterni cadere regni vindices
ipsumque, Cadmi nobilis stirpem ultimam,
occidere, vidi regium capiti decus
cum capite raptum — quis satis Thebas fleat?
ferax deorum terra, quem dominum tremis?
e cuius arvis eque fecundo sinu
stricto iuventus orta cum ferro stetit
cuiusque muros natus Amphion Iove
struxit canoro saxa modulatu trahens,
in cuius urbem non semel divum parens

---

232 carcesii *E* 236 que *2 m. ex* qua *E* 237 abrupto *codd. correxit Gronovius* 238 et iam ruenti *A* 239 domos: os *2 m. ex* us *E* 243 pennis: e *2 m. ex* i *E* 248 stabuli *corr. ex* stabulis (*1 m?* stabuli Σ) *E.* — angaei: n *2 m. ex* u *E* 251 abesse terris *codd. correxit de Wilamowitz* 257 capitis *A* 259 tremit *A, 3 m. i. ras. ex* tremis *ut vid. E* (tremet Σ) 262 natus: us *i. ras. 2 m. E*

caelo relicto venit, haec quae caelites
recepit et quae fecit et (fas sit loqui)
fortasse faciet, sordido premitur iugo.
Cadmea proles atque Ophionium genus,
quo reccidistis? tremitis ignavum exulem,
suis carentem finibus, nostris gravem.
qui scelera terra quique persequitur mari
ac saeva iusta sceptra confringit manu
nunc servit absens fertque quae fieri vetat,
tenetque Thebas exul Herculeas Lycus.
sed non tenebit. aderit et poenas petet
subitusque ad astra emerget; inveniet viam
aut faciet. adsis sospes et remees precor
tandemque venias victor ad victam domum.

MEGARA

Emerge, coniunx, atque dispulsas manu
abrumpe tenebras; nulla si retro via
iterque clusum est, orbe diducto redi
et quidquid atra nocte possessum latet
emitte tecum. dirutis qualis iugis
praeceps citato flumini quaerens iter
quondam stetisti, scissa cum vasto impetu
patuere Tempe; pectore impulsus tuo
huc mons et illuc cessit et rupto aggere
nova cucurrit Thessalus torrens via:
talis, parentes liberos patriam petens,
erumpe rerum terminos tecum efferens,
et quidquid avida tot per annorum gradus
abscondit aetas redde et oblitos sui
lucisque pavidos ante te populos age.
indigna te sunt spolia, si tantum refers
quantum imperatum est. magna sed nimium loquor
ignara nostrae sortis. unde illum mihi

---

268 atque Ophionius (ophyon. *E*) cinis *E A correxit N. Heinsius adv. p. 216 (qui scripsit* Echionium genus) *cf. I, 112* 269 quo recidistis *A E 2 m.* quor excidistis *E 1 m. N 1 m.* (r *in neutro certum*) quorsum excidistis *M* quo decid. ς (*cf. l. s.*). — ignarum *E* 271 mari: i *ex* e (*1 m*?) *E* 272 confregit *A* 273 absens: *inter* s *et* e *eras.* c *vel* t *E* 277 adsiso sospes *E.* — remees tuis *A* 279 *sq. Megarae continuantur A* 279 depulsas *A* 280 tenebras: *prior* e *i. ras. 2 m. E.* — si vetito via *A* 284 fulmini *E* 287 cecidit *codd. correxi* 295 loquor *2 m. ex* locum *E*

quo te tuamque dexteram amplectar diem
reditusque lentos nec mei memores querar?
tibi, o deorum ductor, indomiti ferent
centena tauri colla; tibi, frugum potens,
secreta reddam sacra: tibi muta fide
longas Eleusin tacita iactabit faces.
tum restitutas fratribus rebor meis
animas et ipsum regna moderantem sua
florere patrem. si qua te maior tenet
clausum potestas, sequimur: aut omnes tuo
defende reditu sospes aut omnes trahe —
trahes nec ullus eriget fractos deus.
AMPH. O socia nostri sanguinis, casta fide
servans torum natosque magnanimi Herculis,
meliora mente concipe atque animum excita.
aderit profecto, qualis ex omni solet
labore, maior. MEG. Quod nimis miseri volunt
hoc facile credunt. AMPH. Immo quod metuunt nimis
numquam moveri posse nec tolli putant:
prona est timoris semper in peius fides.
MEG. Demersus ac defossus et toto insuper
oppressus orbe quam viam ad superos habet?
AMPH. Quam tunc habebat cum per arentem plagam
et fluctuantes more turbati maris
adit harenas bisque discedens fretum
et bis recurrens, cumque deserta rate
deprensus haesit Syrtium brevibus vadis
et puppe fixa maria superavit pedes.
MEG. Iniqua raro maximis virtutibus
fortuna parcit; nemo se tuto diu
periculis offerre tam crebris potest:
quem saepe transit casus, aliquando invenit.
Sed ecce saevus ac minas vultu gerens
et qualis animo est talis incessu venit
aliena dextra sceptra concutiens Lycus.

---

301 multa *A* 302 Eleusis *A* (Eleusi ς) eleus intacta *E, sed eras.* in. — iactabo *A* 306 omnis *E* 309 *novae scaenae* Amphitryon Megara *inscribitur A* 313 quod: o *ex* i *2 m. E* 315 amoveri *A* 316 *Megarae datur A.* — timori *A* timoris *Σ*, s *eras. E* 318 viam: a *add. 2 m. E* 321 abiit *A*, *2 m. ex* adit *E* adiit *Σ* (*cf. I, 18*) 324 superavit: avit *3 m. i. ras. 6 litt. E. fuisse videtur* habuit *quod extat in N et ita laesum ut aegre dinoscatur in M* 326 tuto: *prior* t *3 m. ex* p; o *i. ras.* (*ex* e?) *E*

LYCVS

Vrbis regens opulenta Thebanae loca
et omne quidquid uberi cingit solo
obliqua Phocis, quidquid Ismenos rigat,
quidquid Cithaeron vertice excelso videt,
non vetera patriae iura possideo domus
ignavus heres; nobiles non sunt mihi
avi nec altis inclitum titulis genus,
sed clara virtus: qui genus iactat suum,
aliena laudat. rapta sed trepida manu
sceptra obtinentur; omnis in ferro est salus:
quod civibus tenere te invitis scias
strictus tuetur ensis. alieno in loco
haut stabile regnum est; una sed nostras potest
fundare vires iuncta regali face
thalamisque Megara: ducet e genere inclito
novitas colorem nostra. non equidem reor
fore ut recuset ac meos spernat toros;
quod si impotenti pertinax animo abnuet,
stat tollere omnem penitus Herculeam domum.
invidia factum ac sermo popularis premet?
ars prima regni est posse † invidiam pati.
temptemus igitur, fors dedit nobis locum.
namque ipsa, tristi vestis obtentu caput
velata, iuxta praesides astat deos
laterique adhaeret verus Alcidae sator.
MEG. Quidnam iste, nostri generis exitium ac lues,
novi parat? quid temptat? LYC. O clarum trahens
a stirpe nomen regia, facilis mea
parumper aure verba patienti excipe.
si aeterna semper odia mortales gerant
nec coeptus umquam cedat ex animis furor,
sed arma felix teneat infelix paret,

et bina findens Isthmos exilis freta

332—336 *Megarae continuantur A* 332 urbis: i *2 m. ex* e *E* 333 ubere *E* 335 *post* 336 *E* 336 *delevit Peiperus* 337 *novae scaenae* Lycus Megara Amphitryon *inscribitur A* 341 *post* rapta *1 lit. erasa E* 343 tenere te: re te *eras., i. ras.* tur *2 m. E* (tenetur ς) 345 haut: h *add. 2 m. E* 347 thalamis Maegera ducet et g. i. *E* 352 fastum *A* 353 posse invidiam *E A* p. te *vel* ad inv. ς p. in inv. *Richterus. quae temptavi duplici ratione comprehenduntur*: posse rumores pati; plebis invidiam pati 354 locum nobis *E* 356 *om. E* 362 mortales agant *A*

nihil relinquent bella; tum vastis ager
squalebit arvis, subdita tectis face
altus sepultas obruet gentes cinis.
pacem reduci velle victori expedit,
victo necesse est — particeps regno veni;
sociemur animis, pignus hoc fidei cape:
continge dextram. quid truci vultu siles?
MEG. Egone ut parentis sanguine aspersam manum
fratrumque gemina caede contingam? prius
extinguet ortus, referet occasus diem,
pax ante fida nivibus et flammis erit
et Scylla Siculum iunget Ausonio latus,
priusque multo vicibus alternis fugax
Euripus unda stabit Euboica piger.
patrem abstulisti, regna, germanos, larem
patrium — quid ultra est? una res superest mihi
fratre ac parente carior, regno ac lare:
odium tui, quod esse cum populo mihi
commune doleo: pars quota ex illo mea est?
dominare tumidus, spiritus altos gere:
sequitur superbos ultor a tergo deus.
Thebana novi regna: quid matres loquar
passas et ausas scelera? quid geminum nefas
mixtumque nomen coniugis nati patris?
quid bina fratrum castra? quid totidem rogos?
riget superba Tantalis luctu parens
maestusque Phrygio manat in Sipylo lapis.
quin ipse torvum subrigens crista caput
Illyrica Cadmus regna permensus fuga
longas reliquit corporis tracti notas.
haec te manent exempla: dominare ut libet,
dum solita regni fata te nostri vocent.
LYC. Agedum efferatas rabida voces amove
et disce regum imperia ab Alcide pati.
ego rapta quamvis sceptra victrici geram
dextra regamque cuncta sine legum metu
quas arma vincunt, pauca pro causa loquar

---

368 reduci: i *i. ras. 3 litt. E* reducere Σ 370 sociemus animos *A* 377 vicibus: vic *i. ras. totid. litt. 3 m. E* 380 patriam *codd. correcti Buechelerus* 381 carior: or *i. r. 2—3 m. E, item N fort. ex* carir 383 ex isto *A*, st *2 m. i. ras. litt.* ll *E* exitio Σ 385 superbos victo *E A corr.* ς 392 quin: in *ex* im *2 m. E* 397 effrenatas, *ex* fren *i. ras. 2 m., E* (ς) 398 patri: r *expunct. E*

nostra. cruento cecidit in bello pater?
cecidere fratres? arma non servant modum;
nec temperari facile nec reprimi potest
stricti ensis ira, bella deléctat cruor.
sed ille regno pro suo, nos improba
cupidine acti? quaeritur belli exitus,
non causa. sed nunc pereat omnis memoria:
cum victor arma posuit, et victum decet
deponere odia. non ut inflexo genu
regnantem adores petimus: hoc ipsum placet
animo ruinas quod capis magno tuas;
es rege coniunx digna: sociemus toros.
MEG. Gelidus per artus vadit exangues tremor.
quod facinus aures pepulit? haut equidem horrui,
cum pace rupta bellicus muros fragor
circumsonaret, pertuli intrepide omnia:
thalamos tremesco; capta nunc videor mihi.
gravent catenae corpus et longa fame
mors protrahatur lenta: non vincet fidem
vis ulla nostram; moriar, Alcide, tua.
LYC. Animosne mersus inferis coniunx facit?
MEG. Inferna tetigit, posset ut supera assequi.
LYC. Telluris illum pondus immensae premit.
MEG. Nullo premetur onere, qui caelum tulit.
LYC. Cogere. MEG. Cogi qui potest nescit mori.
LYC. Effare potius, quod novis thalamis parem
Regale munus. MEG. Aut tuam mortem aut meam.
LYC. Moriere demens. MEG. Coniugi occurram meo.
LYC. Sceptrone nostro famulus est potior tibi?
MEG. Quot iste famulus tradidit reges neci.
LYC. Cur ergo regi servit et patitur iugum?
MEG. Imperia dura tolle: quid virtus erit?
LYC. Obici feris monstrisque virtutem putas?
MEG. Virtutis est domare quae cuncti pavent.
LYC. Tenebrae loquentem magna Tartareae premunt.
MEG. Non est ad astra mollis e terris via.
LYC. Quo patre genitus caelitum sperat domos?
AMPH. Miseranda coniunx Herculis magni, sile:

---

414 exanguis *E* 423 superna *E*, *sed* na *3 m. i. ras. lit.* a 425 premeretur: re *eras. E* 427 thal. quod n. potius *codd. correxit de Wilamowitz* 430 sceptroque *E A corr.* ς. — potior est famulus *A* 431 quot: t *ras. ex* d *E* 433 quid: i *ex* o (*1 m*?) *E* 438 penetrat domos *A*

partes meae sunt reddere Alcidae patrem
genusque verum. post tot ingentis viri
memoranda facta postque pacatum manu
quodcumque Titan ortus et labens videt,
post monstra tot perdomita, post Phlegram impio
sparsam cruore postque defensos deos
nondum liquet de patre? mentimur Iovem:
Iunonis odio crede. LYC. Quid violas Iovem?
mortale caelo non potest iungi genus.
AMPH. Communis ista pluribus causa est deis.
LYC. Famuline fuerant ante quam fierent dei?
AMPH. Pastor Pheraeos Delius pavit greges —
LYC. Sed non per omnes exul erravit plagas.
AMPH. Quem profuga terra mater errante edidit.
LYC. Num monstra saeva Phoebus aut timuit feras?
AMPH. Primus sagittas imbuit Phoebi draco.
LYC. Quam gravia parvus tulerit ignoras mala?
AMPH. E matris utero fulmine eiectus puer
mox fulminanti proximus patri stetit.
quid? qui gubernat astra, qui nubes quatit,
non latuit infans rupis Idaeae specu?
sollicita tanti pretia natales habent
semperque magno constitit nasci deum.
LYC. Quemcumque miserum videris, hominem scias.
AMPH. Quemcumque fortem videris, miserum neges.
LYC. Fortem vocemus cuius ex umeris leo,
donum puellae factus, et clava excidit
fulsitque pictum veste Sidonia latus?
fortem vocemus cuius horrentes comae
maduere nardo, laude qui notas manus
ad non virilem tympani movit sonum,
mitra ferocem barbara frontem premens?
AMPH. Non erubescit Bacchus effusos tener
sparsisse crines nec manu molli levem
vibrare thyrsum, cum parum forti gradu
auro decorum syrma barbarico trahit:
post multa virtus opera laxari solet.
LYC. Hoc Eurŷti fatetur eversi domus

---

440 meae hae sunt *A* 453 errantem dedit *A* erranti ς 454 non monstra, saevas *A* 456 *Amphitryoni continuant codd. correxit Gruterus* 460 rupis exesae *A* 461 pretia tanti *A* 474 vibrasse ς 475 barbaricum *A* 477 hoc teutantis (Teuthrantis hoc *Delrio*) ς *cf. Ov. her. 9, 51*

pecorumque ritu virginum oppressi greges;
hoc nulla Iuno, nullus Eurystheus iubet:
ipsius haec sunt opera. AMPH. Non nosti omnia:
ipsius opus est caestibus fractus suis
Eryx et Eryci iunctus Antaeus Libys,
et qui hospitali caede manantes foci
bibere iustum sanguinem Busiridis;
ipsius opus est vulneri et ferro invius
mortem coactus integer Cycnus pati
nec unus una Geryon victus manu.
eris inter istos — qui tamen nullo stupro
laesere thalamos. LYC. Quod Iovi hoc regi licet:
Iovi dedisti coniugem, regi dabit;
et te magistro non novum hoc discet nurus,
etiam viro probante meliorem sequi.
sin copulari pertinax taedis negat,
vel ex coacta nobilem partum feram.
MEG. Vmbrae Creontis et penates Labdaci
et nuptiales impii Oedipodae faces,
nunc solita nostro fata coniugio date.
nunc, nunc, cruentae regis Aegypti nurus,
adeste multo sanguine infectae manus.
dest una numero Danais: explebo nefas.
LYC. Coniugia quoniam pervicax nostra abnuis
regemque terres, sceptra quid possint scies.
complectere aras: nullus eripiet deus
te mihi, nec orbe si remolito queat
ad supera victor numina Alcides vehi.
congerite silvas: templa supplicibus suis
iniecta flagrent, coniugem et totum gregem
consumat unus igne subiecto rogus.
AMPH. Hoc munus a te genitor Alcidae peto,
rogare quod me deceat, ut primus cadam.
LYC. Qui morte cunctos luere supplicium iubet
nescit tyrannus esse: diversa inroga;
miserum veta perire, felicem iube.
ego, dum cremandis trabibus accrescit rogus,

---

479 *Lyci nota praefixa Σ, erasa E* 483 hospitalem caedem minantes *E*. — obvius *codd. correxit de Wilamowitz* 486 coactus ante Geryones pati *A* 490 dabis *codd. correxi* 497 vestro *E* 504 demolito *E* 508 subiecto locus *codd. correxit Avantius* 512 diversa in loca *E*

sacro regentem maria votivo colam.
AMPH. Pro numinum vis summa, pro caelestium
rector parensque, cuius excussis tremunt
humana telis, impiam regis feri
compesce dextram — quid deos frustra precor?
ubicumque es, audi, nate. cur subito labant
agitata motu templa? cur mugit solum?
audimur, est est sonitus Herculei gradus.

CHORVS

O Fortuna viris invida fortibus,
quam non aequa bonis praemia dividis.
'Eurystheus facili regnet in otio;
Alcmena genitus bella per omnia
monstris exagitet caeliferam manum:
serpentis resecet colla feracia,
deceptis referat mala sororibus,
cum somno dederit pervigiles genas
pomis divitibus praepositus draco.'
Intravit Scythiae multivagas domos
et gentes patriis sedibus hospitas,
calcavitque freti terga rigentia
et mutis tacitum litoribus mare.
illic dura carent aequora fluctibus,
et qua plena rates carbasa tenderant,
intonsis teritur semita Sarmatis.
stat pontus, vicibus mobilis annuis,
navem nunc facilis nunc equitem pati.
illic quae viduis gentibus imperat,
aurato religans ilia balteo,
detraxit spolium nobile corpori
et peltam et nivei vincula pectoris,
victorem posito suspiciens genu.
Qua spe praecipites actus ad inferos,
audax ire vias inremeabiles,
vidisti Siculae regna Proserpinae?

---

infernus imo sonuit e fundo fragor

---

515 votivo rogem *A* 522 *delevi* 523 en est *A* 526 Aurystheus *E* 529 ferocia *E A corr.* ς 536 multis *E A corr.* ς 538 tenderent *E* 546 suscipiens *E A corr.* ς 548 inremediabiles *E*

illic nulla noto nulla favonio
consurgunt tumidis fluctibus aequora;
non illic geminum Tyndaridae genus
succurrunt timidis sidera navibus:
stat nigro pelagus gurgite languidum,
et cum Mors avidis pallida dentibus
gentes innumeras manibus intulit,
uno tot populi remige transeunt.
Evincas utinam iura ferae Stygis
Parcarumque colos non revocabiles.
hic qui rex populis pluribus imperat,
bello cum peteres Nestoream Pylon,
tecum conseruit pestiferas manus
telum tergemina cuspide praeferens:
effugit tenui vulnere saucius
et mortis dominus pertimuit mori.
fatum rumpe manu, tristibus inferis
prospectus pateat lucis et invius
limes det faciles ad superos vias.
Immites potuit flectere cantibus
umbrarum dominos et prece supplici
Orpheus, Eurydicen dum repetit suam.
quae silvas et aves saxaque traxerat
ars, quae praebuerat fluminibus moras,
ad cuius sonitum constiterant ferae,
mulcet non solitis vocibus inferos
et surdis resonat clarius in locis.
deflent Eurydicen † Threiciae nurus,
deflent et lacrimis difficiles dei,
et qui fronte nimis crimina tetrica
quaerunt ac veteres excutiunt reos
flentes Eurydicen iuridici sedent.
tandem mortis ait 'vincimur' arbiter,
'evade ad superos, lege tamen data:
tu post terga tui perge viri comes,
tu non ante tuam respice coniugem,
quam cum clara deos obtulerit dies
Spartanique aderit ianua Taenari.'
odit verus amor nec patitur moras:

561 peteret *E A* (peterent) *corr.* ς 566 rumpere *E*, *sed* re *del.* — tristis et inferis *A* 571 recipit suam *A* 577 *post* 580 *po-* *A*. — Eurydicem *E*. — Tartareae nurus *Withofius praemet. p. 55* menides Threiciam nurum *B. Schmidtius obs. crit. p. 16*

munus dum properat cernere, perdidit.
Quae vinci potuit regia carmine,
haec vinci poterit regia viribus.

HERCVLES

O lucis almae rector et caeli decus,
qui alterna curru spatia flammifero ambiens
inlustre latis exeris terris caput,
da, Phoebe, veniam, si quid inlicitum tui
videre vultus: iussus in lucem extuli
arcana mundi. tuque, caelestum arbiter
parensque, visus fulmine opposito tege;
et tu, secundo maria qui sceptro regis,
imas pete undas. quisquis ex alto aspicit
terrena, facie pollui metuens nova,
aciem reflectat oraque in caelum erigat
portenta fugiens: hoc nefas cernant duo,
qui advexit et quae iussit. in poenas meas
atque in labores non satis terrae patent
Iunonis odio: vidi inaccessa omnibus,
ignota Phoebo quaeque deterior polus
obscura diro spatia concessit Iovi;
et, si placerent tertiae sortis loca,
regnare potui: noctis aeternae chaos
et nocte quiddam gravius et tristes deos
et fata vidi, morte contempta redi —
quid restat aliud? vidi et ostendi inferos.
da si quid ultra est, iam diu pateris manus
cessare nostras, Iuno; quae vinci iubes?
Sed templa quare miles infestus tenet
limenque sacrum terror armorum obsidet?

AMPHITRYON

Vtrumne visus vota decipiunt meos,
an ille domitor orbis et Graium decus
tristi silentem nubilo liquit domum?
estne ille natus? membra laetitia stupent.
o nate, certa at sera Thebarum salus,

590 cantibus *A* 594 laetis *A* 597 secreta mundi *A*. — caelestium *E* 607 quaque *E*. — polus: l *ex* p *1 m. E* 612 vici *codd. correxi* 614 tam diu *A* 615 quid *A* 618 Amphytrion. Hercules. Megera. Theseus *scaenae inscribitur E* H. A. Th. *A* (*ante 592* ς) 622 certa et sera *codd. correxit Gruterus* (*ad v. 1117*)

teneone in auras editum an vana fruor
deceptus umbra? tune es? agnosco toros
umerosque et alto nobilem trunco manum.
HERC. Vnde iste, genitor, squalor et lugubribus
amicta coniunx? unde tam foedo obsiti
paedore nati? quae domum clades gravat?
AMPH. Socer est peremptus, regna possedit Lycus,
natos parentem coniugem leto petit.
HERC. Ingrata tellus, nemo ad Herculeae domus
auxilia venit? vidit hoc tantum nefas
defensus orbis? — cur diem questu tero?
mactetur hostia, hanc ferat virtus notam
fiatque summus hostis Alcidae Lycus.
ad hauriendum sanguinem inimicum feror,
Theseu; resiste, ne qua vis subita ingruat.
me bella poscunt, differ amplexus, parens,
coniunxque differ. nuntiet Diti Lycus
me iam redisse.

THESEUS

Flebilem ex oculis fuga,
regina, vultum, tuque nato sospite
lacrimas cadentes reprime: si novi Herculem,
Lycus Creonti debitas poenas dabit.
lentum est dabit: dat; hoc quoque est lentum: dedit.
AMPH. Votum secundet qui potest nostrum deus
rebusque lapsis adsit. O magni comes
magnanime nati, pande virtutum ordinem,
quam longa maestos ducat ad manes via,
ut vincla tulerit dura Tartareus canis.
THES. Memorare cogis acta securae quoque
horrenda menti. vix adhuc certa est fides
vitalis aurae, torpet acies luminum
hebetesque visus vix diem insuetum ferunt.
AMPH. Pervince, Theseu, quidquid alto in pectore
remanet pavoris neve te fructu optimo
frauda laborum: quae fuit durum pati,
meminisse dulce est. fare casus horridos.

---

623 verumne cerno corpus an fallor tua | deceptus umbra? *A* 634 mactetur hostis *codd. correxi.* — hanc *usque ad* 636 feror *Theseo datur A* 646 lassis *E* 651 certa: a *ex* e *1 m. E* 654 pervincet *E.* — in *om. A* 655 *post* te *ras. 1 lit. E*

THES. Fas omne mundi teque dominantem precor
regno capaci teque quam amotam inrita
quaesivit Enna mater, ut iura abdita
et operta terris liceat impune eloqui.
Spartana tellus nobile attollit iugum,
densis ubi aequor Taenarus silvis premit;
hic ora solvit Ditis invisi domus
hiatque rupes alta et immenso specu
ingens vorago faucibus vastis patet
latumque pandit omnibus populis iter.
non caeca tenebris incipit primo via;
tenuis relictae lucis a tergo nitor
fulgorque dubius solis adflicti cadit
et ludit aciem: nocte sic mixta solet
praebere lumen primus aut serus dies.
hinc ampla vacuis spatia laxantur locis,
in quae omne versum properat humanum genus.
nec ire labor est; ipsa deducit via:
ut saepe puppes aestus invitas rapit,
sic pronus aer urguet atque avidum chaos,
gradumque retro flectere haut umquam sinunt
umbrae tenaces. intus immensi sinus
placido quieta labitur Lethe vado
demitque curas, neve remeandi amplius
pateat facultas, flexibus multis gravem
involvit amnem: qualis incertis vagus
Maeander undis ludit et cedit sibi
instatque dubius litus an fontem petat.
palus inertis foeda Cocyti iacet;
hic vultur, illic luctifer bubo gemit
omenque triste resonat infaustae strigis.
horrent opaca fronde nigrantes comae,
taxum imminentem qua tenet segnis Sopor
Famesque maesta tabido rictu iacet
Pudorque serus conscios vultus tegit.

---

659 quam tota inrita *codd. correxit Heimsoethius* 660 Aetna *codd. correxit Avantius* 661 loqui *E* 665 hiatque: at *2 m. i. ras. 3 litt.* (a ..) *E* 667 pandit: nd *1–2 m. i. ras. E* 671 et ludit aciem. tale non dubie solet *A* 674 mersum pereat *A* versum pereat *E correxi* 679 immenso sinu *A* (*genetivus ab* intus *pendet*) 680 Lethe: he *2 m. corr. ex* hos *ut vid. E* Lethes ς 683 incertis Σ *E*, *sed* i *ex* u *1 m.* incerta *A* 684 unda ludit *A* undis errat ludit *E* 689 *inter* horrent *et* opaca *1 lit. erasa E* 690 taxo imminente quam *codd. correxi* 691 iacens *codd. correxi*

Metus Pavorque furvus et frendens Dolor
aterque Luctus sequitur et Morbus tremens
et cincta ferro Bella; in extremo abdita
iners Senectus adiuvat baculo gradum.
AMPH. Estne aliqua tellus Cereris aut Bacchi ferax?
THES. Non prata viridi laeta facie germinant
nec adulta leni fluctuat Zephyro seges;
non ulla ramos silva pomiferos habet:
sterilis profundi vastitas squalet soli
et foeda tellus torpet aeterno situ.
immotus aer haeret et pigro sedet
nox atra mundo: cuncta maerore horrida
ipsaque morte peior est mortis locus.
AMPH. Quid ille opaca qui regit sceptro loca,
qua sede positus temperat populos leves?
THES. Est in recessu Tartari obscuro locus,
quem gravibus umbris spissa caligo alligat.
a fonte discors manat hinc uno latex,
alter quieto similis (hunc iurant dei)
tacente sacram devehens fluvio Styga;
at hic tumultu rapitur ingenti ferox
et saxa fluctu volvit Acheron invius
renavigari. cingitur duplici vado
adversa Ditis regia, atque ingens domus
umbrante luco tegitur. hic vasto specu
pendent tyranni limina, hoc umbris iter,
haec porta regni. campus hanc circa iacet,
in quo superbo digerit vultu sedens
animas recentes dira maiestas dei.
frons torva, fratrum quae tamen speciem gerat
gentisque tantae, vultus est illi Iovis,
sed fulminantis: magna pars regni trucis
est ipse dominus, cuius aspectus timet
quidquid timetur. AMPH. Verane est fama inferis
tam sera reddi iura et oblitos sui

---

rerumque maestus finis et mundi ultima

---

693 metusque pavorque *E*. — pavorque funus *codd. correxit de Wilamowitz* 695 extremo: o *ex* a *1 m. E* 697 Cerereris: *alterum* re *expunct. E*. — Bacchi tenax *A* 703 *delevit Wakefieldius (ad Lucr. VI, 1267)* 711 hic primo *in E esse N. Heinsius dicit (ep. Sab. I, 35). nihil enotavi* hinc imo ς 722 deo *A*. — *vulgo post* recentes *plene, post* dei (deo) *leniter interpunxunt (cf. I, 190)* 723 specimen *E A corr.* ς 726 aspectum *A* 728 reddit *E*

sceleris nocentes debitas poenas dare?
quis iste veri rector atque aequi arbiter?
THES. Non unus alta sede quaesitor sedens
iudicia trepidis sera sortitur reis.
aditur illo Cnosius Minos foro,
Rhadamanthus illo, Thetidis hoc audit socer.
quod quisque fecit, patitur; auctorem scelus
repetit suoque premitur exemplo nocens:
vidi cruentos carcere includi duces
et impotentis terga plebeia manu
scindi tyranni. quisquis est placide potens
dominusque vitae servat innocuas manus
et incruentum mitis imperium regit
animoque parcit, longa permensus diu
felicis aevi spatia vel caelum petit
vel laeta felix nemoris Elysii loca,
iudex futurus. sanguine humano abstine
quicumque regnas: scelera taxantur modo
maiore vestra. AMPH. Certus inclusos tenet
locus nocentes? utque fert fama, impios
supplicia vinclis saeva perpetuis domant?
THES. Rapitur volucri tortus Ixion rota;
cervice saxum grande Sisyphia sedet;
in amne medio faucibus siccis senex
sectatur undas, alluit mentum latex,
fidemque cum iam saepe decepto dedit,
perit unda in ore; poma destituunt famem.
praebet volucri Tityos aeternas dapes
urnasque frustra Danaides plenas gerunt;
errant furentes impiae Cadmeides
terretque mensas avida Phineas avis.
AMPH. Nunc ede nati nobilem pugnam mei.
patrui volentis munus an spolium refert?
THES. Ferale tardis imminet saxum vadis,
stupent ubi undae, segne torpescit fretum.
hunc servat amnem cultu et aspectu horridus
pavidosque manes squalidus vectat senex.

733 auditur *A*. — gnosius *codd. cf. v. 18* 734 hos *E* 741 regit: t *i. ras. (1 m?) E* 742 animaeque *E A corr.* ς 744 elysi *E* 747 nostra ς 751 sisyphea *codd.* 753 abluit *A E, sed* b *ex* l *2 m.* 757 ferunt *A* 759 terrentque mensas avidae fineas aves *E* 763 stupente ubi unda *A* 765 gestat senex *codd. correxit Des. Heraldus (adv. I c. 12 p. 74)*

inpexa pendet barba, deformem sinum
nodus coercet, concavae † squalent genae;
regit ipse longo portitor conto ratem.
hic onere vacuam litori puppem applicans
repetebat umbras; poscit Alcides viam
cedente turba; dirus exclamat Charon:
'quo pergis, audax? siste properantem gradum.'
non passus ullas natus Alcmena moras
ipso coactum navitam conto domat
scanditque puppem. cumba populorum capax
succubuit uni: sidit et gravior ratis
utrimque Lethen latere titubanti bibit.
tum victa trepidant monstra, Centauri truces
Lapithaeque multo in bella succensi mero;
Stygiae paludis ultimos quaerens sinus
fecunda mergit capita Lernaeus labor.
post haec avari Ditis apparet domus:
hic saevus umbras territat Stygius canis,
qui terna vasto capita concutiens sono
regnum tuetur. sordidum tabo caput
lambunt colubrae, viperis horrent iubae
longusque torta sibilat cauda draco.
par ira formae: sensit ut motus pedum,
attollit hirtas angue vibrato comas
missumque captat aure subrecta sonum,
sentire et umbras solitus. ut propior stetit
Iove natus, antro sedit incertus canis
leviterque timuit — ecce latratu gravi
loca muta terret; sibilat totos minax
serpens per armos. vocis horrendae fragor
per ora missus terna felices quoque
exterret umbras. solvit a laeva feros
tunc ipse rictus et Cleonaeum caput
opponit ac se tegmine ingenti tegit,
victrice magnum dextera robur gerens.

---

767 lucent genae *A. conieci:* fulgent (*cf. Verg. Aen. VI, 300*) 768 conto portitor longo *A* 769 vacuus *A* 770 repetebat undas *A* 776 sedit *codd. correxit Gronovius* 777 titubato *A* 778 tunc vasta trepidant *A* 779 in *om. A* 782 avariditis: idit *per ras. corr. 1—2 m.* (t *ex* l?) *E* diris *N* 783 umbras: mbr *i. ras. 4 litt. 1 m. E* 784 trina *E cf. I, 12* 786 horrentes *E, sed* es *expunct.* 788 per ira *E* 790 subiecta *A* 793 et uterque timuit *codd. correxit Madvigius adv. I p. 115* 797 ferox *E* 799 ingenti clepit *A*

huc nunc et illuc verbere assiduo rotat,
ingeminat ictus. domitus infregit minas
et cuncta lassus capita summisit canis
antroque toto cessit. extimuit sedens
uterque solio dominus et duci iubet;
me quoque petenti munus Alcidae dedit.
Tum gravia monstri colla permulcens manu
adamante texto vincit; oblitus sui
custos opaci pervigil regni canis
componit aures timidus et patiens trahi
erumque fassus, ore summisso obsequens,
utrumque cauda pulsat anguifera latus.
postquam est ad oras Taenari ventum et nitor
percussit oculos lucis ignotae novus,
resumit animos victus et vastas furens
quassat catenas; paene victorem abstulit
pronumque retro vexit et movit gradu.
tunc et meas respexit Alcides manus;
geminis uterque viribus tractum canem
ira furentem et bella temptantem inrita
intulimus orbi. vidit ut clarum diem
et pura nitidi spatia conspexit poli,
compressit oculos et diem invisum expulit
faciemque retro flexit atque omni petit
cervice terram; tum sub Herculeas caput
abscondit umbras. densa sed laeto venit
clamore turba frontibus laurum gerens
magnique meritas Herculis laudes canit.

CHORVS

Natus Eurystheus properante partu
iusserat mundi penetrare fundum:
derat hoc solum numero laborum,
tertiae regem spoliare sortis.
ausus es caecos aditus inire,

---

oborta nox est, lumina in terram dedit

---

801 assiduo: sid *i. ras. 1 m. ut vid. E* 802 minas: s *1* ex x *E* 807 tunc *A* 808 vinxit ς 814 bonos *A* bono *rexit Buechelerus* (novos *Rutgersius V. L. p. 494*) 815 vi 816 vectorem ς 821 clarum aethera *A* 823 *delevit Bothius* comspexit oculos *E* 825 aciemque *codd. correxit Bothius* herculea *A* 827 umbra *A* 834 est *A*

ducit ad manes via qua remotos
tristis et nigra metuenda silva,
sed frequens magna comitante turba.
Quantus incedit populus per urbes
ad novi ludos avidus theatri,
quantus Eleum ruit ad Tonantem,
quinta cum sacrum revocavit aestas;
quanta, cum longae redit hora nocti
crescere et somnos cupiens quietos
libra Phoebeos tenet aequa currus,
turba secretam Cererem frequentat
et citi tectis properant relictis
Attici noctem celebrare mystae:
tanta per campos agitur silentes
turba; pars tarda graditur senecta,
tristis et longa satiata vita;
pars adhuc currit melioris aevi:
virgines nondum thalamis iugatae
et comis nondum positis ephebi
matris et nomen modo doctus infans.
his datum solis, minus ut timerent,
igne praelato relevare noctem;
ceteri vadunt per opaca tristes.
qualis est vobis animus, remota
luce cum maestus sibi quisque sensit
obrutum tota caput esse terra?
stat chaos densum tenebraeque turpes
et color noctis malus ac silentis
otium mundi vacuaeque nubes.
Sera nos illo referat senectus:
nemo ad id sero venit, unde numquam,
cum semel venit, potuit reverti;
quid iuvat durum properare fatum?
omnis haec magnis vaga turba terris
ibit ad manes facietque inerti
vela Cocyto: tibi crescit omne,
et quod occasus videt et quod ortus
— parce venturis — tibi, mors, paramur.

---

836 silva metuenda nigra *A* 840 qualis *EA corr.* ς. — currit (coit *Avantius*) ς 842 noctis *A* 844 thebeos *E* 846 scite (Scythae) ς 849 gradiens *A* 858 nobis *A vulgo, ut subdistinctio post 857, finalis post 860 ponatur. cf. I, 33* 870 crescet *E*

sis licet segnis, properamus ipsi:
prima quae vitam dedit hora, carpit.
Thebis laeta dies adest.
aras tangite supplices,
pingues caedite victimas;
permixtae maribus nurus
sollemnes agitent choros;
cessent deposito iugo
arvi fertilis incolae.
Pax est Herculea manu
Auroram inter et Hesperum,
et qua sol medium tenens
umbras corporibus negat;
quodcumque alluitur solum
longo Tethyos ambitu,
Alcidae domuit labor.
transvectus vada Tartari
pacatis redit inferis;
iam nullus superest timor:
nil ultra iacet inferos.
Stantes sacrificus comas
dilecta tege populo.

HERCVLES

Victrice dextra fusus adverso Lycus
terram cecidit ore; tum quisquis comes
fuerat tyranni iacuit et poenae comes.
nunc sacra patri victor et superis feram
caesisque meritas victimis aras colam.
Te te laborum socia et adiutrix precor,
belligera Pallas, cuius in laeva ciet
aegis feroces ore saxifico minas;
adsit Lycurgi domitor et rubri maris,
tectam virente cuspidem thyrso gerens,
geminumque numen Phoebus et Phoebi soror:
soror sagittis aptior, Phoebus lyrae;
fraterque quisquis incolit caelum meus

874 carpsit *A* 875 Chorus *praemittitur E.* — *coniuncti bini versus praeter primum, qui uncialibus scriptus est, et duo novissimos E.* — 875—877 *adfert Terentianus v. 2673 sq.*, 875 *iterum v. 2786* 876 aram *Terent. ed. pr.* 878 matribus *E* 886 abluitur *A* 895 Hercules. Amphytrion. Megera. Chorus *scaenae inscribit E* H. Theseus A. M. *A cf. I, 84.* — ultrice *A.* — adversam *A* 896 tunc *E* 899 victimis sacra scolam *E* 902 minas: s *ex* x *1 m. E* 903 ligurgi *E* 904 virenti *A*

non ex noverca frater. huc appellite
greges opimos; † quidquid Indorum seges
Arabesque odoris quidquid arboribus legunt
conferte in aras, pinguis exundet vapor.
populea nostras arbor exornet comas,
te ramus oleae fronde gentili tegat,
Theseu; Tonantem nostra adorabit manus,
tu conditores urbis et silvestria
trucis antra Zethi, nobilis Dircen aquae
laremque regis advenae Tyrium coles.
date tura flammis. AMPH. Nate, manantes prius
manus cruenta caede et hostili expia.
HERC. Vtinam cruore capitis invisi deis
libare possem: gratior nullus liquor
tinxisset aras; victima haut ulla amplior
potest magisque opima mactari Iovi,
quam rex iniquus. AMPH. Finiat genitor tuos
opta labores, detur aliquando otium
quiesque fessis. HERC. Ipse concipiam preces
Iove meque dignas. stet suo caelum loco
tellusque et aequor; astra inoffensos agant
aeterna cursus. alta pax gentes alat;
ferrum omne teneat ruris innocui labor
ensesque lateant. nulla tempestas fretum
violenta turbet, nullus irato Iove
exiliat ignis, nullus hiberna nive
nutritus agros amnis eversos trahat.
venena cessent, nulla nocituro gravis
suco tumescat herba. non saevi ac truces
regnent tyranni; si quod etiamnum est scelus
latura tellus, properet, et si quod parat
monstrum, meum sit. sed quid hoc? medium diem
cinxere tenebrae. Phoebus obscuro meat
sine nube vultu. quis diem retro fugat
agitque in ortus? unde nox atrum caput
ignota profert? unde tot stellae polum

909 q. Ind. genus *Withofius praem. p. 78.* q. Indi arvis secant *B. Schmidtius obs. crit. p. 19. ego de lacuna post v. 909 cogitavi sic fere explenda:* [praestat colonis igne propioris dei] 915 THE. dii conditores *A* 916 nobiles Dirces aquas *A* 917 colis *A* 918 HERC. d. t. f. AMPH. n. m. p. *A* 920 cruorem *A* 922 aut *E* 924 tuus *E A corr.* ς 926 quiesqꝫ *E, sed* ꝫ *2 m., dein ras. 1 lit. E. item v. 927* meque 928 et aether *codd. correxit N. Heinsius adv. p. 222* 937 etiamnunc scelus ς 941 fugiat *E, sed* i *expunct. 1 m.*

implent diurnae? primus en noster labor
caeli refulget parte non minima leo
iraque totus fervet et morsus parat.
iam rapiet aliquod sidus: ingenti minax
stat ore et ignes efflat et rutila iubam
cervice iactans quidquid autumnus gravis
hiemsque gelido frigida spatio refert
uno impetu transiliet et verni petet
frangetque tauri colla. AMPH. Quod subitum hoc malum est?
quo, nate, vultus huc et huc acres refers
acieque falsum turbida caelum vides?
HERC. Perdomita tellus, tumida cesserunt freta,
inferna nostros regna sensere impetus:
immune caelum est, dignus Alcide labor.
in alta mundi spatia sublimis ferar,
petatur aether — astra promittit pater.
quid, si negaret? non capit terra Herculem
tandemque superis reddit. en ultro vocat
omnis deorum coetus et laxat fores,
una vetante. recipis et reseras polum?
an contumacis ianuam mundi traho?
dubitatur etiam? vincla Saturno exuam
contraque patris impii regnum impotens
avum resolvam; bella Titanes parent,
me duce furentes; saxa cum silvis feram
rapiamque dextra plena Centauris iuga.
iam monte gemino limitem ad superos agam:
videat sub Ossa Pelion Chiron suum,
in caelum Olympus tertio positus gradu
perveniet aut mittetur. AMPH. Infandos procul
averte sensus; pectoris sani parum
magni tamen compesce dementem impetum.
HERC. Quid hoc? Gigantes arma pestiferi movent.
profugit umbras Tityos ac lacerum gerens
et inane pectus quam prope a caelo stetit.
labat Cithaeron, alta Pellene tremit
Macetumque Tempe. rapuit hic Pindi iuga,
hic rapuit Oeten, saevit horrendum Mimans.

---

947 rapiat *E* 948 rutilat *A* rutilam: m *ex* t *1 m. E* *correxit Lipsius* 952 colla *i. ras. 1 m. E* 953 huc et illuc ς 957 dignus: s *ex* m *1 m. E.* — Alcidae *vulgo* 963 vetante recipi. sed *E* 976 pestifera *A* 977 Tityus *A* 979 Pallene *A* 980 marcentque Tempe *A* 981 minans *E A* Mimas *Avantius*

flammifera Erinys verbere excusso sonat
rogisque adustas propius ac propius sudes
in ora tendit; saeva Tisiphone, caput
serpentibus vallata, post raptum canem
portam vacantem clausit opposita face —
sed ecce proles regis inimici latet,
Lyci nefandum semen: inviso patri
haec dextra iam vos reddet. excutiat leves
nervus sagittas — tela sic mitti decet
Herculea. AMPH. Quo se caecus impegit furor?
vastum coactis flexit arcum cornibus
pharetramque solvit, stridet emissa impetu
harundo — medio spiculum collo fugit
vulnere relicto. HERC. Ceteram prolem eruam
omnesque latebras. quid moror? maius mihi
bellum Mycenis restat, ut Cyclopia
eversa manibus saxa nostris concidant.
huc eat et illuc valva deiecto obice
rumpatque postes; culmen impulsum labet.
perlucet omnis regia: hic video abditum
natum scelesti patris. AMPH. En blandas manus
ad genua tendens voce miseranda rogat —
scelus nefandum, triste et aspectu horridum!
dextra precantem rapuit et circa furens
bis ter rotatum misit; ast illi caput
sonuit, cerebro tecta disperso madent.
at misera, parvum protegens natum sinu,
Megara furenti similis e latebris fugit.
HERC. Licet tonantis profuga condaris sinu,
petet undecumque temet haec dextra et feret.
AMPH. Quo misera pergis? quam fugam aut latebram petis?
nullus salutis Hercule infesto est locus.
amplectere ipsum potius et blanda prece
lenire tempta. MEG. Parce iam, coniunx, precor,
agnosce Megaram. natus hic vultus tuos
habitusque reddit; cernis, ut tendat manus?
HERC. Teneo novercam. sequere, da poenas mihi

---

984 Tesiphone ς (tysifone *E*) 989 levis *E* 991 invergit *A* 993 paretramque *E* (h *addit 2 m.*). — stridit *A* 994 medium *E* 996 omnisque *E* 997 Cyclopea *E A* 999 et *om. E.* — aula *codd. correxit Badenius.* — disiecto *A* 1000 columen *A* 1001 procumbat omnis *A* 1005 precante *E* 1012 latebras *A* 1015 cognunx *E* 1017 tendam *E* 1018 renuo nov. ς

iugoque pressum libera turpi Iovem;
sed ante matrem parvulum hoc monstrum occidat.
MEG. Quo tendis amens? sanguinem fundes tuum?
AMPH. Pavefactus infans igneo vultu patris
perit ante vulnus, spiritum eripuit timor.
in coniugem nunc clava libratur gravis —
perfregit ossa, corpori trunco caput
abest nec usquam est. cernere hoc audes, nimis
vivax senectus? si piget luctus, habes
mortem paratam: pectus in tela indue,
vel stipitem istuc caede nostrorum inlitum
converte. falsum ac nomini turpem tuo
remove parentem, ne tuae laudi obstrepat.
CHOR. Quo te ipse, senior, obvium morti ingeris?
quo pergis amens? profuge et obtectus late
unumque manibus aufer Herculeis scelus.
HERC. Bene habet, pudendi regis excisa est domus.
tibi hunc dicatum, maximi coniunx Iovis,
gregem cecidi; vota persolvi libens
te digna, et Argos victimas alias dabit.
AMPH. Nondum litasti, nate: consumma sacrum.
stat ecce ad aras hostia, expectat manum
cervice prona; praebeo occurro insequor:
macta — quid hoc est? errat acies luminum
visusque marcor hebetat; an video Herculis
manus trementes? vultus in somnum cadit
et fessa cervix capite summisso labat;
flexo genu iam totus ad terram ruit,
ut caesa silvis ornus aut portum mari
datura moles. vivis an leto dedit
idem tuos qui misit ad mortem furor?
sopor est: reciprocos spiritus motus agit.
detur quieti tempus, ut somno gravi
vis victa morbi pectus oppressum levet.
removete, famuli, tela, ne repetat furens.

1020 monstrum auferam *A* 1021 *Herculi datur E.* — fundens ς 1022 *personae notam om. E.* — igneo infans *E* 1023 rapuit *A* 1024 coniuge *E* 1026 usquam: s *ex* m *1 m. E* 1029 istum *codd. correxi.* — caede monstrorum *codd. correxit B. Schmidtius obs. crit. p. 23* 1031 obstrepat *ex* obsteprat *1 m. E* 1032 *Theseī nomen praefigitur E A corr. M* (*cf. I, 83 sq.*). — ipse genitor *A* 1033 latet *E* 1041 praebe *E* 1043 maeror *A* maemor *E correxit de Wilamowitz* 1047 portus *A* 1050 spiritus in ortus *E* 1051 gravis *A*

CHORVS

Lugeat aether magnusque parens
aetheris alti tellusque ferax
et vaga ponti mobilis unda,
tuque ante omnes qui per terras
tractusque maris fundis radios
noctemque fugas ore decoro,
fervide Titan: obitus pariter
tecum Alcides vidit et ortus
novitque tuas utrasque domos.
Solvite tantis animum monstris,
solvite superi, caecam in melius
flectite mentem. tuque, o domitor
Somne malorum, requies animi,
pars humanae melior vitae,
volucre o matris genus Astraeae,
frater durae languide Mortis,
veris miscens falsa, futuri
certus et idem pessimus auctor,
pax errorum, portus vitae,
lucis requies noctisque comes,
qui par regi famuloque venis,
pavidum leti genus humanum
cogis longam discere noctem:
placidus fessum lenisque fove,
preme devinctum torpore gravi;
sopor indomitos alliget artus
nec torva prius pectora linquat,
quam mens repetat pristina cursum.
En fusus humi saeva feroci
corde volutat somnia: nondum est
tanti pestis superata mali;
clavaeque gravi lassum solitus
mandare caput quaerit vacua
pondera dextra, motu iactans
bracchia vano. nec adhuc omnes
expulit aestus, sed ut ingenti

1057 omnis *E* 1064 solvite o superi *E*. — rectam in melius *codd. correxit Withofius praem. p. 92* 1068 volucer matris *codd.* (volucre ς) *correxi* 1070 futuris *E* 1072 pater o rerum *codd. correxit de Wilamowitz* 1076 discere mortem *codd. correxit I. Douza* (*v. Delrio ad v.*) 1077 *ante 1075 A.* — foves ς 1078 devictum *E A correxit Gronovius* (*cf. 22*). — corpore *E* 1082 infusus *E* 1083 voluat *E* 1088 omnis *E*

vexata noto servat longos
unda tumultus et iam vento
cessante tumet * * pelle insanos
fluctus animi, redeat pietas
virtusque viro. vel sit potius
mens vesano concita motu:
error caecus qua coepit eat;
solus te iam praestare potest
furor insontem: proxima puris
sors est manibus nescire nefas.
Nunc Herculeis percussa sonent
pectora palmis, mundum solitos
ferre lacertos verbera pulsent
victrice manu; gemitus vastos
audiat aether, audiat atri
regina poli vastisque ferox
qui colla gerit vincta catenis
imo latitans Cerberus antro;
resonet maesto clamore chaos
latique patens unda profundi:
pectora tantis obsessa malis
non sunt ictu ferienda levi,
uno planctu tria regna sonent.
et tu collo decus ac telum
suspensa diu, fortis harundo,
pharetraeque graves, date saeva fero
verbera tergo; caedant umeros
robora fortes stipesque potens
duris † oneret pectora nodis:
plangant tantos arma dolores.
Ite infaustum genus, o pueri,
noti per iter triste laboris,
non vos patriae laudis comites
ulti saevos vulnere reges,
non Argiva membra palaestra

et qui medius tua tela tamen | senserat aer.

1092 *post* tumet *lacunam agnovit Withofius praem. p. 95. interiit apodosis qualis est:* [sic pristina adhuc quatit ira virum] regia *E*. — vastusque *E* 1110. 1111 *delevit B. Schmidtius* (*cf. I, 102*). — melius *A*. — aether *A* 1117 pharetraeque leves *A* 1120 *conieci:* laceret *post* 1121 *traieci v. 1135. 1136* (*cf. I, 103 sq.*) 1123 Vilisceuos *E* ulti saevo *A*

flectere docti fortes caestu
fortesque manu (1130) nondumque ferae
terga iubatae * * iam tamen ausi
telum Scythicis leve corytis
missum certa librare manu
tutosque fuga figere cervos:
ite ad Stygios, umbrae, portus
ite, innocuae, quas in primo
limine vitae scelus oppressit
patriusque furor:
ite, iratos visite reges.

HERCVLES

Quis hic locus, quae regio, quae mundi plaga?
ubi sum? sub ortu solis, an sub cardine
glacialis ursae? numquid Hesperii maris
extrema tellus hunc dat Oceano modum?
quas trahimus auras? quod solum fesso subest?
certe redimus — unde prostrata ad domum
video cruenta corpora? an nondum exuit
simulacra mens inferna? post reditus quoque
oberrat oculis turba feralis meis?
pudet fateri: paveo; nescio quod mihi,
nescio quod animus grande praesagit malum.
ubi es, parens? ubi illa natorum grege
animosa coniunx? cur latus laevum vacat
spolio leonis? quonam abit tegimen meum
idemque somno mollis Herculeo torus?
ubi tela? ubi arcus? arma quis vivo mihi
detrahere potuit? spolia quis tanta abstulit
ipsumque quis non Herculis somnum horruit?
libet meum videre victorem, libet.
exurge, virtus, quem novum caelo pater
genuit relicto, cuius in fetu stetit
nox longior quam nostra — quod cerno nefas?
nati cruenta caede confecti iacent,

1125 fl. forti fortes *et* fortes forti ς 1126 *interposui v. 1130, sententiae hoc fere deesse ratus*: [vulnere gaesi frangere torti] *cf. I, 104* 1127 Scythici leve coryti *A* 1137 visere ς 1138 Herc. Amph. Thes. *scaenae inscriptum* 1140 glatiali *E* 1143 prostrata domo *codd. correxit B. Schmidtius obs. crit. p. 25* 1146 oborrat *E*. — oculos t. f. meos *A* 1147 quid ς 1149 ubi est *A* 1150 cur en latus *E* 1151 tegmen ς 1155 qui non *E* 1157 exurge victor *A* 1158 cuius incestu *A*

perempta coniunx. quis Lycus regnum obtinet
Hercule reverso? quisquis Ismeni loca,
Actaea quisquis arva, qui gemino mari
pulsata Pelopis regna Dardanii colis,
succurre, saevae cladis auctorem indica.
ruat ira in omnes: hostis est quisquis mihi
non monstrat hostem. victor Alcidae, lates?
procede, seu tu vindicas currus truces
Thracis cruenti sive Geryonae pecus
Libyaeve dominos, nulla pugnandi mora est.
en nudus asto; vel meis armis licet
petas inermem. cur meos Theseus fugit
paterque vultus? ora cur condunt sua?
differte fletus; quis meos dederit neci
omnes simul, profare — quid, genitor, siles?
at tu ede, Theseu, sed tua, Theseu, fide.
uterque tacitus ora pudibunda obtegit
furtimque lacrimas fundit. in tantis malis
quid est pudendum? numquid Argivae impotens
dominator urbis, numquid infestum Lyci
pereuntis agmen clade nos tanta obruit?
per te meorum facinorum laudem precor,
genitor, tuique nominis semper mihi
numen secundum, fare. quis fudit domum?
cui praeda iacui? AMPH. Tacita sic abeant mala.
HERC. Vt inultus ego sim? AMPH. Saepe vindicta obfuit.
HERC. Quisquamne segnis tanta toleravit mala?
AMPH. Maiora quisquis timuit. HERC. His etiam, pater,
quicquam timeri maius aut gravius potest?
AMPH. Cladis tuae pars ista quam nosti quota est?
HERC. Miserere, genitor, supplices tendo manus.
quid hoc? manus refugit — hic errat scelus.
unde hic cruor? quid illa puerili madens
harundo leto? tincta Lernaea est nece —
iam tela video nostra. non quaero manum.
quis potuit arcum flectere aut quae dextera

---

quis tanta Thebis scelera moliri ausus est

1162 *delevi cf. I p.* VII 1167 ruatur in omnis E 1170 sivergeryone *E* sive Geryonis *A* 1175 defer tellus *E* 1176 omnis *E* 1177 aut tuae de Th. *E* 1180 potens *A* 1188 tolerabit *E* 1195 lernae *E*. — est *addidi*

sinuare nervum vix recedentem mihi?
ad vos revertor; genitor, hoc nostrum est scelus?
tacuere — nostrum est. AMPH. Luctus est istic tuus,
crimen novercae: casus hic culpa caret.
HERC. Nunc parte ab omni, genitor, iratus tona,
oblite nostri vindica sera manu
saltem nepotes. stelliger mundus sonet
flammasque et hic et ille iaculetur polus;
rupes ligatum Caspiae corpus trahant
atque ales avida — cur Promethei vacant
scopuli? vacat cur vertice immenso feras
volucresque pascens Caucasi abruptum latus
nudumque silvis? illa quae pontum Scythen
Symplegas artat hinc et hinc vinctas manus
distendat alto, cumque revocata vice
in se coibunt saxaque in caelum expriment
actis utrimque rupibus medium mare,
ego inquieta montium iaceam mora.
quin structum acervans nemore congesto aggerem
cruore corpus impio sparsum cremo?
sic, sic agendum est: inferis reddam Herculem.
AMPH. Nondum tumultu pectus attonito carens
mutavit iras quodque habet proprium furor,
in se ipse saevit. HERC. Dira Furiarum loca
et inferorum carcer et sonti plaga
decreta turbae — si quod exilium latet
ulterius Erebo, Cerbero ignotum et mihi:
hoc me abde, tellus; Tartari ad finem ultimum
mansurus ibo. pectus o nimium ferum!
quis vos per omnem, liberi, sparsos domum
deflere digne poterit? hic durus malis
lacrimare vultus nescit. huc arcum date,
date huc sagittas, stipitem huc vastum date.
tibi tela frangam nostra, tibi nostros, puer,
rumpemus arcus; at tuis stipes gravis
ardebit umbris; ipsa Lernaeis frequens
pharetra telis in tuos ibit rogos:

1198 nervos *E*. — paene cedentem ς 1208 paretur vertice *A* vagetur v. *E correxi* 1210 scythem *E* 1217 cremem ς 1219 attonitum caret *A* 1223 turbae et si *A* 1225 huc *A* 1229 huc ensem date *codd. correxit Withofius praem. p. 121* 1230 *om. E* 1232 ac tuis *A*

dent arma poenas. vos quoque infaustas meis
cremabo telis, o novercales manus.
AMPH. Quis nomen usquam sceleris errori addidit?
HERC. Saepe error ingens sceleris obtinuit locum.
AMPH. Nunc Hercule opus est: perfer hanc molem mali.
HERC. Non sic furore cessit extinctus pudor,
populos ut omnes impio aspectu fugem.
arma, arma, Theseu, flagito propere mihi
subtracta reddi — sana si mens est mihi,
referte manibus tela; si remanet furor,
pater, recede: mortis inveniam viam.
AMPH. Per sancta generis sacra, per ius nominis
utrumque nostri, sive me altorem vocas
seu tu parentem, perque venerandos piis
canos, senectae parce desertae, precor,
annisque fessis; unicum lapsae domus
firmamen, unum lumen afflicto malis
temet reserva. nullus ex te contigit
fructus laborum; semper aut dubium mare
aut monstra timui; quisquis in toto furit
rex saevus orbe, manibus aut aris nocens,
a me timetur; semper absentis pater
fructum tui tactumque et aspectum peto.
HERC. Cur animam in ista luce detineam amplius
morerque nil est: cuncta iam amisi bona,
mentem arma famam coniugem natos manus,
etiam furorem. nemo polluto queat
animo mederi: morte sanandum est scelus.
AMPH. Perimes parentem. HERC. Facere ne possim, occidam.
AMPH. Genitore coram? HERC. Cernere hunc docui nefas.
Hoc derat unum Phrygibus eversis malum,
gaudere — flagrant strata passim Pergama:
o coniugale tempus! an quisquam audeat
negare? quisquam dubius ad thalamos eat,
quos Helena suadet? pestis exitium lues
utriusque populi, cernis hos tumulos ducum
et nuda totis ossa quae passim iacent
inhumata campis? haec hymen sparsit tuus.
tibi fluxit Asiae, fluxit Europae cruor,
cum dimicantes laeta prospiceres viros,
incerta voti — perge, thalamos appara.
taedis quid opus est quidve solemni face?
quid igne? thalamis Troia praelucet novis.

---

868 fidenter ipsi *A* 869 metu *om. E* 870 auctores *A* 872 melius *E* 877. 878 *loca mutare iussit Sweboda* 878 Th. iacent *A* 879 thethis *E* 880 *om. E* 884 horrentis *E* 891 deuius *E* 893 hoc *E* 895 ymen *E* 897 lenta *A* 900 nobis *E*

celebrate Pyrrhi, Troades, conubia,
celebrate digne: planctus et gemitus sonet.
HEL. Ratione quamvis careat et flecti neget
magnus dolor sociosque nonnumquam sui
maeroris ipsos oderit: causam tamen
possum tueri iudice infesto meam,
graviora passa. luget Andromacha Hectorem
et Hecuba Priamum: solus occulte Paris
lugendus Helenae est. durum et invisum et grave est
servitia ferre? patior hoc olim iugum,
annis decem captiva. prostratum Ilium est,
versi penates? perdere est patriam grave,
gravius timere. vos levat tanti mali
comitatus: in me victor et victus furit.
quam quisque famulam traheret incerto diu
casu pependit: me meus traxit statim
sine sorte dominus. causa bellorum fui
tantaeque Teucris cladis? hoc verum puta,
Spartana puppis vestra si secuit freta;
sin rapta Phrygiis praeda remigibus fui
deditque donum iudici victrix dea,
ignosce praedae. iudicem iratum mea
habitura causa est: ista Menelaum manent
arbitria. nunc hanc luctibus paulum tuis,
Andromacha, omissis flecte — vix lacrimas queo
retinere. ANDR. Quantum est Helena quod lacrimat malum.
cur lacrimat autem? fare quos Ithacus dolos,
quae scelera nectat; utrum ab Idaeis iugis
iactanda virgo est, arcis an celsae edito
mittenda saxo? num per has vastum in mare
volvenda rupes, latere quas scisso levat
altum vadoso Sigeon spectans sinu?
dic, fare, quidquid subdolo vultu tegis.
leviora mala sunt cuncta, quam Priami gener
Hecubaeque Pyrrhus. fare, quam poenam pares
exprome et unum hoc deme nostris cladibus,

---

902 digni ς. — sonent *A* 914 victus et victor *A* 916 trahit *E* 918 tantaque teucris clades *E* 919 spartana puppe vestra si secui freta *E* 920 phygiis *E* 922 ignosce Paridi *codd. correxi cf. I, 222.* — iratum puta *A* 923 istam mille navium manent *sic E*, 924 arbitrix *E* 925 flete *E* 931 qua *E* 932 altum vadosos Sigeon spectans sinus *A* altum vadoso sigaeo spectans sinum *E correxit Gronovius*

falli: paratas perpeti mortem vides.
HEL. Vtinam iuberet me quoque interpres deum
abrumpere ense lucis invisae moras
vel Achillis ante busta furibunda manu
occidere Pyrrhi, fata comitantem tua,
Polyxene miseranda, quam tradi sibi
cineremque Achilles ante mactari suum,
campo maritus ut sit Elysio, iubet.
ANDR. Vide ut animus ingens laetus audierit necem.
cultus decoros regiae vestis petit
et admoveri crinibus patitur manum.
mortem putabat illud, hoc thalamos putat.
at misera luctu mater audito stupet;
labefacta mens succubuit. assurge, alleva
animum et cadentem, misera, firma spiritum.
quam tenuis anima vinculo pendet levi —
minimum est quod Hecubam facere felicem potest.
spirat, revixit. prima mors miseros fugit.

HECVBA

Adhuc Achilles vivit in poenas Phrygum?
adhuc rebellat? o manum Paridis levem.
cinis ipse nostrum sanguinem ac tumulus sitit.
modo turba felix latera cingebat mea,
lassabar in tot oscula et tantum gregem
dividere matrem; sola nunc haec est super
votum, comes, levamen afflictae, quies;
haec totus Hecubae fetus, hac sola vocor
iam voce mater. dura et infelix age
elabere anima, denique hoc unum mihi
remitte funus. inrigat fletus genas
imberque victo subitus e vultu cadit.
ANDR. Nos Hecuba, nos, nos, Hecuba, lugendae sumus,
quas mota classis huc et huc sparsas feret;
hanc cara tellus sedibus patriis teget.
HEL. Magis invidebis, si tuam sortem scies.
ANDR. An aliqua poenae pars meae ignota est mihi?
HEL. Versata dominos urna captivis dedit.
ANDR. Cui famula trador? ede; quem dominum voco?

---

942 Polyxena ς 959 in totum ς et totum *E* ς *correxi* demitte *E* 967. 968 *post v. 978 traiecit Richterus* 972 scias ς 975 tradar *A*

HEL. Te sorte prima Scyrius iuvenis tulit.
ANDR. Cassandra felix, quam furor sorti eximit
Phoebusque. HEL. Regum hanc maximus rector tenet.
HEC. Laetare, gaude, nata. quam vellet tuos
Cassandra thalamos, vellet Andromache tuos.
estne aliquis, Hecubam qui suam dici velit?
HEL. Ithaco obtigisti praeda nolenti brevis.
HEC. Quis tam impotens ac durus et iniquae ferus
sortitor urnae regibus reges dedit?
quis tam sinister dividit captas deus?
quis arbiter crudelis et miseris gravis
eligere dominos nescit et matrem Hectoris
armis Achillis miscet? ad Vlixen vocor:
nunc victa, nunc captiva, nunc cunctis mihi
obsessa videor cladibus — domini pudet,
non servitutis. sterilis et saevis fretis
inclusa tellus non capit tumulos meos —
duc, duc, Vlixe, nil moror, dominum sequor;
me mea sequentur fata: non pelago quies
tranquilla veniet, saeviet ventis mare,
* *
et bella et ignes et mea et Priami mala.
dumque ista veniant, interim hoc poenae loco est:
sortem occupavi, praemium eripui tibi. —
Sed en citato Pyrrhus accurrit gradu
vultuque torvo. Pyrrhe, quid cessas? age
reclude ferro pectus et Achillis tui
coniunge soceros. perge, mactator senum,
et hic decet te sanguis: abreptam trahe.
maculate superos caede funesta deos,
maculate manes — quid precer vobis? precor

---

saeva manu | dat iniqua miseris fata? quis
Hectoris spolium feret | qui tulit Achillis?

---

977 sorte *A* 978 Phoebusque *Hecubae datur E* 981 potens *A* 985. 986 eligere d. nescit et saeva m. | d. i. m. fata? quis matrem H. *codd.* saeva – quis *delevit Peiperus* 989 videor: eor *i. ras. totid. litt. 1 m. E* 990. 991 non servitutis. Hect. sp. f. | qui tul. Ach.? sterilis et s. fr. *codd.* Hectoris – Achillis *delevi* 992 num capit ς 994 sequantur ς 995 veniat, saeviat *A.* — *post* 995 *tale quid intercidisse videtur:* [sociosque merget, obruent reducem quoque] 996 ignis *A* 997 venient *A* veniunt *E corr.* ς. — haec poena in loco est *A* 998 eripuit mihi *A* 999 sed incitato *codd. correxit Peiperus* 1000 pyrri *E* 1003 trahit ς

his digna sacris aequora: hoc classi accidat
toti Pelasgae, ratibus hoc mille accidat
meae precabor, cum vehar, quidquid rati.

CHORVS

Dulce maerenti populus dolentum,
dulce lamentis resonare gentes;
lenius luctus lacrimaeque mordent,
turba quas fletu similis frequentat.
semper a semper dolor est malignus:
gaudet in multos sua fata mitti
seque non solum placuisse poenae.
ferre quam sortem patiuntur omnes,
nemo recusat.
Tolle felices: miserum, licet sit,
nemo se credet; removete multo
divites auro, removete centum
rura qui scindunt opulenta bubus:
pauperi surgent animi iacentes —
est miser nemo nisi comparatus.
dulce in immensis posito ruinis,
neminem laetos habuisse vultus:
ille deplorat queriturque fatum,
qui secans fluctum rate singulari
nudus in portus cecidit petitos;
aequior casum tulit et procellas,
mille qui ponto pariter carinas
obrui vidit tabulaque vectus
naufraga, terris mare dum coactis
fluctibus Corus prohibet, revertit.
questus est Hellen cecidisse Phrixus,
cum gregis ductor radiante villo
aureo fratrem simul ac sororem
sustulit tergo medioque iactum
fecit in ponto; tenuit querelas

1010 dulce et merentes res. g. *E* 1011 lentius *A* 1012 simili *A*. — frequentant *ς* 1013 semper a semper *om. ς*. — dolor et magnus (*i. e.* malignus) *A* d. ipse magnus *ς* 1015 patuisse *ς* 1018. 19 Nemo se credet miserum, licet sit. tolle felices, remov. *codd. correxit Madvigius adv. II p. 122* 1019 credit *A*. — removeto *A* 1020 removeto *A* 1021 scindant *A*. — bobus *A* 1024 d. enim mensis *E* 1031 tabulaque litus *codd. correxi* 1032 naufraga spargi, mare *A*. — cum *codd. correxi*. — coactis: i *ex* o *1 m. E* 1033 reverti *codd. correxi* 1034 es thellem *E* 1035 Cum: C *ex* S *rubr. 1 m. E* 1036 ac] et *A* 1037 iactum medioque *E*

et vir et Pyrrha, mare cum viderent,
et nihil praeter mare cum viderent
unici terris homines relicti.
Solvet hunc questum lacrimasque nostras
sparget huc illuc agitata classis,
* *
et tuba iussi dare vela nautae
cum simul ventis properante remo
prenderint altum fugietque litus.
quis status mentis miseris, ubi omnis
terra decrescet pelagusque crescet,
celsa cum longe latitabit Ide?
tum puer matri genetrixque nato,
Troia qua iaceat regione monstrans,
dicet et longe digito notabit:
'Ilium est illic, ubi fumus alte
serpit in caelum nebulaeque turpes.'
Troes hoc signo patriam videbunt.

NVNTIVS

O dura fata, saeva miseranda horrida!
quod tam ferum, tam triste bis quinis scelus
Mars vidit annis? quid prius referens gemam,
tuosne potius, an tuos luctus, anus?

HECVBA

Quoscumque luctus fleveris, flebis meos:
sua quemque tantum, me omnium clades premit;
mihi cuncta pereunt: quisquis est Hecubae est miser.
NVNT. Mactata virgo est, missus e muris puer;
sed uterque letum mente generosa tulit.

ANDROMACHA

Expone seriem caedis, et duplex nefas
persequere: gaudet magnus aerumnas dolor
tractare totas. ede et enarra omnia.

1040 *om.* ς. — praeter meritum v. *E* 1042 hunc coetum ς 1044 *vulgo adplicant ad priora interpungentes post* nautae. *desideratur ante v. 1044 tale sententiae supplementum:* [caede cum pontus fuerit piatus] 1045 cum semel *A*. — *post* remo *ras. 1 lit.* (s?) E 1046 fugientque *E A corr.* ς 1051 iacet *E* 1053 *adfertur* (*Prob.*) *de ult. syll. IV p. 246, 19 K. quo produci ultimam vocis* illic *comprobetur* ('et S. in Hecuba hendecasyllabo Sapphico versu: Il. – alte'). — illuc *E* (illic *Prob. A*) 1056 *scaenae inscribitur* Nuntius Hecuba Andromacha. — dira ς 1058 quod ς 1062 hecuba *E* 1066 prosequere, gaudet animus aerumnas meus *A* meas ς

NVNT. Est una magna turris e Troia super,
adsueta Priamo, cuius e fastigio
summisque pinnis arbiter belli sedens
regebat acies. turre in hac blando sinu
fovens nepotem, cum metu versos gravi
Danaos fugaret Hector et ferro et face,
paterna puero bella monstrabat senex.
haec nota quondam turris et muri decus,
nunc sola cautes, undique adfusa ducum
plebisque turba cingitur; totum coit
ratibus relictis vulgus. his collis procul
aciem patenti liberam praebet loco,
his alta rupes, cuius in cacumine
erecta summos turba libravit pedes.
hunc pinus, illum laurus, hunc fagus gerit
et tota populo silva suspenso tremit.
extrema montis ille praerupti petit,
semusta at ille tecta vel saxum imminens
muri cadentis pressit, atque aliquis (nefas)
tumulo ferus spectator Hectoreo sedet.
per spatia late plena sublimi gradu
incedit Ithacus parvulum dextra trahens
Priami nepotem, nec gradu segni puer
ad alta pergit moenia. ut summa stetit
pro turre, vultus huc et huc acres tulit
intrepidus animo. qualis ingentis ferae
parvus tenerque fetus et nondum potens
saevire dente iam tamen tollit minas
morsusque inanes temptat atque animis tumet:
sic ille dextra prensus hostili puer
ferox † superbe. moverat vulgum ac duces
ipsumque Vlixen. non flet e turba omnium
qui fletur; ac, dum verba fatidici et preces
concipit Vlixes vatis et saevos ciet
ad sacra superos, sponte desiluit sua
in media Priami regna. —
ANDR. Quis Colchus hoc, quis sedis incertae Scytha
commisit, aut quae Caspium tangens mare
gens iuris expers ausa? non Busiridis

1068 una magna magna t. *E* 1076 saeva cautes *codd. correxi.* — effusa ς 1080 hic *E.* — e cac. *A* 1081 summo *E* 1082 fagus tegit *A* 1086 pressat ς 1093 intrepidos *E* 1094 parvusque tenerque f. sed *E* 1098 superbus *D. Heinsius. conieci:* superbit. 1102 *dissiluit* ς 1104 cholcus *E.* — haec ς. — sedit *E*

puerilis aras sanguis aspersit feri,
nec parva gregibus membra Diomedes suis
epulanda posuit. quis tuos artus leget
tumuloque tradet? NVNT. Quos enim praeceps locus
reliquit artus? ossa disiecta et gravi
elisa casu; signa clari corporis,
et ora et illas nobiles patris notas,
confudit imam pondus ad terram datum;
soluta cervix silicis impulsu, caput
ruptum cerebro penitus expresso — iacet
deforme corpus. ANDR. Sic quoque est similis patri.
NVNT. Praeceps ut altis cecidit e muris puer
flevitque Achivum turba quod fecit nefas,
idem ille populus aliud ad facinus redit
tumulumque Achillis. cuius extremum latus
Rhoetea leni verberant fluctu vada;
adversa cingit campus et clivo levi
erecta medium vallis includens locum.
crescit theatri more concursus frequens,
implevit omne litus: hi classis moram
hac morte solvi rentur, hi stirpem hostium
gaudent recidi. magna pars vulgi levis
odit scelus, spectatque; nec Troes minus
suum frequentant funus et pavidi metu
partem ruentis ultimam Troiae vident:
cum subito thalami more praecedunt faces
et pronuba illi Tyndaris, maestum caput
demissa. 'tali nubat Hermione modo'
Phryges precantur 'sic viro turpis suo
reddatur Helena.' terror attonitos tenet
utrosque populos. ipsa deiectos gerit
vultus pudore, sed tamen fulgent genae
magisque solito splendet extremus decor,
ut esse Phoebi dulcius lumen solet
iamiam cadentis, astra cum repetunt vices
premiturque dubius nocte vicina dies.
stupet omne vulgus — et fere cuncti magis

1109 teget *codd. correxit Heusingerus teste Peipero* 1111 disgecta *E*. — et *om. A* 1113 nobilis ς. — patri *E* 1115 incursu *A* incussu ς 1116 penitus excusso ς 1117 hic quoque *A* 1118 cedit *E* 1121 tumultumque *E*. — huius *A* 1122 Rhretea *E* 1123 aversa *E*. — *post* 1124 *et* 1125 *posuit et* 1125 *post* more *sustulit distinctionem Buechelerus* 1126 moras *A* 1133 it pronuba *A* et prenuba *E* 1136 attonitos movet *A* 1141 Iam cadentis *E* 1143 et effert c. E

peritura laudant. hos movet formae decus,
hos mollis aetas, hos vagae rerum vices;
movet animus omnes fortis et leto obvius.
Pyrrhum antecedit; omnium mentes tremunt,
mirantur ac miserantur. ut primum ardui
sublime montis tetigit atque alte edito
iuvenis paterni vertice in busti stetit,
audax virago non tulit retro gradum;
conversa ad ictum stat truci vultu ferox.
tam fortis animus omnium mentes ferit
novumque monstrum est Pyrrhus ad caedem piger.
ut dextra ferrum penitus exacta abdidit,
subitus recepta morte prorupit cruor
per vulnus ingens. nec tamen moriens adhuc
deponit animos: cecidit, ut Achilli gravem
factura terram, prona et irato impetu.
uterque flevit coetus; at timidum Phryges
misere gemitum, clarius victor gemit.
hic ordo sacri. non stetit fusus cruor
humove summa fluxit: obduxit statim
saevusque totum sanguinem tumulus bibit.
HEC. Ite, ite, Danai, petite iam tuti domos;
optata velis maria diffusis secet
secura classis: concidit virgo ac puer;
bellum peractum est. quo meas lacrimas feram?
ubi hanc anilis expuam leti moram?
natam an nepotem, coniugem an patriam fleam?
an omnia an me sola? Mors votum meum,
infantibus, violenta, virginibus venis,
ubique properas, saeva: me solam times
vitasque, gladios inter ac tela et faces
quaesita tota nocte, cupientem fugis.
non hostis aut ruina, non ignis meos
absumpsit artus: quam prope a Priamo steti.
NVNT. Repetite celeri maria, captivae, gradu:
iam vela puppis laxat et classis movet.

1144 perituram ς 1148 miserentur ac mirantur *A* 1160 flevit egeus et *E* f. coetus et *A corr.* ς 1163 abduxit *codd. correxit Muretus V. L. X, 4* 1166 diffusis repetat *E* 1171 solam *E* 1173 ubicunque *A* 1177 stetit ς 1178 *personae notam om. E*

MARCI. LVCII. ANNEI. SENECAE. | TROADES EXPLICIT. INCIPIVNT | PHOENISSAE *E* *sequitur Medea A*

PHOENISSAE

PERSONAE

OEDIPVS
ANTIGONA

IOCASTA
SATELLES
ANTIGONA
POLYNICES
ETEOCLES

OEDIPVS

Caeci parentis regimen et fessi unicum
lateris levamen, nata, quam tanti est mihi
genuisse vel sic, desere infaustum patrem.
in recta quid deflectis errantem gradum?
permitte labi; melius inveniam viam,
quam quaero, solus, quae me ab hac vita extrahat
et hoc nefandi capitis aspectu levet
caelum atque terras. quantulum hac egi manu?
non video noxae conscium nostrae diem,
sed videor. hinc iam solve inhaerentem manum
et patere caecum qua volet ferri pedem.
ibo, ibo qua praerupta protendit iuga
meus Cithaeron, qua peragrato celer
per saxa monte iacuit Actaeon suis
nova praeda canibus, qua per obscurum nemus
silvamque opacae vallis instinctas deo
egit sorores mater et gaudens malo
vibrante fixum praetulit thyrso caput;
vel qua cucurrit, corpus inlisum trahens,
Zethi iuvencus, qua per horrentes rubos
tauri ferocis sanguis ostendit fugas;
vel qua alta maria vertice immenso premit
Inoa rupes, qua scelus fugiens novum
novumque faciens mater insiluit freto
mersura natum seque — felices quibus
fortuna melior tam bonas matres dedit.

PHOENISSAE *E* THEBAIS *A* OEDIPVS ς

---

scaenae inscribitur Oedipus Antigona 1 et] ac *A* 2 patris levamen *codd. correxit Gronovius* 8 haec *E* 13 peragrati *A* 14 montis *A* 16 instincta *E* 18 tryso *E* thyrso praetulit fixum *A* 19 invisum *codd. correxi* (*cf. v. 96*) 20 Ethi *E*. — iuventus *A* 21 ostentat *codd. correxi* 22 victrice *E* 23 Inoque praeceps *A* Minor rupis *E* *correxit Gronovius*. — fugiens suum *codd. correxit Peiperus*

est alius istis noster in silvis locus,
qui me reposcit, hunc petam cursu incito;
non haesitabit gressus, huc omni duce
spoliatus ibo. quid moror sedes meas?
mortem, Cithaeron, redde et hospitium mihi
illud meum restitue, ut expirem senex
ubi debui infans. recipe supplicium vetus.
semper cruente saeve crudelis ferox,
cum occidis et cum parcis, olim iam tuum
est hoc cadaver: perage mandatum patris,
iam et matris. animus gestit antiqua exequi
supplicia. quid me, nata, pestifero tenes
amore vinctum? quid tenes? genitor vocat.
sequor, sequor, iam parce — sanguineum gerens
insigne regni Laius rapti furit;
en ecce, inanes manibus infestis petit
foditque vultus. nata, genitorem vides?
ego video. tandem spiritum inimicum expue,
desertor anime, fortis in partem tui.
omitte poenae languidas longae moras
mortemque totam admitte; quid segnis traho
quod vivo? nullum facere iam possum scelus.
possum miser, praedico — discede a patre,
discede, virgo. timeo post matrem omnia.

ANTIGONA

Vis nulla, genitor, a tuo nostram manum
corpore resolvet, nemo me comitem tibi
eripiet umquam. Labdaci claram domum,
opulenta ferro regna germani petant —
pars summa magno patris e regno mea est,
pater ipse. non hunc auferet frater mihi
Thebana rapto sceptra qui regno tenet,
non hunc catervas alter Argolicas agens;
non si revulso Iuppiter mundo tonet
mediumque nostros fulmen in nexus cadat,

---

31 montem *A* 42 et ecce *A* 44 *Antigonae datur A.* — exue *A* 45 d. animae f. inparentem tui *E* 46 poenas l. l. morae *codd. correxit Grotius* 47 m. t. recipe. quid s. t. *A* m. t. recipe admitte. quid s. t. *E* 48 quid *codd. correxit Gronovius* 52 comitem tui *A* 55 magni *E correxit Madvigius adv. II, 115* (p. una magno *Gronovius*) pars magna patris optimo regno (opt. e r. *Avantius*) mea *est A* 57 raptro *E* 58 hic *A* 59 tenet *E*

manum hanc remittam. prohibeas, genitor, licet:
regam abnuentem, dirigam inviti gradum.
in plana tendis? vado; praerupta appetis?
non obsto, sed praecedo; quo vis utere
duce me — duobus omnis eligitur via:
perire sine me non potes, mecum potes.
hic alta rupes arduo surgit iugo
spectatque longe spatia subiecti maris:
vis hanc petamus? nudus hic pendet silex,
hic scissa tellus faucibus ruptis hiat:
vis hanc petamus? hic rapax torrens cadit
partesque lapsi montis exesas rotat:
in hunc ruamus? dum prior, quo vis eo.
non deprecor, non hortor. extingui cupis
votumque, genitor, maximum mors est tibi?
si moreris, antecedo: si vivis, sequor.
sed flecte mentem, pectus antiquum advoca
victasque magno robore aerumnas doma;
resiste: tantis in malis vinci mori est.
OEDIP. Vnde in nefanda specimen egregium domo?
unde ista generi virgo dissimilis suo?
Fortuna, credis? aliquis est ex me pius?
non esset umquam, fata bene novi mea,
nisi ut noceret. ipsa se in leges novas
natura vertit: regeret in fontem citas
revolutus undas amnis et noctem afferet
Phoebea lampas, Hesperus faciet diem;
ut ad miserias aliquid accedat meas,
pii quoque erimus. unica Oedipodae est salus,
non esse salvum. liceat ulcisci patrem
adhuc inultum — dextra quid cessas iners
exigere poenas? quidquid exactum est adhuc,
matri dedisti. mitte genitoris manum,
animosa virgo: funus extendis meum
longasque vivi ducis exequias patris.
aliquando terra corpus invisum tege;
peccas honesta mente, pietatem vocas
patrem insepultum trahere. qui cogit mori

---

62 invitum *A* 65 duce e duobus *A* 69. 70 *om. E in confiniis paginarum* (*v. 71 incipit f. 41v*) 78 robore: ro *ex* ru *1 m. E* pectore *A* 79 vinci malum est *A* 83 novit *E* 85 vertet *A* 94 animosa: a *in fine add. 2 m. E* 96 alinquando E

nolentem in aequo est quique properantem impedit;
nec tamen in aequo est: alterum gravius reor:
malo imperari quam eripi mortem mihi.
desiste coepto, virgo: ius vitae ac necis
meae penes me est. regna deserui libens,
regnum mei retineo. si fida es comes,
ensem parenti trade, sed notum nece
ensem paterna. tradis? an nati tenent
cum regno et illum? facinore ubicumque est opus,
ibi sit — relinquo: natus hunc habeat meus,
sed uterque. flammas potius et vastum aggerem
compone; in altos ipse me immittam rogos,
haerebo ad ignes, funebri abscondar strue
pectusque solvam durum et in cinerem dabo
hoc quidquid in me vivit. ubi saevum est mare?
duc ubi sit altis prorutum saxis iugum,
ubi torva rapidus ducat Ismenos vada,
si dux es: illuc ire morituro placet,
ubi sedit alta rupe semifero dolos
Sphinx ore nectens. dirige huc gressus pedum,
hic siste patrem. dira ne sedes vacet,
monstrum repone maius. hoc saxum insidens
obscura nostrae verba fortunae loquar,
quae nemo solvat: quisquis Assyrio loca
possessa regi scindis et Cadmi nemus
serpente notum, sacra quo Dirce latet,
supplex adoras, quisquis Eurotan bibis
Spartamque fratre nobilem gemino colis,
quique Elin et Parnason et Boeotios
colonus agros uberis tondes soli:

---

occidere est vetare cupientem mori
duc ubi ferae sunt, ubi fretum, ubi praeceps locus

---

100 *delevi* (*post v. 102 posuit Peiperus*) *cf. I, 209* 101 alterum gravius reor *i. ras. 1 m. E* 105 si fides comes *E* 108 faciet ubicumque est opus *E correxi* faciet u. e. scelus *A cf. I, 2* 112 funebre escendam struem *E correxi* erectam ad ignes funebrem ascendam struem *A* 113 cineres *A* 115 dic *A.* — praeruptum (praerutum ς) *A* 117 *delevit N. Heinsius adv. p. 50.* — dic u. f. sint *A* 120 gressu pedem *A* 122 hoc saxo *A* 123 verba *i. ras. 4–5 litt.* (f.... *fuit* fortu *ut vid.*) *1 m. E* 127 supplex ad aras *A.* — Eurotam *E* Eurotem *A* 128 Spartenque *A* 129 quicumque E. P. et B. *A.* — boetios *E* 130 *tondis E*

adverte mentem — saeva Thebarum lues
luctifica caecis verba committens modis
quid simile posuit? quid tam inextricabile?
avi gener patrisque rivalis sui,
frater suorum liberum et fratrum parens;
uno avia partu liberos peperit viro,
sibi et nepotes. monstra quis tanta explicat?
ego ipse, victae spolia qui Sphingis tuli,
haerebo fati tardus interpres mei.
* *
quid perdis ultra verba? quid pectus ferum
mollire temptas precibus? hoc animo sedet
effundere hanc cum morte luctantem diu
animam et tenebras petere: nam sceleri haec meo
parum alta nox est: Tartaro condi iuvat,
et si quid ultra Tartarum est; tandem libet
quod olim oportet. morte prohiberi haud queo.
ferrum negabis? noxias lapsu vias
cludes et artis colla laqueis inseri
prohibebis? herbas quae ferunt letum auferes?
quid ista tandem cura proficiet tua?
ubique mors est. optume hoc cavit deus:
eripere vitam nemo non homini potest,
at nemo mortem; mille ad hanc aditus patent.
nil quaero: dextra noster et nuda solet
bene animus uti — dextra, nunc toto impetu,
toto dolore, viribus totis veni.
non destino unum vulneri nostro locum:
totus nocens sum: qua voles mortem exige.
effringe pectus corque tot scelerum capax
evelle, totos viscerum nuda sinus.
fractum incitatis ictibus guttur sonet
laceraeque fixis unguibus venae fluant.
aut dirige iras quo soles: haec vulnera
rescissa multo sanguine ac tabe inriga,
hac extrahe animam duram, inexpugnabilem.
et tu, parens, ubicumque poenarum arbiter
adstas mearum — non ego hoc tantum scelus
ulla expiari credidi poena satis

---

137 ac sibi *A*. — explicet *A* 139 haereboque *E* *post v. 139 non tam omissa Antigonae oratio, ut statuit Swoboda, quam hiatus a poeta relictus* 147 lapso *A* 154 nichil *E* 159 effringe corpus *codd. correxit N. Heinsius adv. p. 51* 162 laceraeve *A* 168 poene E

umquam, nec ista morte contentus fui,
nec me redemi parte: membratim tibi
perire volui — debitum tandem exige.
nunc solvo poenas, tunc tibi inferias dedi.
ades atque inertem dexteram introrsus preme
magisque merge: timida tunc parvo caput
libavit haustu vixque cupientes sequi
eduxit oculos. haeret etiam nunc mihi
ille animus, haeret, cum recusantem manum
pressere vultus. audies verum, Oedipus:
minus eruisti lumina audacter tua,
quam praestitisti. nunc manum cerebro indue:
hac parte mortem perage qua coepi mori.
ANTIG. Pauca, o parens magnanime, miserandae precor
ut verba natae mente placata audias.
non te ut reducam veteris ad speciem domus
habitumque regni flore pollentem inclito
peto aut ut iras, temporum haut ipsa mora
fractas, remisso pectore ac placido feras:
at hoc decebat roboris tanti virum,
non esse sub dolore nec victum malis
dare terga; non est, ut putas, virtus, pater,
timere vitam, sed malis ingentibus
obstare nec se vertere ac retro dare.
qui fata proculcavit ac vitae bona
proiecit atque abscidit et casus suos
oneravit ipse, cui deo nullo est opus,
quare ille mortem cupiat aut quare petat?
utrumque timidi est: nemo contempsit mori
qui concupivit. cuius haut ultra mala
exire possunt, in loco tuto est situs.
quis iam deorum, velle fac, quicquam potest
malis tuis adicere? iam nec tu potes
nisi hoc, ut esse te putes dignum nece —
non es nec ulla pectus hoc culpa attigit.

---

171 volui perire *A* 173 dextram *E* 174 tum *codd.* (cum ς) 178 audias ς. — Oedipum *EA* Oedipe ς *correxit B. Schmidtius (de em. Sen. trag. p. 32)* 180 perstitisti *E.* — crebro *E* 181 coepit *A* 182 miseranda ς 184 specimen *A* 185 incliti *EA corr.* ς 186 tempore aut ipsa *codd. correxit Bothius* 188 et hoc *codd. correxit Richterus* 195 ipsi ceu video *A (interpolatoris manum restituere Florens Christianus et Scaliger scribendo* ceu deo) 196 ipse *A* 197 u. t. est velle. contempsit m. *A* 198 qui non concupiscit *A* (non *delevit Poggius in cod. Laur. 37, 11 et in Aldina Avantius*). — aut *E*

et hoc magis te, genitor, insontem voca,
quod innocens es dis quoque invitis. quid est
quod te efferarit, quod novos suffixerit
stimulos dolori? quid te in infernas agit
sedes, quid ex his pellit? ut careas die?
cares; ut altis nobilem muris domum
patriamque fugias? patria tibi vivo perit;
natos fugis matremque? ab aspectu omnium
fortuna te summovit, et quidquid potest
auferre cuiquam mors, tibi hoc vita abstulit;
regni tumultus? turba fortunae prior
abscessit a te iussa — quem, genitor, fugis?
OEDIP. Me fugio, fugio conscium scelerum omnium
pectus, manumque hanc fugio et hoc caelum et deos.
ego hoc solum, frugifera quo surgit Ceres,
premo? has ego auras ore pestifero traho?
ego laticis haustu satior aut ullo fruor
almae parentis munere? ego castam manum
nefandus incestificus exsecrabilis
attrecto? ego ullos aure concipio sonos,
per quos parentis nomen aut nati audiam?
utinam quidem rescindere has quirem vias
manibusque adactis omne qua voces meant
aditusque verbis tramite angusto patet
eruere possem: nata, iam sensum tui,
quae pars meorum es criminum, infelix pater
fugissem. inhaeret ac recrudescit nefas
subinde, et aures ingerunt quidquid mihi
donastis, oculi. cur caput tenebris grave
non mitto ad umbras Ditis aeternas? quid hic
manes meos destineo? quid terram gravo
mixtusque superis erro? quid restat mali?
regnum parentes liberi, virtus quoque
et ingeni sollertis eximium decus
periere, cuncta sors mihi infesta abstulit:

---

et dira fugio scelera quae feci innocens

---

205 invisis *A* 206 q. non vos suff. *E* 207 in] ad ς 213 haec ς 214 *recte distinxit N. Heinsius adv. p. 51* (*vulgo* tumultus, turba). — fortuna *E* 215 a te] ante *A*. — iusta ς 218 *delevit de Wilamowitz*. — feci nocens *A* 226 quirem meas *E* 229 tacui *1 m.* tui *2 m. E* 230 criminum es *A* est criminum *E* *correxit Lipsius* 233 negastis oculi *A* 234 aeterni *E*

lacrimae supererant — has quoque eripui mihi.
absiste. nullas animus admittit preces
novamque poenam sceleribus quaerit parem.
et esse par quae poterit? infanti quoque
decreta mors est. fata quis tam tristia
sortitus umquam? videram nondum diem
uterique nondum solveram clausi moras,
et iam timebar. protinus quosdam editos
nox occupavit et novae luci abstulit:
mors me antecessit; aliquis intra viscera
materna letum praecoquis fati tulit:
sed numquid et peccavit? abstrusum, abditum
dubiumque an essem sceleris infandi reum
deus egit; illo teste damnavit parens
calidoque teneros transuit ferro pedes
et in alta nemora pabulum misit feris
avibusque saevis quas Cithaeron noxius
cruore saepe regio tinctas alit.
sed quem deus damnavit, abiecit pater,
mors quoque refugit. praestiti Delphis fidem:
genitorem adortus impia stravi nece.
hoc alia pietas redimet: occidi patrem,
sed matrem amavi — proloqui hymenaeum pudet
taedasque nostras — has quoque invitum pati
te coge poenas: facinus ignotum efferum
inusitatum effare quod populi horreant,
quod esse factum nulla non aetas neget,
quod parricidam pudeat: in patrios toros
tuli paterno sanguine aspersas manus
scelerisque pretium maius accepi scelus.
leve est paternum facinus: in thalamos meos
deducta mater, ne parum sceleris foret,
fecunda — nullum crimen hoc maius potest
natura ferre. si quod etiamnum est tamen,
qui facere possent dedimus. abieci necis
pretium paternae sceptrum et hoc iterum manus
armavit alias; optime regni mei
fatum ipse novi: nemo sine sacro feret

---

240 eripuit *E* 242 quaerit patrem *E* 248 lucis *E* 252 reus *E* 254 transtulit *A* 256 avibusque avidis (atque avibus avidis *Poggius*) *A*. — cyntheron *E* 257 tractas alit *A* 271 scelerum *A* 273 si *om*. *E* 274 possint ς 275 paternum *E* *276 arma vitabas E* 277 efferet *E*

illud cruore. magna praesagit mala
paternus animus. iacta iam sunt semina
cladis futurae: spernitur pacti fides;
hic occupato cedere imperio negat,
ius ille et icti foederis testes deos
invocat et Argos exul atque urbes movet
Graias in arma: non levis fessis venit
ruina Thebis; tela flammae vulnera
instant et istis si quod est maius malum,
ut esse genitos nemo non ex me sciat.
ANTIG. Si nulla, genitor, causa vivendi tibi est,
haec una abunde est, ut pater natos regas
graviter furentes. tu impii belli minas
avertere unus tuque vaecordes potes
inhibere iuvenes, civibus pacem dare,
patriae quietem, foederi laeso fidem.
vitam tibi ipse si negas, multis negas.
OEDIP. Illis parentis ullus aut aequi est amor,
avidis cruoris imperi armorum doli,
diris, scelestis, breviter ut dicam — meis?
certant in omne facinus et pensi nihil
ducunt, ubi ipsos ira praecipites agit,
nefasque nullum per nefas nati putant.
non patris illos tangit afflicti pudor,
non patria: regno pectus attonitum furit.
scio quo ferantur, quanta moliri parent,
ideoque leti quaero maturam viam
morique propero, dum in domo nemo est mea
nocentior me. nata, quid genibus meis
fles advoluta? quid prece indomitum domas?
unum hoc habet fortuna quo possim capi,
invictus aliis: sola tu affectus potes
mollire duros, sola pietatem in domo
docere nostra. nil grave aut miserum est mihi
quod te sciam voluisse; tu tantum impera:
hic Oedipus Aegaea transnabit freta
iubente te, flammasque quas Siculo vomit
de monte tellus igneos volvens globos,
excipiet ore seque serpenti offeret,

---

289 regat *E* 290 ferentes *E* 293 lesos *E* 297 viris caelestis *E* 299 illos *codd. correxi.* — agat *A* 304 maturi *A* 305 que *om. E* 313 aegae *E* 315 solvens *EA corr.* ς

quae saeva furto nemoris Herculeo furit;
iubente te praebebit alitibus iecur —
iubente te vel vivet.

ANTIGONA

* *
exemplum in ingens regia stirpe editum
Thebae paventes arma fraterna invocant
rogantque tectis arceas patriis faces.
non sunt minae, iam propius accessit malum.
nam regna repetens frater et pactas vices
in bella cunctos Graeciae populos agit;
septena muros castra Thebanos premunt.
succurre, prohibe pariter et bellum et scelus.

OEDIPVS

Ego ille sum qui scelera committi vetem
et abstineri sanguine a caro manus
doceam? magister iuris et amoris pii
ego sum? meorum facinorum exempla appetunt,
me nunc secuntur; laudo et agnosco libens,
exhortor, aliquid ut patre hoc dignum gerant.
agite, o propago cara, generosam indolem
probate factis, gloriam ac laudes meas
superate et aliquid facite propter quod patrem
adhuc iuvet vixisse. facietis, scio:
sic estis orti. scelere defungi haut levi,
haut usitato tanta nobilitas potest.
ferte arma, facibus petite penetrales deos
frugemque flamma metite natalis soli,
miscete cuncta, rapite in exitium omnia,
disicite passim moenia, in planum date,
templis deos obruite, maculatos lares
conflate, ab imo tota considat domus;

---

317 herculei *E* 320 *scaena continuatur E. nova scaena A tituli varii:* Nunt. Oed. Ioc.; Nunt. Oed. Antig.; Nunt. Oed. Antig. Ioc. ς. — 320—327 *nuntius loquitur A. — ante 320 desideratur* [te, pater] *cf. I, 79 sq.* 320 exemplum in ingens *om. A* in *om. E correxit Lipsius.* — edite *A* 325 bella: a *ex* o *1–2 m. E* 327 b. et nefas *A* 328 comitti *E* 331 exempla facinorum *A vitio metrico* 334 clara *A* 338 aut *E* 340 penetries *sic E* 341 frigiamque flammam et eterias *tali soli E* 342 exilium *A* 343 dissicite *E* (deicite ς)

urbs concremetur — primus a thalamis meis
incipiat ignis. ANTIG. Mitte violentum impetum
doloris ac te publica exorent mala
auctorque placidae liberis pacis veni.
OEDIP. Vides modestae deditum menti senem
placidaeque amantem pacis ad partes vocas?
tumet animus ira, fervet immensus dolor,
maiusque quam quod casus et iuvenum furor
conatur aliquid cupio. non satis est adhuc
civile bellum: frater in fratrem ruat;
nec hoc sat est: quod debet, ut fiat nefas
de more nostro, quod meos deceat toros:
date arma matri — nemo me ex his eruat
silvis: latebo rupis exesae cavo
aut sepe densa corpus abstrusum tegam.
hinc aucupabor verba rumoris vagi
et saeva fratrum bella, quod possum, audiam.

IOCASTA

Felix Agaue: facinus horrendum manu,
qua fecerat, gestavit et spolium tulit
cruenta nati maenas in partes dati;
fecit scelus, sed misera non ultro suo
sceleri occucurrit. hoc leve est quod sum nocens:
feci nocentes. hoc quoque etiamnunc leve est:
peperi nocentes. derat aerumnis meis,
ut et hostem amarem. bruma ter posuit nives
et tertia iam falce decubuit Ceres,
ut exul errat natus et patria caret
profugusque regum auxilia Graiorum rogat.
gener est Adrasti, cuius imperio mare
quod scindit Isthmos regitur; hic gentes suas
septemque secum regna ad auxilium trahit

---

347 ante viol. ς 348 haec te ς 352 immensum *A* 356 satis est *E* 358 patri *codd. correxit Gronovius cf. 1, 221* 361 aucupabor: b *ex* u 2 *m. ut vid. E* 363 *scaena continuatur A novae scaenae* Iocasta. Satelles. Polinices. Etheocles *inscribit E. addere debuit Antigonam cf. I, 82 sq.* 366 ultra *codd. correxit N. Heinsius adv. p. 55.* — suum *A* 367 scelus hoc cucurrit *A* sceleri occurrit *E correxit Gronovius* 375 cingit Isthmon *A* cingit Isthomos *E correxit Gronovius*

genero — quid optem quidve decernam haut scio.
regnum reposcit: causa repetentis bona est,
mala sic petentis. vota quae faciam parens?
utrimque natum video: nil possum pie
pietate salva facere: quodcumque alteri
optabo nato fiet alterius malo.
sed utrumque quamvis diligam affectu pari,
quo causa melior sorsque deterior trahit
inclinat animus semper infirmo favens:
miseros magis fortuna conciliat suis.

SATELLES

Regina, dum tu flebiles questus cies
terisque tempus, saeva nudatis adest
acies in armis; aera iam bellum cient
aquilaque pugnam signifer mota vocat.
septena reges bella dispositi parant,
animo pari Cadmea progenies subit,
cursu citato miles hinc atque hinc ruit.
viden? atra nubes pulvere abscondit diem
fumoque similes campus in caelum erigit
nebulas, equestri fracta quas tellus pede
summittit et, si vera metuentes vident,
infesta fulgent signa, subrectis adest
frons prima telis, aurea clarum nota
nomen ducum vexilla praescriptum ferunt.
i, redde amorem fratribus, pacem omnibus,
et impia arma matris oppositu impedi.

ANTIGONA

Perge, o parens, perge et cita celerem gradum,
compesce tela, fratribus ferrum excute,
nudum inter enses pectus infestos tene:
aut solve bellum, mater, aut prima excipe.
IOC. Ibo ibo et armis obvium opponam caput,
stabo inter arma; petere qui fratrem volet,

---

377 generi *A* 380 utrumque *codd. correxit Bothius.* — nichil *E* 387 '*nuntius*' *loquitur A et sic per totam scaenam* 388 salva *E corr. Gronovius* tota *A.* — nudatis stetit *A* 392 animo: o *i. ras. ex* a 2 *m. E* 394 vide ut – abscondat – erigat *A* viden ut – abscondit – erigat *E correxit Lachmannus ad Lucr. p. 194* (*quamquam neglexit Tro. 945*) 397 videntes *E* (*corr. 2 m. ut vid.*) 402 mater opposita ς 403 *personae notam om. E.* — perge o parens et concita celerem gradum *A perge o parens* perge et concita cursu celerem gradum *E correxi*

petat ante matrem. tela, qui fuerit pius,
rogante ponat matre; qui non est pius
incipiat a me. fervidos iuvenes anus
tenebo, nullum teste me fiet nefas;
aut si aliquod et me teste committi potest,
non fiet unum. ANT. Signa collatis micant
vicina signis, clamor hostilis fremit;
scelus in propinquo est: occupa, mater, preces.
et ecce motos fletibus credas meis,
sic agmen armis segne compositis venit.
SAT. Procedit acies tarda, sed properant duces.
IOC. Quis me procellae turbine insano vehens
volucer per auras ventus aetherias aget?
quae Sphinx vel atra nube subtexens diem
Stymphalis avidis praepetem pennis feret?
aut quae per altas aeris rapiet vias
Harpyia saevi regis observans famem
et inter acies proiciet raptam duas?
SAT. Vadit furenti similis aut etiam furit.
sagitta qualis Parthica velox manu
excussa fertur, qualis insano ratis
premente vento rapitur aut qualis cadit
delapsa caelo stella, cum stringens polum
rectam citatis ignibus rumpit viam,
attonita cursu fugit et binas statim
diduxit acies. victa materna prece
haesere bella, iamque in alternam necem
illinc et hinc miscere cupientes manus
librata dextra tela suspensa tenent.
paci favetur, omnium ferrum iacet
cessatve tectum; vibrat in fratrum manu.
laniata canas mater ostendit comas,
rogat abnuentes, inrigat fletu genas.
negare matri qui diu dubitat, potest.

---

409 fuerat *E* 410 *om. E positio ad laevum marginem a rubricatore signo* R̄ 413 si quod *A* si aliquot *E* 414 *personae notam om. E* 419 *pers. not. om. codd. nuntio dedit Bothius* 420 *pers. not. om. E.* — insanae *A* 422 spynx *E* 423 pinnis *E* 424 rapiat *E* 425 arpyla *E.* — famen *E* 429 insono *E* 431 delapso *E* 434 deduxit ς 435 iamque: ia *ex* n *1 m. E* (*voluerat* namque) 436 manum *A* 437 vibrata *E correxit N. Heinsius adv. p. 57* vibrata tela continent dextra sua *A* 438 ferrum latet *A* 439 cessatque telum *A* cessatque tectum *E correxit N. Heinsius ibid.*

IOCASTA

In me arma et ignes vertite, in me omnis ruat
unam iuventus quaeque ab Inachio venit
animosa muro quaeque Thebana ferox
descendit arce; civis atque hostis simul
hunc petite ventrem, qui dedit fratres viro.
haec membra passim spargite ac divellite:
ego utrumque peperi — ponitis ferrum ocius?
an dico et ex quo? dexteras matri date,
date dum piae sunt. error invitos adhuc
fecit nocentes, omne Fortunae fuit
peccantis in nos crimen: hoc primum nefas
inter scientes geritur. in vestra manu est,
utrum velitis: sancta si pietas placet,
† donate matri pacem; si placuit scelus,
maius paratum est: media se opponit parens.
proinde bellum tollite aut belli moram.
sollicita cui nunc mater alterna prece
verba admovebo? misera quem amplectar prius?
in utramque partem ducor affectu pari.
hic afuit; sed pacta si fratrum valent,
nunc alter aberit. ergo iam numquam duos
nisi sic videbo? iunge complexus prior,
qui tot labores totque perpessus mala
longo parentem fessus exilio vides.
accede propius, clude vagina impium
ensem et trementem iamque cupientem excuti
hastam solo defige; maternum tuo
coire pectus pectori clipeus vetat:
hunc quoque repone. vinculo frontem exue
tegumenque capitis triste belligeri leva
et ora matri redde. quo vultus refers
acieque pavida fratris observas manum?
affusa totum corpus amplexu tegam,
tuo cruori per meum fiet via.
quid dubius haeres? an times matris fidem?

---

443 *continuatur scaena E novae scaenae inscribitur* Iocasta Polynices *A* 444 una *A* 446 discendit a. cives atque hostes s. *E* 448 mea membra *A.* — sparsim spargite *ς* 456 donate matrem pace *Avantius* 458 proinde iam bellum *E* 459 cui nunc sollitita *E* *cui sollicita* nunc *A corr.* *ς* 465 tu qui tot lab. *ς* 470 coiere *E*

POLYNICES

Timeo; nihil iam iura naturae valent.
post ista fratrum exempla ne matri quidem
fides habenda est. IOC. Redde iam capulo manum,
astringe galeam, laeva se clipeo inserat;
dum frater exarmatur, armatus mane.
tu pone ferrum, causa qui ferri es prior.
si pacis odium est, furere si bello placet:
inducias te mater exiguas rogat,
ferat ut reverso post fugam nato oscula
vel prima vel suprema. dum pacem peto,
audite inermes. ille te, tu illum times?
ego utrumque, sed pro utroque. quid strictum abnuis
recondere ensem? qualibet gaude mora:
id gerere bellum cupitis, in quo est optimum
vinci. vereris fratris infesti dolos?
quotiens necesse est fallere aut falli a suis,
patiare potius ipse quam facias scelus.
sed ne verere: mater insidias et hinc
et rursus illinc abiget. exoro? an patri
invideo vestro? veni ut arcerem nefas
an ut viderem propius? hic ferrum abdidit,
reclinis hasta est, arma defixa incubant.
ad te preces nunc, nate, maternas feram,
sed ante lacrimas. teneo longo tempore
petita votis ora. te profugum solo
patrio penates regis externi tegunt,
te maria tot diversa, tot casus vagum
egere, non te duxit in thalamos parens
comitata primos nec sua festas manu
ornavit aedes nec sacra laetas faces
vitta revinxit; dona non auro graves
gazas socer, non arva, non urbes dedit:
dotale bellum est. hostium es factus gener,
patria remotus hospes alieni laris,
externa consecutus, expulsus tuis,

---

post 477 *legitur v. 480 E* 480 *Iocastae notam om. E ς, praefigit v.* 481 *E, v.* 483 *ς* 485 rogas *E* 499 reclivis hastae et arma *A* reclinis hastae arma *E correxi* 501 cedante lacr. *E* 502 petite *E* 504 t. m. tot tam div. *E* 506 festa *E* 507 nec sua *codd. correxi.* — laetas faces *i. ras. ex* festas manus *1 m. E* 508 vita *E.* — auro et graves *A* 509 galeas *E.* — arma *EA corr. ς* 510 hostium est *E*

sine crimine exul. ne quid e fatis tibi
desset paternis, hoc quoque ex illis habes,
errasse thalamis. nate post multos mihi
remisse soles, nate suspensae metus
et spes parentis, cuius aspectum deos
semper rogavi, cum tuus reditus mihi
tantum esset erepturus, adventu tuo
quantum daturus: 'quando pro te desinam'
dixi 'timere?' dixit inridens deus:
'ipsum timebis.' nempe nisi bellum foret,
ego te carerem; nempe si tu non fores,
bello carerem. a, triste conspectus datur
pretium tui durumque, sed matri placet.
hinc modo recedant arma, dum nullum nefas
Mars saevus audet: hoc quoque est magnum nefas,
tam prope fuisse. stupeo et exanguis tremo,
cum stare fratres hinc et hinc video duos
sceleris sub ictu. membra quassantur metu:
quam paene mater maius aspexi nefas,
quam quod miser videre non potuit pater.
licet timore facinoris tanti vacem
videamque iam• nil tale, sum infelix tamen
quod paene vidi. per decem mensum graves
uteri labores perque pietatem inclitae
precor sororis et per irati sibi
genas parentis, scelere quas nullo nocens,
erroris a se dira supplicia exigens,
hausit: nefandas moenibus patriis faces
averte, signa bellici retro agminis
flecte — ut recedas, magna pars sceleris tamen
vestri peracta est: vidit hostili grege
campos repleri patria, fulgentes procul
armis catervas vidit, equitatu levi
Cadmea frangi prata et excelsos rotis
volitare proceres, igne flagrantes trabes
fumare, cineri quae petunt nostras domos,
fratresque (facinus quod novum et Thebis fuit)
in se ruentes: totus hoc exercitus,

---

513 nequit de *E* 515 nate p. m. m. r. soles *om. E* 516 sollicitae metus *A* 518 serper *E* 524 carerem triste *A* carerem patris te *E correxit I. Gronovius* 529 et *omissum add. 1 m. compendio non solito E* 536 pietate inclitas *A* 537 sorores *A*

hoc populus omnis, utraque hoc vidit soror
genetrixque vidi: nam pater debet sibi
quod ista non spectavit — occurrat tibi
nunc Oedipus, quo iudice erroris quoque
poenae petuntur. ne, precor, ferro erue
patriam ac penates neve, quas regere expetis,
everte Thebas. quis tenet mentem furor?
petendo patriam perdis? ut fiat tua,
vis esse nullam? quin tuae causae nocet
ipsum hoc quod armis uris infestis solum
segetesque adultas sternis et totos fugam
edis per agros: nemo sic vastat sua;
quae corripi igne, quae meti gladio iubes
aliena credis. rex sit ex vobis uter,
manente regno quaerite. haec telis petis
flammisque tecta? poteris has Amphionis
quassare moles? nulla quas struxit manus
stridente tardum machina ducens onus,
sed convocatus vocis et citharae sono
per se ipse summas venit in turres lapis:
haec saxa franges? victor hinc spolia auferes
vinctosque duces patris aequales tui,
matresque ab ipso coniugum raptas sinu
saevus catena miles imposita trahet?
adulta virgo, mixta captivo gregi,
Thebana nuribus munus Argolicis eat?
an et ipsa, palmas vincta post tergum datas,
mater triumphi praeda fraterni vehar?
potesne cives leto et exitio datos
videre passim? moenibus caris potes
hostem admovere, sanguine et flamma potes
implere Thebas? tam ferus durum geris
saevumque in iras pectus? et nondum imperas —
quid sceptra facient? pone vaesanos, precor,
animi tumores teque pietati refer.
POL. Vt profugus errem? semper ut patria arcear

---

551 utramque *E correxit Peiperus suppl. pr. p. 33* et populus omnis et utraque hoc v. s. *A* 552 vidit *codd. correxit I. Gronovius* 561 adustas *A* 564 e vob. *A* 565 petes *A* 570 turres venit in summas *A* 572 victosque *A* 573 ab ipso matres *A* (*restituit Avantius* matres ab i.) 574 tradet *E* 575 ut adulta *A* 577 postergum *E* 579 laetus exitio *A* 582 ferum et durum *A* 584 poėne *1 m. E.* — vesanos: e *i. ras. 2 m. E*

opemque gentis hospes externae sequar?
quid paterer aliud, si fefellissem fidem?
si peierassem? fraudis alienae dabo
poenas, at ille praemium scelerum feret?
iubes abire: matris imperio obsequor —
da quo revertar. regia frater mea
habitet superbus, parva me abscondat casa:
hanc date repulso; liceat exiguo lare
pensare regnum. coniugi donum datus
arbitria thalami dura felicis feram
humilisque socerum lixa dominantem sequar?
in servitutem cadere de regno grave est.
IOC. Si regna quaeris nec potest sceptro manus
vacare saevo, multa quae possunt peti
in orbe toto quaelibet tellus dabit.
hinc nota Baccho Tmolus attollit iuga
qua lata terris spatia frugiferis iacent
et qua trahens opulenta Pactolus vada
inundat auro rura; nec laetis minus
Maeandros arvis flectit errantes aquas
rapidusque campos fertiles Hermus secat;
hinc grata Cereri Gargara et dives solum
quod Xanthus ambit nivibus Idaeis tumens;
hinc qua relinquit nomen † Ionii maris
faucesque Abydo Sestos opposita premit,
† aut qua latus iam propior orienti dedit
tutamque crebris portibus Lyciam videt:
haec regna ferro quaere, in hos populos ferat
socer arma fortis, has tuo sceptro paret
tradatque gentes. hoc adhuc regnum puta
tenere patrem. melius exilium est tibi
quam reditus iste: crimine alieno exulas,
tuo redibis. melius istis viribus
nova regna nullo scelere maculata appetes.

590. 591 *inverso ordine E* 592 meus *E* 593 habitat *E*. — superba *codd. correxit Avantius.* — abscondet ς 594 da rep. *A* 602 h. tota bacho t. attulit i. *E* 606 errantes: es *ex* is *3 m. E* 607 Hebrus *codd. correxit Gronovius* 610 Ionium Thetis *coniecit Buechelerus* qua reliquit nomen Inois mari *de Wilamowitz* 611 fauces Abydos (Abydi *Avantius*) Sestos oppositae pr. *A* 612 aut q. Thetis se propior o. d. *N. Heinsius adv. p. 16* (*cf. p. 58*) aut qua Rhodus — *ante v. 612 intercidisse coniecit de Wilamowitz* (*v. 612* aut quae *Peiperus scripsit de Rhodo cogitans*) 613 *conieci* tutamque Cyprus *intacto v. 612* 615 paret sceptro tuo *A* 618 crimine *ex* crimen *1 m. E* 619 mel. usus vir. *A*

quin ipse frater arma comitatus tua
tibi militabit. vade et id bellum gere
in quo pater materque pugnanti tibi
favere possint. regna cum scelere omnibus
sunt exilis graviora. nunc belli mala
propone, dubias Martis incerti vices:
licet omne tecum Graeciae robur trahas,
licet arma longe miles ac late explicet,
fortuna belli semper ancipiti in loco est:
quodcumque Mars decernit: exaequat duos,
licet impares sint, gladius; et spes et metus
Fors caeca versat. praemium incertum petis,
certum scelus. favisse fac votis deos
omnes tuis: cessere et aversi fugam
petiere cives, clade funesta iacens
obtexit agros miles — exultes licet
victorque fratris spolia deiecti geras:
frangenda palma est. quale tu hoc bellum putas,
in quo execrandum victor admittit nefas,
si gaudet? hunc quem vincere infelix cupis,
cum viceris, lugebis. infaustas age
dimitte pugnas, libera patriam metu,
luctu parentes. POL. Sceleris et fraudis suae
poenas nefandus frater ut nullas ferat?
IOC. Ne metue. poenas et quidem solvet graves:
regnabit. est haec poena. si dubitas, avo
patrique crede: Cadmus hoc dicet tibi
Cadmique proles. sceptra Thebano fuit
impune nulli gerere, nec quisquam fide
rupta tenebit illa: iam numeres licet
fratrem inter istos.

ETEOCLES

Numeret, est tanti mihi
cum regibus iacere. te turbae exulum
ascribo. IOC. Regna, dummodo invisus tuis.

---

631 gladio *E* 632 sors *codd. correxit N. Heinsius adv. p. 59.* — petit ς 636 miles agros *E* 638 tu id b. *A* 643 luctu par. scel. et *om. E* (*habet:* POL. fr. s.) 646 haec est *A* 648 Thebana ς (Thebarum *Avantius*) 649 Imp. n. g. *et* Nec q. f. *singulis versibus E.* 650 tenebat *A.* — numeres: es *1 m. ex* is *E* 651 istos. POL. numero et est *codd. correxit B. Schmidtius de em. Sen. trag. p. 20.* 652 iacere et urbi exulum *E.* — te t. e. *et v.* 653 *Iocastae dantur A* 653 asscribi *E*

ETE. Regnare non vult esse qui invisus timet:
simul ista mundi conditor posuit deus,
odium atque regnum: regis hoc magni reor,
odia ipsa premere. multa dominantem vetat
amor suorum; plus in iratos licet.
qui vult amari, languida regnat manu.
IOC. Invisa numquam imperia retinentur diu.
ETE. Praecepta melius imperi reges dabunt;
exilia tu dispone. pro regno velim —
IOC. Patriam penates coniugem flammis dare?
ETE. Imperia pretio quolibet constant bene.

---

654 POL. *codd. correxit Grotius* 656 regis et m. *A* 657 odia ista *A* 659 regnet ς 661 *Iocastae continuatur A Polynici datur E correxit Grotius* 662 oppone *E.* — e. t. d. *Iocastae continuatur,* pro *e. q. s. ad finem Polynici dantur A* 664 POL. *E*

PHOENISSARVM TRAGOEDIA FINIT | INCIPIT MEDEA *E sequitur Hippolytus A*

M E D E A

PERSONAE

MEDEA
NVTRIX
CREO
IASON
NVNTIVS
CHORVS

SCAENA CORINTHI

MEDEA

Di coniugales tuque genialis tori,
Lucina, custos quaeque domituram freta
Tiphyn novam frenare docuisti ratem,
et tu, profundi saeve dominator maris,
clarumque Titan dividens orbi diem,
tacitisque praebens conscium sacris iubar
Hecate triformis, quosque iuravit mihi
deos Iason, quosque Medeae magis
fas est precari: noctis aeternae chaos,
aversa superis regna manesque impios
dominumque regni tristis et dominam fide
meliore raptam, voce non fausta precor.
nunc, nunc adeste, sceleris ultrices deae,
crinem solutis squalidae serpentibus,
atram cruentis manibus amplexae facem,
adeste, thalamis horridae quondam meis
quales stetistis: coniugi letum novae
letumque socero et regiae stirpi date.
mihi peius aliquid, quod precer sponso, manet:
vivat. per urbes erret ignotas egens
exul pavens invisus incerti laris,
iam notus hospes limen alienum expetat,
me coniugem optet quoque non aliud queam
peius precari, liberos similes patri
similesque matri — parta iam, parta ultio est:
peperi. querelas verbaque in cassum sero?
non ibo in hostes? manibus excutiam faces
caeloque lucem — spectat hoc nostri sator
Sol generis, et spectatur, et curru insidens
per solita puri spatia decurrit poli?
non redit in ortus et remetitur diem?

---

2 domitorem freti *A* 10 adversa *A* 13 adeste adeste *A* 19 sponso malum *codd. correxi* 20 errat *E*, *corr. 1 m. ut vid.* 22ª *et* 23ª *transposui* (me coni. opt., lim. al. exp. | iam n. h. *codd.*) 25 matri pariat. iam parta uitio est *E* [*nolui* pariat. en] 26 fero *A* 29 spectator *A*. — currus *E* 31 num redit ς. — remetitur: *inter* e *et* m *eras.* d *E*

da, da per auras curribus patriis vehi,
committe habenas, genitor, et flagrantibus
ignifera loris tribue moderari iuga:
gemino Corinthos litore opponens moras
cremata flammis maria committat duo.
hoc restat unum, pronubam thalamo feram
ut ipsa pinum postque sacrificas preces
caedam dicatis victimas altaribus.
per viscera ipsa quaere supplicio viam,
si vivis, anime, si quid antiqui tibi
remanet vigoris; pelle femineos metus
et inhospitalem Caucasum mente indue.
quodcumque vidit Pontus aut Phasis nefas,
videbit Isthmos. effera ignota horrida,
tremenda caelo pariter ac terris mala
mens intus agitat: vulnera et caedem et vagum
funus per artus — levia memoravi nimis:
haec virgo feci; gravior exurgat dolor:
maiora iam me scelera post partus decent.
accingere ira teque in exitium para
furore toto. paria narrentur tua
repudia thalamis: quo virum linques modo?
hoc quo secuta es. rumpe iam segnes moras:
quae scelere parta est, scelere linquenda est domus.

CHORVS

Ad regum thalamos numine prospero
qui caelum superi quique regunt fretum
adsint cum populis rite faventibus.
primum sceptriferis colla Tonantibus
taurus celsa ferat tergore candido;
Lucinam nivei femina corporis
intemptata iugo placet, et asperi
Martis sanguineas quae cohibet manus,
quae dat belligeris foedera gentibus
et cornu retinet divite copiam,
donetur tenera mitior hostia.
et tu, qui facibus legitimis ades,
noctem discutiens auspice dextera

32 patris *A* 33 comitte *E* 35 Corinthus *A*. — litori *codd. correxit Gronovius* 37 prenubam *E* ς 43 causa summente *E* 44 Phasis aut Pontus *A* 53 linquis *E* ς 55 pacta *A*. — linquetur domus *A* 59 primus *A* 61 feminam *E*

huc incede gradu marcidus ebrio,
praecingens roseo tempora vinculo.
et tu quae, gemini praevia temporis,
tarde, stella, redis semper amantibus:
te matres, avide te cupiunt nurus
quamprimum radios spargere lucidos.

Vincit virgineus decor
longe Cecropias nurus,
et quas Taygeti iugis
exercet iuvenum modo
muris quod caret oppidum,
et quas Aonius latex
Alpheosque sacer lavat.
si forma velit aspici,
cedent Aesonio duci
proles fulminis improbi
aptat qui iuga tigribus,
nec non, qui tripodas movet,
frater virginis asperae,
cedet Castore cum suo
Pollux caestibus aptior.
sic, sic, caelicolae, precor,
vincat femina coniuges,
vir longe superet viros.

Haec cum femineo constitit in choro,
unius facies praenitet omnibus.
sic cum sole perit sidereus decor,
et densi latitant Pleiadum greges
cum Phoebe solidum lumine non suo
orbem circuitis cornibus alligat.

* *

ostro sic niveus puniceo color
perfusus rubuit, sic nitidum iubar
pastor luce nova roscidus aspicit.
ereptus thalamis Phasidis horridi,
effrenae solitus pectora coniugis

---

73 avidae *E correxit de Wilamowitz* 77 quae *A* 78 exercent *A* 81 Alpheusque *A* 82 *post* 83 *A* 90 caelicolae: icol *1 m. i. ras. 5 litt. E* 94 praeeminet *A* 95 sideribus *A* 97 solitum *A* *post* 98 *hanc fere sententiam desideramus* [talem dum iuvenis conspicit, en rubor | perfudit subito purpureus genas] 99 phoeniceo ς 102 Phasidos horridis *A*

invita trepidus prendere dextera,
felix Aeoliam corripe virginem
nunc primum soceris, sponse, volentibus.
concesso, iuvenes, ludite iurgio,
hinc illinc, iuvenes, mittite carmina:
rara est in dominos iusta licentia.

Candida thyrsigeri proles generosa Lyaei,
multifidam iam tempus erat succendere pinum:
excute sollemnem digitis marcentibus ignem.
festa dicax fundat convicia fescenninus,
solvat turba iocos — tacitis eat illa tenebris,
si qua peregrino nubit fugitiva marito.

MEDEA

Occidimus, aures pepulit hymenaeus meas.
vix ipsa tantum, vix adhuc credo malum.
hoc facere Iason potuit, erepto patre
patria atque regno sedibus solam exteris
deserere durus? merita contempsit mea
qui scelere flammas viderat vinci et mare?
adeone credit omne consumptum nefas?
incerta vaecors mente vaesana feror
partes in omnes; unde me ulcisci queam?
utinam esset illi frater! est coniunx: in hanc
ferrum exigatur. hoc meis satis est malis?
si quod Pelasgae, si quod urbes barbarae
novere facinus quod tuae ignorent manus,
nunc est parandum. scelera te hortentur tua
et cuncta redeant: inclitum regni decus
raptum et nefandae virginis parvus comes
divisus ense, funus ingestum patri
sparsumque ponto corpus et Peliae senis
decocta aeno membra: funestum impie
quam saepe fudi sanguinem, et nullum scelus
irata feci: movit infelix amor.
Quid tamen Iason potuit, alieni arbitri
iurisque factus? debuit ferro obvium

105 Aoniam prendito virginem *A* 106 socero *E*. — sponte *ς* 109 dominos: i *ex* o *1 m. E* 112 sollempnem *prior* e *ex* o *1 m. E* 114 locos *E* (*non enotavi; Σ ut A*)) 115 fugitura *A* 118 haec *A* 122 credet *E* 123 mente non sana *A* 126 sat est *A* 127 urbis *E* 128 ignorant *A* 132 incestum *A* 135 vidi sang. *E* 136 saevit *inf. codd. correxi*

offerre pectus — melius, a melius, dolor
furiose, loquere. si potest, vivat meus,
ut fuit, Iason; si minus, vivat tamen
memorque nostri muneri parcat meo.
culpa est Creontis tota, qui sceptro impotens
coniugia solvit quique genetricem abstrahit
natis et arto pignore astrictam fidem
dirimit: petatur, solus hic poenas luat
quas debet. alto cinere cumulabo domum;
videbit atrum verticem flammis agi
Malea longas navibus flectens moras.
NVTR. Sile, obsecro, questusque secreto abditos
manda dolori. gravia quisquis vulnera
patiente et aequo mutus animo pertulit,
referre potuit: ira quae tegitur nocet;
professa perdunt odia vindictae locum.
MED. Levis est dolor qui capere consilium potest
et clepere sese: magna non latitant mala.
libet īre contra. NVTR. Siste furialem impetum,
alumna: vix te tacita defendit quies.
MED. Fortuna fortes metuit, ignavos premit.
NVTR. Tunc est probanda, si locum virtus habet.
MED. Numquam potest non esse virtuti locus.
NVTR. Spes nulla rebus monstrat adflictis viam.
MED. Qui nil potest sperare, desperet nihil.
NVTR. Abiere Colchi, coniugis nulla est fides
nihilque superest opibus e tantis tibi.
MED. Medea superest, hic mare et terras vides
ferrumque et ignes et deos et fulmina.
NVTR. Rex est timendus. MED. Rex meus fuerat pater.
NVTR. Non metuis arma? MED. Sint licet terra edita.
NVTR. Moriere. MED. Cupio. NVTR. Profuge. MED. Paenituit fugae.
NVTR. Medea — MED. Fiam. NVTR. Mater es. MED. Cui sim vides.
NVTR. Profugere dubitas? MED. Fugiam, at ulciscar prius.
NVTR. Vindex sequetur. MED. Forsan inveniam moras.
NVTR. Compesce verba, parce iam, demens, minis
animosque minue: tempori aptari decet.
MED. Fortuna opes auferre, non animum potest.

---

139 afferre *E*. — a] ac *E* 142 muneris *E* 152 motus *A* 154 produnt ς *ante* 158 *erasum Medeae nomen E* 162 monstrat rebus ς 163 nil] nichil *E* 168 *sq. versuum in E distributionem v. I, 36* 170 NVT. *ante* fugae (fuge) ς 171 fiam] fugiam ς. — Medea fugiam? *sine nominum notis A* 172 fugiam sed *E* ς et ς corr. Avantius

sed cuius ictu regius cardo strepit?
ipse est Pelasgo tumidus imperio Creo.

CREO

Medea, Colchi noxium Aeetae genus,
nondum meis exportat e regnis pedem?
molitur aliquid: nota fraus, nota est manus.
cui parcet illa quemve securum sinet?
abolere propere pessimam ferro luem
equidem parabam: precibus evicit gener.
concessa vita est, liberet fines metu
abeatque tuta. fert gradum contra ferox
minaxque nostros propius affatus petit.
arcete, famuli, tactu et accessu procul,
iubete sileat. regium imperium pati
aliquando discat. vade veloci fuga
monstrumque saevum horribile iamdudum avehe.
MED. Quod crimen aut quae culpa multatur fuga?
CR. Quae causa pellat, innocens mulier rogat.
MED. Si iudicas, cognosce. CR. Si regnas, iube.
MED. Iniqua numquam regna perpetuo manent.
CR. I, querere Colchis. MED. Redeo: qui avexit, ferat.
CR. Vox constituto sera decreto venit.
MED. Qui statuit aliquid parte inaudita altera,
aequum licet statuerit, haud aequus fuit.
CR. Auditus a te Pelia supplicium tulit?
sed fare, causae detur egregiae locus.
MED. Difficile quam sit animum ab ira flectere
iam concitatum quamque regale hoc putet
sceptris superbas quisquis admovit manus,
qua coepit ire, regia didici mea.
quamvis enim sim clade miseranda obruta,
expulsa supplex sola deserta, undique
afflicta, quondam nobili fulsi patre
avoque clarum Sole deduxi genus.
quodcumque placidis flexibus Phasis rigat

CR. Aequum atque iniquum regis imperium feras

179 *scaenae inscriptum*: Creo. idem *E* Creon. Medea *A* 179 ete *2 m. i. ras. 3 litt. E* oete (Aeetae *Aldina*) *A* 180 e *om. E* 181 minus *E* 190 valde v. fuga *E* vade v. via *A* 194 *Medeae totum tribuunt codd. correxi* 195 *delevi* 196—274 *extant in R* 197 cholchis *E.* — advexit *REA corr.* ς 200 aecum *R.* — haut aecus *R* 201 Pelias *codd. cum R correxit Avantius* 204 hoc caput *RA* 208 *suplex R* 209 adflicta *R* 211 rigat: t *i. ras. R*

Pontusque quidquid Scythicus a tergo videt,
palustribus qua maria dulcescunt aquis,
armata peltis quidquid exterret cohors
inclusa ripis vidua Thermodontiis,
hoc omne noster genitor imperio regit.
generosa, felix, decore regali potens
fulsi: petebant tunc meos thalamos proci,
qui nunc petuntur. rapida fortuna ac levis
praecepsque regno eripuit, exilio dedit.
confide regnis, cum levis magnas opes
huc ferat et illuc casus — hoc reges habent
magnificum et ingens, nulla quod rapiat dies:
prodesse miseris, supplices fido lare
protegere. solum hoc Colchico regno extuli,
decus illud ingens Graeciae et florem inclitum,
praesidia Achivae gentis et prolem deum
servasse memet. munus est Orpheus meum,
qui saxa cantu mulcet et silvas trahit,
geminique munus Castor et Pollux meum est
satique Borea quique trans Pontum quoque
summota Lynceus lumine immisso videt,
omnesque Minyae: nam ducem taceo ducum,
pro quo nihil debetur: hunc nulli imputo;
vobis revexi ceteros, unum mihi.
incesse nunc et cuncta flagitia ingere.
fatebor: obici crimen hoc solum potest,
Argo reversa. virgini placeat pudor
paterque placeat: tota cum ducibus ruet
Pelasga tellus, hic tuus primum gener
tauri ferocis ore flammanti occidet.
fortuna causam quae volet nostram premat,
non paenitet servasse tot regum decus.
quodcumque culpa praemium ex omni tuli,
hoc est penes te. si placet, damna ream;
sed redde crimen. sum nocens, fateor, Creo:
talem sciebas esse, cum genua attigi

213 durescunt *RE* 214 peltis: t *ras. ex* l (*ut vid.*) 2 *m. E.* — exercet ς 218 tum *R.* — thal. viri *A* 219 tunc *E.* — rabida *RE* 220 erip. et ex. *EA recte R* 224 supplices *sic R* (*cf. v. 208. 248*) 226 illut *R.* — Graeciae florem *RA* gloriae florem *E correxit Studemundus.* — inclytum *R* 230 geminumque *codd. correxit N. Heinsius adv. p. 122* 232 inmisso *R* 233 *post* ducem *eras.* d *E.* — ducum taceo ducem *RA* 240 primus *A* 241 fraglanti *R* flagranti *A* 244 tulit *E de R non certo constat*

fidemque supplex praesidis dextrae peti;
iterum miseriis angulum ac sedem rogo
latebrasque viles: urbe si pelli placet,
detur remotus aliquis in regnis locus.
CR. Non esse me qui sceptra violentus geram
nec qui superbo miserias calcem pede,
testatus equidem videor haud clare parum
generum exulem legendo et afflictum et gravi
terrore pavidum, quippe quem poenae expetit
letoque Acastus regna Thessalica optinens.
senio trementem debili atque aevo gravem
patrem peremptum queritur et caesi senis
discissa membra, cum dolo captae tuo
piae sorores impium auderent nefas.
potest Iason, si tuam causam amoves,
suam tueri: nullus innocuum cruor
contaminavit, afuit ferro manus
proculque vestro purus a coetu stetit.
tu, tu malorum machinatrix facinorum,
feminea cui nequitia ad audenda omnia,
robur virile est, nulla famae memoria,
egredere, purga regna, letales simul
tecum aufer herbas, libera cives metu,
alia sedens tellure sollicita deos.
MED. Profugere cogis? redde fugienti ratem
et redde comitem — fugere cur solam iubes?
non sola veni. bella si metuis pati,
utrumque regno pelle. cur sontes duos
distinguis? illi Pelia, non nobis iacet;
fugam, rapinas adice, desertum patrem
lacerumque fratrem, quidquid etiam nunc novas
docet maritus coniuges, non est meum:
totiens nocens sum facta, sed numquam mihi.
CR. Iam exisse decuit. quid seris fando moras?
MED. Supplex recedens illud extremum precor,

248 suplex *R*. — dextra *RE* 249 terram ac miseris *R* terra hac miseriis *A* terram miseriis *E correxi*. — et sedem *RA* 252 violenter *A* 254 video aut *R* 255 adflictum *R* afflictum: u *ex* e *1 m. E* 256 quippe quem *R* quippe *om. E* quippe te *A* 260 discisca *E*. — coeptae *E* 263 nullus (*sic*) innocuus *R* 266 sed tu *A* 267 cui feminae *R* cui feminea *EA correxit Bothius*. — audenda *R et E*, *sed* da *2 m. ex* de audendum *A* 268 virile robur (*om.* est) *A* 272 ratim: i *non certa R* 273 vel redde *codd. cum R correxi* 276 Pelias *E* ς *278 nunc nota E* 279 conuoces *E*

ne culpa natos matris insontes trahat.
CR. Vade: hos paterno ut genitor excipiam sinu.
MED. Per ego auspicatos regii thalami toros,
per spes futuras perque regnorum status,
Fortuna varia dubia quos agitat vice,
precor, brevem largire fugienti moram,
dum extrema natis mater infigo oscula,
fortasse moriens. CR. Fraudibus tempus petis.
MED. Quae fraus timeri tempore exiguo potest?
CR. Nullum ad nocendum tempus angustum est malis.
MED. Parumne miserae temporis lacrimis negas?
CR. Etsi repugnat precibus infixus timor,
unus parando dabitur exilio dies.
MED. Nimis est, recidas aliquid ex isto licet:
et ipsa propero. CR. Capite supplicium lues,
clarum priusquam Phoebus attollat diem
nisi cedis Isthmo. sacra me thalami vocant,
vocat precari festus Hymenaeo dies.

CHORVS

Audax nimium qui freta primus
rate tam fragili perfida rupit
terrasque suas post terga videns
animam levibus credidit auris,
inter vitae mortisque vias
nimium gracili limite ducto.
Candida nostri saecula patres
videre, procul fraude remota.
sua quisque piger litora tangens
patrioque senex factus in arvo,
parvo dives, nisi quas tulerat
natale solum, non norat opes:
nondum quisquam sidera norat,
stellisque quibus pingitur aether
non erat usus, nondum pluvias
dubioque secans aequora cursu
potuit tenui fidere ligno

287 quo sagittat *E* 294 infelix timor *A* 296 nimis est et ex hoc aliquid abscidas licet *A* (et *om.* ς) 297 *totus Creonti datur A.* — propera *A* 298 clarus *A* 300 *om. E* 301 *adfert Diomed. p. 511, 23 K.* ('anapaesticum choricum habemus in Seneca: audax — primus') *cf. p. 517, 30* 303 posterga *E* 305. 306 *dittographiam ad 301. 302 delevi post v.* 308 *Richterus reposuit v. 329—334* 311 nondum pliadas *A*

Hyadas poterat vitare ratis,
non Oleniae lumina caprae,
nec quae sequitur flectitque senex
Attica tardus plaustra Bootes,
nondum Boreas, nondum Zephyrus
nomen habebant.
Ausus Tiphys pandere vasto
carbasa ponto legesque novas
scribere ventis: nunc lina sinu
tendere toto, nunc prolato
pede transversos captare notos,
nunc antemnas medio tutas
ponere malo, nunc in summo
religare loco, cum iam totos
avidus nimium navita flatus
optat et alto rubicunda tremunt
sipara velo.
bene dissaepti foedera mundi
traxit in unum Thessala pinus
iussitque pati verbera pontum,
partemque metus fieri nostri
mare sepositum.
dedit illa graves improba poenas
per tam longos ducta timores,
cum duo montes, claustra profundi,
hinc atque illinc subito impulsu
velut aetherio gemerent sonitu,
spargeret arces nubesque ipsas
mare deprensum.
palluit audax Tiphys et omnes
labente manu misit habenas,
Orpheus tacuit torpente lyra
ipsaque vocem perdidit Argo.
quid cum Siculi virgo Pelori,
rabidos utero succincta canes,
omnes pariter solvit hiatus?
quis non totos horruit artus
totiens uno latrante malo?

---

312 poterant vitare rates *A* 313 sidera caprae *A* 314 non quae *A*. — defletque *EA corr.* ς 315 arctica *A*. — boetes ς 328 suppara *A* 339—345 *dimetri E cf. I, 109* 345 spargeret astra *A* sp. astris *E correxit Madvigius adv. II p. 123* (arcis). — depressum *E* ς 352 omnis *E*

quid cum Ausonium dirae pestes
voce canora mare mulcerent,
cum Pieria resonans cithara
Thracius Orpheus solitam cantu
retinere rates paene coegit
Sirena sequi? quod fuit huius
pretium cursus? aurea pellis
maiusque mari Medea malum,
merces prima digna carina.
Nunc iam cessit pontus et omnes
patitur leges: non Palladia
compacta manu regumque ferens
inclita remos quaeritur Argo —
quaelibet altum cumba pererrat;
terminus omnis motus et urbes
muros terra posuere nova,
nil qua fuerat sede reliquit
pervius orbis:
Indus gelidum potat Araxen,
Albin Persae Rhenumque bibunt —
venient annis saecula seris,
quibus Oceanus vincula rerum
laxet et ingens pateat tellus
Tethysque novos detegat orbes
nec sit terris ultima Thule.

NVTRIX

Alumna, celerem quo rapis tectis pedem?
resiste et iras comprime ac retine impetum.
Incerta qualis entheos gressus tulit
cum iam recepto maenas insanit deo
Pindi nivalis vertice aut Nysae iugis,
talis recursat huc et huc motu effero,
furoris ore signa lymphati gerens.
flammata facies spiritum ex alto citat,
proclamat, oculos uberi fletu rigat,
renidet: omnis specimen affectus capit.

359 ratem *E* 366 regum referens *codd. correxit Madvigius l. s.* 367 remis ς 369 metus *E* 370 novos *A* 371 nichil *E* 372—379 terris *dimetri, claudit monometer E* 378 Tiphysque *A* 380 *scaenae inscribitur* Nutrix. Medea 382 pentheos gressus *E* entheos (ethneos) cursus *A* 384 Pindi iugalis *A* 386 lymphatici ς 388 proclamat . . o superi, oculos fl. r. *A*

quo pondus animi vergat, ubi ponat minas,
haeret: minatur aestuat queritur gemit.
ubi se iste fluctus franget? exundat furor.
non facile secum versat aut medium scelus;
se vincet: irae novimus veteris notas.
magnum aliquid instat, efferum immane impium:
vultum furoris cerno. di fallant metum!

MEDEA

Si quaeris odio, misera, quem statuas modum:
imitare amorem. regias egone ut faces
inulta patiar? segnis hic ibit dies,
tanto petitus ambitu, tanto datus?
dum terra caelum media libratum feret
nitidusque certas mundus evolvet vices
numerusque harenis derit et solem dies,
noctem sequentur astra, dum siccas polus
versabit Arctos, flumina in pontum cadent,
numquam meus cessabit in poenas furor
crescetque semper — quae ferarum immanitas,
quae Scylla, quae Charybdis Ausonium mare
Siculumque sorbens quaeve anhelantem premens
Titana tantis Aetna fervebit minis?
non rapidus amnis, non procellosum mare
Pontusve coro saevus aut vis ignium
adiuta flatu possit imitari impetum
irasque nostras: sternam et evertam omnia.
Timuit Creontem ac bella Thessalici ducis?
amor timere neminem verus potest.
sed cesserit coactus et dederit manus:
adire certe et coniugem extremo alloqui
sermone potuit — hoc quoque extimuit ferox;
laxare certe tempus immitis fugae
genero licebat — liberis unus dies
datus est duobus. non queror tempus breve:
multum patebit. faciet hic faciet dies
quod nullus umquam taceat — invadam deos
et cuncta quatiam. NVTR. Recipe turbatum malis,

391 quo pondus istud verget? ubi ponet minas *A* 390 *et* 391 *commutavi* 394 se iungit *E*. — veteres *A* 398 emitare *E* 408 Ionium mare *A* 409 quaeque *A* 412 pontusque *A* 413 inhibere impetum *codd. correxi* 417 convictus *A* 418 e. c.] coniugem et *E* 422 est *om. A* 423 f. d.] dies faciet E 424 deos: e *ex* i *2 m. E*

era, pectus, animum mitiga. MED. Sola est quies,
mecum ruina cuncta si video obruta:
mecum omnia abeant. trahere, cum pereas, libet.
NVTR. Quam multa sint timenda, si perstas, vide:
nemo potentes aggredi tutus potest.

IASON

O dura fata semper et sortem asperam,
cum saevit et cum parcit ex aequo malam!
remedia quotiens invenit nobis deus
periculis peiora: si vellem fidem
praestare meritis coniugis, leto fuit
caput offerendum; si mori nollem, fide
misero carendum. non timor vicit fidem,
sed trepida pietas: quippe sequeretur necem
proles parentum. sancta si caelum incolis
Iustitia, numen invoco ac testor tuum:
nati patrem vicere. quin ipsam quoque,
etsi ferox est corde nec patiens iugi,
consulere natis malle quam thalamis reor.
constituit animus precibus iratam aggredi.
atque ecce, viso memet exiluit, furit,
fert odia prae se: totus in vultu est dolor.
MED. Fugimus, Iason: fugimus — hoc non est novum,
mutare sedes; causa fugiendi nova est:
pro te solebam fugere. discedo exeo,
penatibus profugere quam cogis tuis:
at quo remittis? Phasin et Colchos petam
patriumque regnum quaeque fraternus cruor
perfudit arva? quas peti terras iubes?
quae maria monstras? Pontici fauces freti
per quas revexi nobilem regum manum
adulterum secuta per Symplegadas?
parvamne Iolcon, Thessala an Tempe petam?
quascumque aperui tibi vias, clausi mihi —

---

430 potentem *E* 431 *scaenae inscribitur* Iason. idem *E* Ias. Med. *A* 432 mala *E* 433 totiens *A* 436 nolim *A* 437 carendum est *A*. — vincit virum *A* 438 nece *E*, *sed fuisse videtur* necem *cf. I, 24* 439 o sancta *edd. inde ab Aldina: non est in codd.* 451 ad quos *codd. correxi* 453 *adfert Quintilianus IX, 2, 8* 'aut (interrogamus) invidiae gratia, ut Medea apud Senecam: quas p. t. iubes?' 455 nobiles regum manus *A* 456 adulterum: *prior* u *ex* a *3 m. E* 457 colon *E* colchon *A correxit Avantius.* — ante paepetam E

quo me remittis? exuli exilium imperas
nec das. "eatur." regius iussit gener:
nihil recuso. dira supplicia ingere:
merui. cruentis paelicem poenis premat
regalis ira, vinculis oneret manus
clausamque saxo noctis aeternae obruat:
minora meritis patiar — ingratum caput,
revolvat animus igneos tauri halitus
hostisque subiti tela, cum iussu meo
terrigena miles mutua caede occidit;
adice expetita spolia Phrixei arietis
somnoque iussum lumina ignoto dare
insomne monstrum, traditum fratrem neci
et scelere in uno non semel factum scelus,
ausasque natas fraude deceptas mea
secare membra non revicturi senis:
per spes tuorum liberum et certum larem,
per victa monstra, per manus, pro te quibus
numquam peperci, perque praeteritos metus,
per caelum et undas, coniugi testes mei,
miserere, redde supplici felix vicem.
aliena quaerens regna deserui mea:
ex opibus illis, quas procul raptas Scythae
usque a perustis Indiae populis agunt,
quas quia referta vix domus gaza capit,
ornamus auro nemora, nil exul tuli
nisi fratris artus: hos quoque impendi tibi;
tibi patria cessit, tibi pater, frater, pudor —
hac dote nupsi. redde fugienti sua.
IAS. Perimere cum te vellet infestus Creo,
lacrimis meis evictus exilium dedit.
MED. Poenam putabam: munus ut video est fuga.

interque saevos gentis indomitae metus
armifero in arvo flammeum Aeetae pecus,

459 *adfert Ennodius apolog. pro synodo* (*Sirmondi opp. I p. 979*, *Migne LXIII p. 190*) 'adolescentiae meae memini me legisse temporibus de quodam dictum: exuli exilium imperas nec das.' *cf. Vsener. Mus. Rhen. XXVIII p. 391.* — exul *E* 466 o ingratum *A* 467. 468 *delevi* (*v. 468 deleverat Richterus*) *cf. 1, 211* 468 aetae *E* oete (Aeetae *Aldina*) *A* 472 summoque *E* 475 iussasque *codd. correxit N. Heinsius adv. p. 123* 477 *posui post v. 482* (*post v. 487 Delrio*). — aliena sequens *A* (sequens *trisyllabum esse voluit*) 483 sithae *E* 484 petunt *A* 485 quasque ref. (ref. quasque *Aldina*) *A.* — gazas *codd. correxit de Wilamowitz* 486 nichil *E* 488 tibi pater tibi frater *E* tibi frater pater (pat. fr. *Aldina*) *A*

IAS. Dum licet abire, profuge teque hinc eripe:
gravis ira regum est semper. MED. Hoc suades mihi,
praestas Creusae: paelicem invisam amoves.
IAS. Medea amores obicit? MED. Et caedem et dolos.
IAS. Obicere tandem quod potes crimen mihi?
MED. Quodcumque feci. IAS. Restat hoc unum insuper,
tuis ut etiam sceleribus fiam nocens.
MED. Tua illa, tua sunt illa: cui prodest scelus
is fecit — omnes coniugem infamem arguant,
solus tuere, solus insontem voca:
tibi innocens sit quisquis est pro te nocens.
IAS. Ingrata vita est cuius acceptae pudet.
MED. Retinenda non est cuius acceptae pudet.
IAS. Quin potius ira concitum pectus doma,
placare natis. MED. Abdico eiuro abnuo —
meis Creusa liberis fratres dabit?
IAS. Regina natis exulum, afflictis potens.
MED. Non veniat umquam tam malus miseris dies
qui prole foeda misceat prolem inclitam,
Phoebi nepotes Sisyphi nepotibus.
IAS. Quid, misera, meque teque in exitium trahis?
abscede quaeso. MED. Supplicem audivit Creo.
IAS. Quid facere possim, loquere. MED. Pro me? vel scelus.
IAS. Hinc rex et illinc — MED. Est et his maior metus:
Medea. nos † confligere. certemus sine,
sit pretium Iason. IAS. Cedo defessus malis.
et ipsa casus saepe iam expertos time.
MED. Fortuna semper omnis infra me stetit.
IAS. Acastus instat. MED. Propior est hostis Creo:
utrumque profuge. non ut in socerum manus
armes nec ut te caede cognata inquines
Medea cogit: innocens mecum fuge.
IAS. Et quis resistet, gemina si bella ingruant,
Creo atque Acastus arma si iungant sua?
MED. His adice Colchos, adice et Aeeten ducem,
Scythas Pelasgis iunge: demersos dabo.
IAS. Alta extimesco sceptra. MED. Ne cupias vide.

---

496 mores *E*. — obicis ς 497 potest *E*. — crimen quod potes tand. *A* 509 *Medeae continuatur* ς 510 ne *in E esse Bothius* (*e Iac. Gronovii schedis*) *refert. nihil enotavi*. — malis *E corr. 2 m.* 512 siscyphi *E* 513 exilium *codd. correxit Avantius* 517 conflige *Avantius* cum rege *Buecheleus. mihi vv. 516—520 dittographia videntur* 520 intra *A* 521 *totus Iasoni datur A* 522 nolo ut *A* 525 ingravant *E* 527 et *om.* ς. — aetem *E* oetem (Aeetem *Aldina*) *A*

IAS. Suspecta ne sint, longa colloquia amputa.
MED. Nunc summe toto Iuppiter caelo tona,
intende dextram, vindices flammas para
omnemque ruptis nubibus mundum quate.
nec deligenti tela librentur manu
vel me vel istum: quisquis e nobis cadet
nocens peribit, non potest in nos tuum
errare fulmen. IAS. Sana meditari incipe,
et placida fare. si quod ex soceri domo
potest fugam levare solamen, pete.
MED. Contemnere animus regias, ut scis, opes
potest soletque; liberos tantum fugae
habere comites liceat in quorum sinu
lacrimas profundam. te novi nati manent.
IAS. Parere precibus cupere me fateor tuis;
pietas vetat: namque istud ut possim pati,
non ipse memet cogat et rex et socer.
haec causa vitae est, hoc perusti pectoris
curis levamen. spiritu citius queam
carere, membris, luce. MED. Sic natos amat?
bene est, tenetur, vulneri patuit locus. —
suprema certe liceat abeuntem loqui
mandata, liceat ultimum amplexum dare:
gratum est et illud. voce iam extrema peto,
ne, si qua noster dubius effudit dolor,
maneant in animo verba: melioris tibi
memoria nostri sedeat; haec irae data
oblitterentur. IAS. Omnia ex animo expuli
precorque et ipse, fervidam ut mentem regas
placideque tractes: miserias lenit quies.
MED. Discessit. itane est? vadis oblitus mei
et tot meorum facinorum? excidimus tibi?
numquam excidemus. hoc age, omnes advoca
vires et artes. fructus est scelerum tibi
nullum scelus putare. vix fraudi est locus:
timemur. hac aggredere, qua nemo potest
quicquam timere. perge nunc, aude, incipe
quidquid potest Medea, quidquid non potest.

---

534 diligenti *codd. correxit Bothius* (*Ascensius*). — manum *E* 535 in me vel i. *A* 538 quid *A* 545 istud non possum (haud p. *Poggius*, *Avantius*) *A* 546 non si ipse *A* 549 signatos *E* si hic natos *A* 554 ne qua si ς 555 melior (sed m. *Poggius*, *Avantius*) *A* 556 subeat *A* 558 ipsa ς *562 excides E.* — omnis *E* 567 potes – potes *A.* — Medea *om. E*

Tu, fida nutrix, socia maeroris mei
variique casus, misera consilia adiuva.
est palla nobis, munus aetherium, domus
decusque regni, pignus Aeetae datum
a Sole generis, est et auro textili
monile fulgens quodque gemmarum nitor
distinguit aurum, quo solent cingi comae.
haec nostra nati dona nubenti ferant,
sed ante diris inlita ac tincta artibus.
vocetur Hecate. sacra letifica appara:
statuantur arae, flamma iam tectis sonet.

CHORVS

Nulla vis flammae tumidive venti
tanta, nec teli metuenda torti,
quanta cum coniunx viduata taedis
ardet et odit;
non ubi hibernos nebulosus imbres
Auster advexit properatque torrens
Hister et iunctos vetat esse pontes
ac vagus errat;
non ubi impellit Rhodanus profundum,
aut ubi in rivos nivibus solutis
sole iam forti medioque vere
tabuit Haemus.
caecus est ignis stimulatus ira
nec regi curat patiturve frenos
aut timet mortem: cupit ire in ipsos
obvius enses.
parcite, o divi, veniam precamur,
vivat ut tutus mare qui subegit.
sed furit vinci dominus profundi
regna secunda.
ausus aeternos agitare currus
immemor metae iuvenis paternae
quos polo sparsit furiosus ignes
ipse recepit.

570 aethereae *A* 571 aete *E* oete (Aeetae *Aldina*) *A* 572 gemmis ς 577 luctifica *A* 578 struantur *A* 579—594 *extant in eclogis cod. Thuanei. v. s. ad Tro. 64* 579 tumidi euenti *Th.* tumidique *A* 580 tanta necta lima uendat *sic Th.* 584 austeraduxit *Th.* 585 cunctos *Th.* 587 ubi pellit *E* nbi pullit *Th.* (*cf. v. 727*) 589 forte *ex* fortis (*l m*?) *Th.* 590 tabuit themuf *Th.* 593 haud *A* 599 aeterno sagittare *E*

constitit nulli via nota magno:
vade qua tutum populo priori,
rumpe nec sacro, violente, sancta
foedera mundi.

Quisquis audacis tetigit carinae
nobiles remos nemorisque sacri
Pelion densa spoliavit umbra,
quisquis intravit scopulos vagantes
et tot emensus pelagi labores
barbara funem religavit ora
raptor externi rediturus auri,
exitu diro temerata ponti
iura piavit.

exigit poenas mare provocatum:
Tiphys in primis, domitor profundi,
liquit indocto regimen magistro;
litore externo, procul a paternis
occidens regnis tumuloque vili
tectus ignotas iacet inter umbras.
Aulis amissi memor inde regis
portibus lentis retinet carinas
stare querentes.

ille vocali genitus Camena,
cuius ad chordas modulante plectro
restitit torrens, siluere venti,
cum suo cantu volucris relicto
adfuit tota comitante silva,
Thracios sparsus iacuit per agros,
at caput tristi fluitavit Hebro:
contigit notam Styga Tartarumque,
non rediturus.

stravit Alcides Aquilone natos,
patre Neptuno genitum necavit
sumere innumeras solitum figuras:
ipse post terrae pelagique pacem,
post feri Ditis patefacta regna,

---

605 r. n. sancti violente mundi *A* 606 foedera sacra *A* 608 nobiles ramos nemoris sacrati *A* 619 Litore: L *i. ras. litterae* T *E* 622 auris ς. — amissae *A*. — reges ς 627 siluae reuertenti *E* 628 cui suo *A* tum suo *E correxi*. — uolucres *E* 631 ad caput tractus fluuialis Hebri *A* ad caput tristis fluuitauit Hebri *E correxit Gronovius*

vivus ardenti recubans in Oeta
praebuit saevis sua membra flammis,
tabe consumptus gemini cruoris
munere nuptae.

stravit Ancaeum violentus ictu
saetiger; fratrem, Meleagre, matris
impius mactas morerisque dextra
matris iratae. meruere cuncti
morte quod crimen tener expiavit
Herculi magno puer inrepertus,
raptus, heu, tutas puer inter undas.
ite nunc, fortes, perarate pontum
fonte timendo.

Idmonem, quamvis bene fata nosset,
condidit serpens Libycis harenis;
omnibus verax, sibi falsus uni
concidit Mopsus caruitque Thebis.
ille si vere cecinit futura,
igne fallaci nociturus Argis
Nauplius praeceps cadet in profundum,
* * * patrioque pendet
crimine poenas:

fulmine et ponto moriens Oileus,
coniugis fatum redimens Pheraei
uxor, impendens animam marito.
ipse qui praedam spoliumque iussit
aureum prima revehi carina,
ustus accenso Pelias aeno
arsit angustas vagus inter undas.
iam satis, divi, mare vindicastis:
parcite iusso.

---

exul erravit Thetidis maritus

---

641 gemini prioris *E* 643 Antaeum *EA corr.* ς 644 fratres *A* (*cf. Hom. I, 567*) 649 heu] est *A* 651 sorte timenda *A* ponte timendo *E correxit Gronovius* 655 morsus *E* 657 *delevi* (errabit *vix aptius vulg. post Gruterum*) 658 ille fallaci *E* 659 cadit *codd. correxit Gruterus* 660 patrioque pendet (pendit *A*) crimine poenas *uno versu codd. hemistichium intercidisse Peiperus vidit. quod sic supplemus:* [occidet proles]. *de Wilamowitz post v. 659* (*non deleto v. 657*) *intercidisse coniecit adonium cum stropha heroas nunc Aulide morantes* (*cf. I, 135*) *recensente et reliquos Argonautarum propinquos sceleris-que participes adserente. strophae frustula esse v. 660. 661* (patrio-que – Oileus) 663 impendit *A*

NVTRIX

Pavet animus, horret, magna pernicies adest.
immane quantum augescit et semet dolor
accendit ipse vimque praeteritam integrat.
vidi furentem saepe et aggressam deos,
caelum trahentem: maius his, maius parat
Medea monstrum. namque ut attonito gradu
evasit et penetrale funestum attigit,
totas opes effundit et quidquid diu
etiam ipsa timuit promit atque omnem explicat
turbam malorum, arcana secreta abdita,
et triste laeva † comprecans sacrum manu
pestes vocat quascumque ferventis creat
harena Libyae quasque perpetua nive
Taurus cohercet frigore Arctoo rigens,
et omne monstrum. tracta magicis cantibus
squamifera latebris turba desertis adest.
hic saeva serpens corpus immensum trahit
trifidamque linguam exertat et quaerit quibus
mortifera veniat: carmine audito stupet
tumidumque nodis corpus aggestis plicat
cogitque in orbes. 'parva sunt' inquit 'mala
et vile telum est, ima quod tellus creat:
caelo petam venena. iam iam tempus est
aliquid movere fraude vulgari altius.
huc ille vasti more torrentis iacens
descendat anguis, cuius immensos duae,
maior minorque, sentiunt nodos ferae
(maior Pelasgis apta, Sidoniis minor)
pressasque tandem solvat Ophiuchus manus
virusque fundat; adsit ad cantus meos
lacessere ausus gemina Python numina.
et Hydra et omnis redeat Herculea manu
succisa serpens, caede se reparans sua.
tu quoque relictis pervigil Colchis ades,
sopite primum cantibus, serpens, meis.'

670 *scaenae inscribitur* Nutrix. Medea 671 augessit *E* 677 effudit *codd. correxi* 680 complicans *A* comparans *proposuit Buecheler* 681 ferventi *EA corr.* ς 683 arcto oriens *E* 685 squamea lat. *A* 686 sera *A* 687 quaerens *A* 692 iam nunc t. e. *A* iam t. e. *E correxit Gronovius* 694—708 *et* 722—744 *extant in R* 696 *post* 701 *R* 698 ophiucus *RE* 699 fundat *2 m.* eandat *1 m. R* 700 phyton *E*ς 701 manus *RE* 702 succisa: *ante* a *expuncta* t *vel* i *ut vid. R.* — sede *E* 703 oolchis *sic R*

Postquam evocavit omne serpentum genus,
congerit in unum frugis infaustae mala:
quaecumque generat invius saxis Eryx,
quae fert opertis hieme perpetua iugis
sparsus cruore Caucasus Promethei,
et quis sagittas divites Arabes linunt
pharetraque pugnax Medus aut Parthi leves,
aut quos sub axe frigido sucos legunt
lucis Suebae nobiles Hyrcaniis;
quodcumque tellus vere nidifico creat
aut rigida cum iam bruma discussit decus
nemorum et nivali cuncta constrinxit gelu,
quodcumque gramen flore mortifero viret,
quicumque tortis sucus in radicibus
causas nocendi gignit, attrectat manu.
Haemonius illas contulit pestes Athos,
has Pindus ingens, illa Pangaei iugis
teneram cruenta falce deposuit comam;
has aluit altum gurgitem Tigris premens,
Danuvius illas, has per arentes plagas
tepidis Hydaspes gemmifer currens aquis,
nomenque terris qui dedit Baetis suis
Hesperia pulsans maria languenti vado.
haec passa ferrum est, dum parat Phoebus diem,
illius alta nocte succisus frutex;
at huius ungue secta cantato seges.
Mortifera carpit gramina ac serpentium
saniem exprimit miscetque et obscenas aves
maestique cor bubonis et raucae strigis
exsecta vivae viscera. haec scelerum artifex
discreta ponit; his rapax vis ignium,
his gelida pigri frigoris glacies inest.
addit venenis verba non illis minus
metuenda. sonuit ecce vesano gradu
canitque. mundus vocibus primis tremit.

---

706 frugiis infautae *R* 709—721 *om. R* 709 sparsas *E* 710. 711 *transposuit Gronovius* 710 Parthus levis *A* 711 qui *codd. correxit Avantius* 712 quo *E* 713 Suevi *A*. — Hercyniis ς (*Avantius*) 714 quotcumque *E* 718 dirusve tortis *A* virusque tortis *E correxi* e a 721 panchaei *E* 724 danuvius *R* danubius *EA*. — hisperarintes plagis *sic ut vid. R* 725 gemmisferr (*sed del. ult.* r, *vix del.* s) *R* 728 est *om. R* 729 succisu *R* 730 ad *R*. — unge *R* 731 ac *om. E* 732 et *om. R* 734 execta *R* 735 hic *R* 736 dis gel. E

MEDEA

Comprecor vulgus silentum vosque ferales deos
et Chaos caecum atque opacam Ditis umbrosi domum,
Tartari ripis † ligatos squalidae Mortis specus.
supplicis, animae, remissis currite ad thalamos novos:
rota resistat membra torquens, tangat Ixion humum,
Tantalus securus undas hauriat Pirenidas.
gravior uni poena sedeat coniugis socero mei:
lubricus per saxa retro Sisyphum volvat lapis.
vos quoque, urnis quas foratis inritus ludit labor,
Danaides, coite: vestras hic dies quaerit manus. —
nunc meis vocata sacris, noctium sidus, veni
pessimos induta vultus, fronte non una minax.

Tibi more gentis vinculo solvens comam
secreta nudo nemora lustravi pede
et evocavi nubibus siccis aquas
egique ad imum maria, et Oceanus graves
interius undas aestibus victis dedit;
pariterque mundus lege confusa aetheris
et solem et astra vidit et vetitum mare
tetigistis, ursae. temporum flexi vices:
aestiva tellus floruit cantu meo,
coacta messem vidit hibernam Ceres;
violenta Phasis vertit in fontem vada
et Hister, in tot ora divisus, truces
compressit undas omnibus ripis piger.
Sonuere fluctus, tumuit insanum mare
tacente vento; nemoris antiqui domus
amisit umbras, vocis imperio meae
die reducto; Phoebus in medio stetit
Hyadesque nostris cantibus motae labant:
adesse sacris tempus est, Phoebe, tuis.

tibi haec cruenta serta texuntur manu,
novena quae serpens ligat,

---

740 *Medeae nomen om. R.* — Vos precor *A post* comprecor *expunct.* c *1 m. R.* — vos quoque *R ut vid.* 741 adque *R* 742 *conieci:* ligati squal. M. specu | supplicis, manes, remissis (specu *F. Haasius teste Peipero suppl. praef. p. 34*) 743 suppliciis *codd. cum R.* — at *R ut vid.* 744 oxyon *E* 746 uni *om. A* 748 vosque u. q. ς (vosque q. u. *Avantius*) 761 messem coacta *A* (coactam ς) 766 n. a. decus domus *E* 767 umbram *A* 768 die relicto Ph. *codd. correxi*

tibi haec Typhoeus membra quae discors tulit,
qui regna concussit Iovis.
vectoris istic perfidi sanguis inest,
quem Nessus expirans dedit.
Oetaeus isto cinere defecit rogus,
qui virus Herculeum bibit.
piae sororis, impiae matris, facem
ultricis Althaeae vides.
reliquit istas invio plumas specu
Harpyia, dum Zeten fugit.
his adice pinnas sauciae Stymphalidos
Lernaea passae spicula.
sonuistis, arae, tripodas agnosco meos
favente commotos dea.

Video Triviae currus agiles,
non quos pleno lucida vultu
pernox agitat, sed quos facie
lurida maesta, cum Thessalicis
vexata minis caelum freno
propiore legit. sic face tristem
pallida lucem funde per auras,
horrore novo terre populos
inque auxilium, Dictynna, tuum
pretiosa sonent aera Corinthi.
tibi sanguineo caespite sacrum
sollemne damus, tibi de medio
rapta sepulchro fax nocturnos
sustulit ignes, tibi mota caput
flexa voces cervice dedi,
tibi funereo de more iacens
passos cingit vitta capillos,
tibi iactatur tristis Stygia
ramus ab unda, tibi nudato
pectore maenas sacro feriam
bracchia cultro. manet noster
sanguis ad aras: assuesce, manus,
stringere ferrum carosque pati

---

773 qui ς (*Aldina*) 775 vectoris : ec *i. ras. 1 m. E* 782 harpyia: *prior* a *2 m. eraso* ae *E* 785 sonuistis a. é. trip. (*apices 2 m. adiecti ut frequenter longis vocalibus*) *E* 790 lur. metat *E* 803 p. vincit *A*

posse cruores — sacrum laticem
percussa dedi.
quodsi nimium saepe vocari
quereris votis, ignosce precor:
causa vocandi, Persei, tuos
saepius arcus una atque eadem est
semper, Iason.
tu nunc vestes tinge Creusae,
quas cum primum sumpserit, imas
urat serpens flamma medullas.
ignis fulvo clusus in auro
latet obscurus, quem mihi caeli
qui furta luit viscere feto
dedit et docuit condere vires
arte, Prometheus. dedit et tenui
sulphure tectos Mulciber ignes,
et vivacis fulgura flammae
de cognato Phaethonte tuli.
habeo mediae dona Chimaerae,
habeo flammas usto tauri
gutture raptas, quas permixto
felle Medusae tacitum iussi
servare malum.
adde venenis stimulos, Hecate,
donisque meis semina flammae
condita serva. fallant visus
tactusque ferant, meet in pectus
venasque calor, stillent artus
ossaque fument vincatque suas
flagrante coma nova nupta faces.
Vota tenentur: ter latratus
audax Hecate dedit et sacros
edidit ignes face lucifera.

Peracta vis est omnis: huc natos voca,
pretiosa per quos dona nubenti feras.
ite, ite, nati, matris infaustae genus,
placate vobis munere et multa prece
dominam ac novercam. vadite et celeres domum
referte gressus, ultimo amplexu ut fruar.

---

818 iimas *sic E* 821 obscura *E* 824 artem *A*. — tenuit *A* *828 clymerae E* 837 stillet *E* 842 luctifera *A* 847 ac] et *A*

CHORVS

Quonam cruenta maenas
praeceps amore saevo
rapitur? quod impotenti
facinus parat furore?
vultus citatus ira
riget et caput feroci
quatiens superba motu
regi minatur ultro.
quis credat exulem?

flagrant genae rubentes,
pallor fugat ruborem,
nullum vagante forma
servat diu colorem.
huc fert pedes et illuc,
ut tigris orba natis
cursu furente lustrat
Gangeticum nemus.

frenare nescit iras
Medea, non amores;
nunc ira amorque causam
iunxere: quid sequetur?
quando efferet Pelasgis
nefanda Colchis arvis
gressum metuque solvet
regnum simulque reges?
nunc, Phoebe, mitte currus
nullo morante loro,
nox condat alma lucem,
mergat diem timendum
dux noctis Hesperus.

NVNTIVS

Periere cuncta, concidit regni status.
nata atque genitor cinere permixto iacent.

---

853 caecatus *E*, *prior* a *erasa* 860—878 (*i. e. ab incipiente f. 63*^{r}) *versus binorum colorum distinctis colorum initiis* 865 ganticicum *E* 879 *scaenae inscribitur* Nunt. Chor. Nutr. Med. Ias. *A* Nunt. Chor. Med. Ias. *E cf. I, 83*

CHOR. Qua fraude capti? NVNT. Qua solent reges capi:
donis. CHOR. In illis esse quis potuit dolus?
NVNT. Et ipse miror vixque iam facto malo
potuisse fieri credo. quis cladis modus?
avidus per omnem regiae partem furit
ut iussus ignis: iam domus tota occidit,
urbi timetur. CHOR. Vnda flammas opprimat.
NVNT. Et hoc in ista clade mirandum accidit:
alit unda flammas, quoque prohibetur magis,
magis ardet ignis: ipsa praesidia occupat.

NVTRIX

Effer citatum sede Pelopea gradum,
Medea, praeceps quaslibet terras pete.

MEDEA

Egone ut recedam? si profugissem prius,
ad hoc redirem. nuptias specto novas.
quid, anime, cessas? sequere felicem impetum.
pars ultionis ista, qua gaudes, quota est?
amas adhuc, furiose, si satis est tibi
caelebs Iason. quaere poenarum genus
haut usitatum iamque sic temet para:
fas omne cedat, abeat expulsus pudor;
vindicta levis est quam ferunt purae manus.
incumbe in iras teque languentem excita
penitusque veteres pectore ex imo impetus
violentus hauri. quidquid admissum est adhuc,
pietas vocetur. hoc age et faxis sciant
quam levia fuerint quamque vulgaris notae
quae commodavi scelera. prolusit dolor
per ista noster: quid manus poterant rudes
audere magnum? quid puellaris furor?
Medea nunc sum; crevit ingenium malis.
Iuvat, iuvat rapuisse fraternum caput;
artus iuvat secuisse et arcano patrem
spoliasse sacro, iuvat in exitium senis

---

882 *totus choro datur E* 884 qu. cl. m. *choro tribuunt codd. correxi* 891 *personae notam om. E* 897 furiosa *codd. correxi* (*cf. v. 904*) 899 haustu citatum *E* 901 parvae manus *A* 904 violentius ς. — adm. adh. est *E* 905 faxo *codd. correxi* 907 praelusit ς 912 ortus *E* 913 exitium: *alteram* i *add. 1—2 m. E*

armasse natas. quaere materiam, dolor:
ad omne facinus non rudem dextram afferes.
Quo te igitur, ira, mittis, aut quae perfido
intendis hosti tela? nescio quid ferox
decrevit animus intus et nondum sibi
audet fateri. stulta properavi nimis:
ex paelice utinam liberos hostis meus
aliquos haberet — quidquid ex illo tuum est,
Creusa peperit. placuit hoc poenae genus,
meritoque placuit: ultimum, agnosco, scelus
animo parandum est — liberi quondam mei,
vos pro paternis sceleribus poenas date.
Cor pepulit horror, membra torpescunt gelu
pectusque tremuit. ira discessit loco
materque tota coniuge expulsa redit.
egone ut meorum liberum ac prolis meae
fundam cruorem? melius, a, demens furor!
incognitum istud facinus ac dirum nefas
a me quoque absit; quod scelus miseri luent?
scelus est Iason genitor et maius scelus
Medea mater — occidant, non sunt mei;
pereant, mei sunt. crimine et culpa carent,
sunt innocentes: fateor, et frater fuit.
quid, anime, titubas? ora quid lacrimae rigant
variamque nunc huc ira, nunc illuc amor
diducit? anceps aestus incertam rapit;
ut saeva rapidi bella cum venti gerunt
utrimque fluctus maria discordes agunt
dubiumque fervet pelagus, haut aliter meum
cor fluctuatur. ira pietatem fugat
iramque pietas — cede pietati, dolor.
Huc, cara proles, unicum afflictae domus
solamen, huc vos ferte et infusos mihi
coniungite artus. habeat incolumes pater,
dum et mater habeat — urguet exilium ac fuga.
iam iam meo rapientur avulsi e sinu,
flentes, gementes osculis — pereant patri,
periere matri. rursus increscit dolor

---

915 afferens *A* 922 pepirit *E* 923 ult. magno sc. *A* 924 parendum *E* 930 a *om. E* 938 huc *sup. vers. 1 m. E* 939 deducit *E* 942 pelagus fervet *A* 949 evulsi *A* 950 oculis pereant patris ς 951 pariere *E*. — incresscit *E*

et fervet odium, repetit invitam manum
antiqua Erinys — ira, qua ducis, sequor.
utinam superbae turba Tantalidos meo
exisset utero bisque septenos parens
natos tulissem! sterilis in poenas fui —
fratri patrique quod sat est, peperi duos.
Quonam ista tendit turba Furiarum impotens?
quem quaerit aut quo flammeos ictus parat,
aut cui cruentas agmen infernum faces
intentat? ingens anguis excusso sonat
tortus flagello. quem trabe infesta petit
Megaera? — cuius umbra dispersis venit
incerta membris? frater est, poenas petit —
dabimus, sed omnes. fige luminibus faces,
lania, perure, pectus en Furiis patet.
Discedere a me, frater, ultrices deas
manesque ad imos ire securas iube:
mihi me relinque et utere hac, frater, manu
quae strinxit ensem — victima manes tuos
placamus ista. quid repens affert sonus?
parantur arma meque in exitium petunt.
excelsa nostrae tecta conscendam domus
caede incohata. perge tu mecum comes.
tuum quoque ipsa corpus hinc mecum aveham.
nunc hoc age, anime: non in occulto tibi est
perdenda virtus; approba populo manum.

IASON

Quicumque regum cladibus fidus doles,
concurre, ut ipsam sceleris auctorem horridi
capiamus. huc, huc fortis armiferi cohors
conferte tela, vertite ex imo domum.
MED. iam iam recepi sceptra germanum patrem,
spoliumque Colchi pecudis auratae tenent;
rediere regna, rapta virginitas redit.
o placida tandem numina, o festum diem,
o nuptialem! vade, perfectum est scelus;

---

952 invisam *codd. correxit Gronovius* 953 erinis *E* mentis *A*. — quo ς 961 intendat? igne. sanguis *E* 969 relinquere *E*, *sed alterum* re *expunxit 1—2 m.* — et *om. E* 975 ipse – avehe *A* 977 perpenda *E* 978 dolet·s *E 1 m.* regum es cl. f. dolens *A* 980 armigeri *A* 982 recipi *E* 985 nomina *E* 986 perf. sc. est *E*

vindicta nondum: perage, dum faciunt manus.
quid nunc moraris, anime? quid dubitas potens?
iam cecidit ira. paenitet facti, pudet.
quid, misera, feci? misera? paeniteat licet,
feci — voluptas magna me invitam subit,
et ecce crescit. derat hoc unum mihi,
spectator iste. nil adhuc facti reor:
quidquid sine isto fecimus sceleris perit.
IAS. En ipsa tecti parte praecipiti imminet.
huc rapiat ignes aliquis, ut flammis cadat
suis perusta. MED. Congere extremum tuis
natis, Iasŏn, funus, ac tumulum strue:
coniunx socerque iusta iam functis habent,
a me sepulti; natus hic fatum tulit,
hic te vidente dabitur exitio pari.
IAS. Per numen omne perque communes fugas
torosque, quos non nostra violavit fides,
iam parce nato. si quod est crimen, meum est:
me dedo morti; noxium macta caput.
MED. Hac qua recusas, qua doles, ferrum exigam.
i nunc, superbe, virginum thalamos pete,
relinque matres. IAS. Vnus est poenae satis.
MED. Si posset una caede satiari haec manus,
nullam petisset. ut duos perimam, tamen
nimium est dolori numerus angustus meo.
IAS. Iam perage coeptum facinus, haut ultra precor,
moramque saltem supplicis dona meis.
MED. Perfruere lento scelere, ne propera, dolor:
meus dies est; tempore accepto utimur.
IAS. Infesta, memet perime. MED. Misereri iubes.
bene est, peractum est. plura non habui, dolor,
quae tibi litarem. lumina huc tumida alleva,
ingrate Iason. coniugem agnoscis tuam?
sic fugere soleo. patuit in caelum via:
squamosa gemini colla serpentes iugo

in matre si quod pignus etiamnunc latet,
scrutabor ense viscera et ferro extraham.

991 me et invitam *E* me invisam *A* 993 ipse *A*. — nihil *E*. — factum *A* 998 n. I. *et* f. a. t. s. *singulis versibus E* 1005 dede *A* 1009 satiari manus *A* satiariamanus *E* *correxit Gronovius* 1012. 1013 *delevi cf. I, 208* 1014 perge *E*. — aut *E* 1016 *Iasoni continuatur* ς. — sceleri *E*

summissa praebent. recipe iam natos, parens;
ego inter auras aliti curru vehar.
IAS. Per alta vade spatia sublimi aethere,
testare nullos esse, qua veheris, deos.

1026 aetheri *E* aetheris *A*

MARCI · LVCII · ANNEI · SENECAE · MEDEA · | EXPLICIT · INCIPIT PHAEDRA · LEGE · INNOCENTI · FELICITER · *E sequitur Agamemnon A*

PHAEDRA

PERSONAE

HIPPOLYTUS
PHAEDRA
NVTRIX
THESEVS
NVNTIVS
CHORVS

SCAENA ATHENIS

HIPPOLYTVS

Ite, umbrosas cingite silvas
summaque montis iuga, Cecropii!
celeri planta lustrate vagi
quae saxosae loca Parnetho
subiecta iacent, quae Thriasiis
vallibus amnis rapida currens
verberat unda, scandite colles
semper canos nive Rhipaea;
hac, hac alii qua nemus alta
texitur alno, qua prata iacent
quae rorifera mulcens aura
Zephyrus vernas evocat herbas,
ubi per graciles levis Ilisos
labitur agros piger et steriles
amne maligno radit harenas;
vos qua Marathon tramite laevo
saltus aperit, qua comitatae
gregibus parvis nocturna petunt
pabula fetae; vos qua tepidis
subditus austris frigora mollit
durus Acharneus.
alius rupem dulcis Hymetti,
parvas alius calcet Aphidnas:
pars illa diu vacat immunis,
qua curvati litora ponti

---

ubi Maeander super inaequales

PHAEDRA *E Priscianus I p. 253, 7 H. (cf. ad v. 710)* HIPPOLYTVS *A*

2 *post* iuga *interpunxit Buechelerus* 4 saxosa *E correxi (cf. schol. Ar. Nub. 323* saxoso loca Parnethi *Scaliger)* saxa solo carpaneto (carpeneto) *A* 5 quae tristis *E* et quae thiasis *A correxit Raphelengius*. 8 riphea *EA* 13 *om. A.* — glaciles *E correxit Is. Pontanus.* — illissos *E* 14 *om. E.* — ubi Maeandros per inaequales *Hauptius opusc. I p. 149* 17 quem arathon *E* 20 ferae *A*(ς) 22 Acharnan *codd. correxit Gronovius* 24 athytnas *E* ephidnas *A* athimas ς *correxit Avantius*

Sunion urget. si quem tangit
gloria silvae, vocat hunc † Flius:
hic versatur, metus agricolis,
vulnere multo iam notus aper.
at vos laxas canibus tacitis
mittite habenas; teneant acres
lora Molossos et pugnaces
tendant Cretes fortia trito
vincula collo.
at Spartanos (genus est audax
avidumque ferae) nodo cautus
propiore liga: veniet tempus,
cum latratu cava saxa sonent;
nunc demissi nare sagaci
captent auras lustraque presso
quaerant rostro, dum lux dubia est,
dum signa pedum roscida tellus
impressa tenet.
alius raras cervice gravi
portare plagas, alius teretes
properet laqueos. picta rubenti
linea pinna vano cludat
terrore feras.
tibi vibretur missile telum,
tu grave dextra laevaque simul
robur lato dirige ferro,
tu praecipites clamore feras
subsessor ages; tu iam victor
curvo solves viscera cultro.
Ades en comiti, diva virago,
cuius regno pars terrarum
secreta vacat, cuius certis
petitur telis fera quae gelidum
potat Araxen et quae stanti
ludit in Histro. tua Gaetulos
dextra leones, tua Cretaeas
sequitur cervas; nunc veloces

---

27 synion *E* 28 philipis *A nec Φλυεῖς (Delrio) nec Φλυεύς (Gronovius) ferri potest.* Phlyis *a Φλυαί (cf. Φλυῆσι) vel* Phlyas *(scil.* vocat gloria silvae) *de Wilamowitz. conieci* Phlye 34 cressae ς. — vincula *e. q. s. dimetri, v.* 38_b *monometer E cf. I, 109* 36 cautas ς 39 dimissi *E*ς 40 capient *E* 45 rotare ς 48 libretur ς 60 cresseas *E*

figis dammas leviore manu.
tibi dant variae pectora tigres,
tibi villosi terga bisontes
latisque feri cornibus uri.
quidquid solis pascitur arvis,
sive illud Arabs divite silva
sive illud inops novit Garamans
vacuisque vagus Sarmata campis,
sive ferocis iuga Pyrenes
sive Hyrcani celant saltus,
arcus metuit, Diana, tuos.
tua si gratus numina cultor
tulit in saltus, retia vinctas
tenuere feras, nulli laqueum
rupere pedes: fertur plaustro
praeda gementi; tum rostra canes
sanguine multo rubicunda gerunt
repetitque casas rustica longo
turba triumpho.
en, diva, faves: signum arguti
misere canes — vocor in silvas.
hac, hac pergam qua via longum
compensat iter.

PHAEDRA

O magna vasti Creta dominatrix freti,
cuius per omne litus innumerae rates
tenuere † pontum quidquid Assyria tenus
tellure Nereus pervius rostris secat,
cur me in penates obsidem invisos datam
hostique nuptam degere aetatem in malis
lacrimisque cogis? profugus en coniunx abest
praestatque nuptae quam solet Theseus fidem.
fortis per altas invii retro lacus
vadit tenebras miles audacis proci,
solio ut revulsam regis inferni abstrahat;
pergit furoris socius, haud illum timor
pudorque tenuit — stupra et illicitos toros
Acheronte in imo quaerit Hippolyti pater.

---

62 figit *E* 67 *post* 68 *A* 69 siue: iue *i. ras. 1 m. E* 71 *traieci post v. 68* 77 trementi *A.* — cum *ς* 81 fave *EA corr. ς* *scaenae inscriptum* Phaedra Nutrix 87 *conieci* portus 88 pervium *A* 98 quaerit: q *i. ras. 1 m. E*

Sed maior alius incubat maestae dolor.
non me quies nocturna, non altus sopor
solvere curis: alitur et crescit malum
et ardet intus qualis Aetnaeo vapor
exundat antro. Palladis telae vacant
et inter ipsas pensa labuntur manus;
non colere donis templa votivis libet,
non inter aras, Atthidum mixtam choris,
iactare tacitis conscias sacris faces,
nec adire castis precibus aut ritu pio
adiudicatae praesidem terrae deam:
iuvat excitatas consequi cursu feras
et rigida molli gaesa iaculari manu.
Quo tendis, anime? quid furens saltus amas?
fatale miserae matris agnosco malum:
peccare noster novit in silvis amor.
genetrix, tui me miseret: infando malo
correpta pecoris efferum saevi ducem
audax amasti; torvus, impatiens iugi
adulter ille, ductor indomiti gregis —
sed amabat aliquid. quis meas miserae deus
aut quis iuvare Daedalus flammas queat?
non si ipse remeet, arte Mopsopia potens
qui nostra caeca monstra conclusit domo,
promittat ullam casibus nostris opem.
stirpem perosa Solis invisi Venus
per nos catenas vindicat Martis sui
suasque, probris omne Phoebeum genus
onerat nefandis: nulla Minois levi
defuncta amore est, iungitur semper nefas.

NVTRIX

Thesea coniunx, clara progenies Iovis,
nefanda casto pectore exturba ocius,
extingue flammas neve te dirae spei
praebe obsequentem: quisquis in primo obstitit
pepulitque amorem, tutus ac victor fuit;
qui blandiendo dulce nutrivit malum,
sero recusat ferre quod subiit iugum.

---

103 andro *E* 106 choros *E* 109 adiudicatam *A* 116 efferi saevum *A* 121 ille *codd. correxi* 123 promittet *Eς* 124 perosam *E*. — nemus *1 m.* venus *2—3 m. E*

Nec me fugit, quam durus et veri insolens
ad recta flecti regius nolit tumor.
quemcumque dederit exitum casus feram:
fortem facit vicina libertas senem.
Honesta primum est velle nec labi via,
pudor est secundus nosse peccandi modum.
quo, misera, pergis? quid domum infamem aggravas
superasque matrem? maius est monstro nefas:
nam monstra fato, moribus scelera imputes.
si, quod maritus supera non cernit loca,
tutum esse facinus credis et vacuum metu,
erras; teneri crede Lethaeo abditum
Thesea profundo et ferre perpetuam Styga:
quid ille, lato maria qui regno premit
populisque reddit iura centenis, pater?
latere tantum facinus occultum sinet?
sagax parentum est cura. credamus tamen
astu doloque tegere nos tantum nefas:
quid ille rebus lumen infundens suum
matris parens? quid ille qui mundum quatit
vibrans corusca fulmen Aetnaeum manu,
sator deorum? credis hoc posse effici,
inter videntes omnia ut lateas avos?
sed ut secundus numinum abscondat favor
coitus nefandos utque contingat stupro
negata magnis sceleribus semper fides:
quid poena praesens conscius mentis pavor
animusque culpa plenus et semet timens?
scelus aliqua tutum, nulla securum tulit.
compesce amoris impii flammas, precor,
nefasque quod non ulla tellus barbara
commisit umquam, non vagi campis Getae
nec inhospitalis Taurus aut sparsus Scythes;
expelle facinus mente castifica horridum
memorque matris metue concubitus novos.
miscere thalamos patris et nati apparas

---

138. 139 *Phaedrae sunt EA corr.* ς (*Delrii Moguntinus*) 140 non ista pr. *E correxit N. Heinsius* (*cf. Gronov.*) obstare pr. *A* 142 gravas *A* 147 e. tamen tu cr. *A* 148 prof. ferre perpetuam stygem *A* prof. et ferri perpetua in styga *E* (*inter* a *et* in *ras. 2 m. facta E* et fere perpetua in *M* et ferre perpetuam: m *2 m. i. ras. N*) 155 quid ille *bis E* 162 consciae noctis ς 167 vagus campis Geta *A* 171 gnata (gnato *m. rec.*) *E*

uteroque prolem capere confusam impio?
perge et nefandis verte naturam ignibus —
cur monstra cessant? aula cur fratris vacat?
prodigia totiens orbis insueta audiet,
natura totiens legibus cedet suis,
quotiens amabit Cressa? PH. Quae memoras scio
vera esse, nutrix; sed furor cogit sequi
peiora. vadit animus in praeceps sciens
remeatque frustra sana consilia appetens.
sic cum gravatam navita adversa ratem
propellit unda, cedit in vanum labor
et victa prono puppis aufertur vado.
quid ratio possit? vicit ac regnat furor
potensque tota mente dominatur deus.
hic volucer omni pollet in terra impotens
laesumque flammis torret indomitis Iovem;
Gradivus istas belliger sensit faces,
opifex trisulci fulminis sensit deus,
et qui furentes semper Aetnaeis iugis
versat caminos igne tam parvo calet;
ipsumque Phoebum, tela qui nervo regit,
figit sagitta certior missa puer
volitatque caelo pariter et terris gravis.
NVTR. Deum esse amorem turpis et vitio furens
finxit libido, quoque liberior foret
titulum furori numinis falsi addidit.
natum per omnes scilicet terras vagum
Erycina mittit, ille per caelum volans
proterva tenera tela molitur manu
regnumque tantum minimus e superis habet:
vana ista demens animus ascivit sibi
Venerisque numen finxit atque arcus dei.
quisquis secundis rebus exultat nimis
fluitque luxu, semper insolita appetit.
tunc illa magnae dira fortunae comes
subit libido: non placent suetae dapes,
non tecta sani moris aut vilis scyphus.

---

174 patris *E* 184 quod ratio poscit vincit *A* 186 omni regnat *A.* — potens *codd. correxit N. Heinsius adv. p. 62* 187 ipsumque flammis *A* 189 trisulci: s *ex* f *E* 190 furentis *E* 194 terrae ς 195 turpi (turpe *Scriverius*) servitio favens *A* 201 in superis *A* 205 appetens *A* | 208 vilis cibus *A* ullus cibus *E correxit Bothius*

cur in penates rarius tenues subit
haec delicatas eligens pestis domos?
cur sancta parvis habitat in tectis Venus
mediumque sanos vulgus affectus tenet
et se coercent modica? contra divites
regnoque fulti plura quam fas est petunt?
quod non potest vult posse qui nimium potest.
quid deceat alto praeditam solio vides:
metue ac verere sceptra remeantis viri.
PH. Amoris in me maximum regnum puto
reditusque nullos metuo: non umquam amplius
convexa tetigit supera qui mersus semel
adiit silentem nocte perpetua domum.
NVTR. Ne crede Diti. clauserit regnum licet
canisque diras Stygius observet fores:
solus negatas invenit Theseus vias.
PH. Veniam ille amori forsitan nostro dabit.
NVTR. Immitis etiam coniugi castae fuit:
experta saevam est barbara Antiope manum.
sed posse flecti coniugem iratum puta:
quis huius animum flectet intractabilem?
exosus omne feminae nomen fugit,
immitis annos caelibi vitae dicat,
conubia vitat: genus Amazonium scias.
PH. Hunc in nivosi collis haerentem iugis,
et aspera agili saxa calcantem pede
sequi per alta nemora, per montes placet.
NVTR. Resistet ille seque mulcendum dabit
castosque ritus Venere non casta exuet?
tibi ponet odium, cuius odio forsitan
persequitur omnes? precibus haud vinci potest.
PH. Ferus est; amore didicimus vinci feros.
NVTR. Fugiet. PH. Per ipsa maria si fugiet, sequar.
NVTR. Patris memento. PH. Meminimus matris simul.
NVTR. Genus omne profugit. PH. Paelicis careo metu.
NVTR. Aderit maritus — PH. Nempe Perithoi comes?
NVTR. Aderitque genitor. PH. Mitis, Ariadnae pater.
NVTR. Per has senectae splendidas supplex comas

---

213 coernent *E* 216 perditam *E* 218 regnum fero *A* 222 Ditis *A* 227 est *om. E* 236. 237 *Phaedrae continuantur E* 239 prec. h. v. p. *Phaedrae datur A* 240 NVTR. f. e. PH. a. d. v. f. *A* 241 si fugiat *A* 242 meminimus: mus (m') *i. ras. 1 m., fort. eras.* s *E* 244 Pirithoi *A* 246 splendida *E*

fessumque curis pectus et cara ubera
precor, furorem siste teque ipsa adiuva:
pars sanitatis velle sanari fuit.
PH. Non omnis animo cessit ingenuo pudor.
paremus, altrix. qui regi non vult amor
vincatur. haud te, fama, maculari sinam.
haec sola ratio est, unicum effugium mali:
virum sequamur, morte praevertam nefas.
NVTR. Moderare, alumna, mentis effrenae impetus,
animos coerce. dignam ob hoc vita reor
quod esse temet autumas dignam nece.
PH. Decreta mors est: quaeritur fati genus.
laqueone vitam finiam an ferro incubem?
an missa praeceps arce Palladia cadam?
NVTR. Sic te senectus nostra praecipiti sinat
perire leto? siste furibundum impetum.
PH. Prohibere nulla ratio periturum potest
ubi qui mori constituit et debet mori.
proin castitatis vindicem armemus manum.
NVTR. Solamen annis unicum fessis, era,
si tam protervus incubat menti furor,
contemne famam — fama vix vero favet,
peius merenti melior et peior bono.
temptemus animum tristem et intractabilem.
meus iste labor est aggredi iuvenem ferum
mentemque saevam flectere immitis viri.

CHORVS

Diva non miti generata ponto,
quam vocat matrem geminus Cupido,
impotens flammis simul et sagittis,
iste lascivus puer et renidens
tela quam certo moderatur arcu!
non habet latam data plaga frontem,

---

haud quisquam ad vitam facile revocari potest.
labitur totas furor in medullas
igne furtivo populante venas.

---

248 ipsam *A* 249 par s. *E* 250 ingenio *E*, *sed corr. 1 m.* 256 ultra reor *E* 261 *post v. 266 reposuit Gronovius.* — NVT. pro, castitatis *A* (*Phaedrae est E*) 262 sinet ς 264 *om.* ς(*A*) *delevit Scaliger* 266 quis *A* 269 comtemne *E* 274 CHORVS. GRESSAE *sic E* 277 puer acre nitens *A* 278 iaculatur *A* 279. 280 *delevit Bothius*

sed vorat tectas penitus medullas.
nulla pax isti puero: per orbem
spargit effusas agilis sagittas;
quaeque nascentem videt ora solem,
quaeque ad Hesperias iacet ora metas,
si qua ferventi subiecta cancro,
si qua Parrhasiae glacialis ursae
semper errantes patitur colonos,
novit hos aestus. iuvenum feroces
concitat flammas senibusque fessis
rursus extinctos revocat calores,
virginum ignoto ferit igne pectus
et iubet caelo superos relicto
vultibus falsis habitare terras.
Thessali Phoebus pecoris magister
egit armentum positoque plectro
impari tauros calamo vocavit.
induit formas quotiens minores
ipse qui caelum nebulasque † fecit:
candidas ales modo movit alas,
dulcior vocem moriente cygno;
fronte nunc torva petulans iuvencus
virginum stravit sua terga ludo,
perque fraternos nova regna fluctus
ungula lentos imitante remos
pectore adverso domuit profundum,
pro sua vector timidus rapina.
arsit obscuri dea clara mundi
nocte deserta nitidosque fratri
tradidit currus aliter regendos:
ille nocturnas agitare bigas
discit et gyro breviore flecti,
dum tremunt axes graviore curru;
nec suum tempus tenuere noctes
et dies tardo remeavit ortu.
natus Alcmena posuit pharetras
et minax vasti spolium leonis,
passus aptari digitis zmaragdos

286 quaeque ad occasus iacet ora seros *A* 287 cancro est *codd. correxi* 288 si qua maioris gl. u. *A* 290 hestus *E* 300 ducit *A* (*νεφεληγερέταν innuit.* qui caelo nebulas reducit *N. Heinsius adv. p. 65* caelo nebulas coegit *de Wilamowitz. fort.* caelum nebulasque cogit) 302 voce *E* 305 mala regna *A* 316 *traiecі post v. 313*

et dari legem rudibus capillis;
crura distincto religavit auro,
luteo plantas cohibente socco;
et manu, clavam modo qua gerebat,
fila deduxit properante fuso:

Vidit Persis ditique ferax
Lydia regno deiecta feri
terga leonis * *
umerisque, quibus sederat alti
regia caeli, tenuem Tyrio
stamine pallam.
sacer est ignis (credite laesis)
nimiumque potens. qua terra salo
cingitur alto quaque per ipsum
candida mundum sidera currunt:
haec regna tenet puer immitis,
spicula cuius sentit in imis
pervius undis rex Nereidum
flammamque nequit relevare mari.
ignes sentit genus aligerum;
Venere instinctus suscipit audax
grege pro toto bella iuvencus;
si coniugio timuere suo,
poscunt timidi proelia cervi.
tunc virgatas India tigres
decolor horret; tunc vulnificos
acuit dentes aper et toto est
spumeus ore;
Poeni quatiunt colla leones
et mugitu dant concepti
signa furoris: cum movit Amor,
tum silva gemit murmure saevo.
amat insani belua ponti
Lucaeque boves: vindicat omnem
sibi naturam, nihil immune est,

---

323 davam *E, sed corr. 1 m.* 325 *ad marg. 1 m.* R; *E cf. I, 37.* — Perses ditisque *A* 326 regni *A.* — reiecta *E* 327 *sq. dimetri E* 327 *intercidisse conieci tale quid:* [sumptamque armis] *cf. I, 106* 330 laesi *E* 331 terra mari *A* 332 quaque aetherio *A* 333 mundo *A* 336 cerulus undis grex *A* 339 Venere instincti quam magna gerunt *A* 340 iuvenci *A* 342 *sqq. dimetri E* 343 et – furoris *traiecit post v. 348, cf. I, 107.* — mugitus *A* 350 tunc ς 352 lucique ς. — omnes | natura sibi *codd. correxit Buechelerus*

odiumque perit cum iussit Amor;
veteres cedunt ignibus irae —
quid plura canam? vincit saevas
cura novercas.

altrix, profare quid feras; quonam in loco est regina? saevis ecquis est flammis modus?

NVTRIX

Spes nulla tantum posse leniri malum,
finisque flammis nullus insanis erit.
torretur aestu tacito et inclusus quoque,
quamvis tegatur, proditur vultu furor;
erumpit oculis ignis et lassae genae
lucem recusant, nil idem dubiae placet
artusque varie iactat incertus dolor.
nunc ut soluto labitur moriens gradu
et vix labante sustinet collo caput,
nunc se quieti reddit et, somni immemor,
noctem querelis ducit; attolli iubet
iterumque poni corpus et solvi comas
rursusque fingi: semper impatiens sui
mutatur habitus. nulla iam Cereris subit
cura aut salutis; vadit incerto pede,
iam viribus defecta: non idem vigor,
non ora tinguens nitida purpureus rubor;
et qui ferebant signa Phoebeae facis
oculi nihil gentile nec patrium micant.
lacrimae cadunt per ora et assiduo genae
rore irrigantur, qualiter Tauri iugis
tepido madescunt imbre percussae nives.
Sed en, patescunt regiae fastigia.
reclinis ipsa sedis auratae toro
solitos amictus mente non sana abnuit.

---

populatur artus cura, iam gressus tremunt
tenerque nitidi corporis cecidit decor.

---

356 q. pl. c. *om. E* *post* 357 *nova scaena cui inscriptum* Phaedra Nutrix *vel* Phaed. Nut. Hippol. *A* 359 *post v. 404 legitur A.* — et quis *Eζ* *post* 359 *nova scaena cui inscriptum* Nutrix. Phaedra. Chorus *E* 360 lenire *E* 365 nihil *E* 377. 378 *delevi* 379 tenebant *A* 383 hymbrae *E.* — perfusae *A*

PHAEDRA

Removete, famulae, purpura atque auro inlitas
vestes, procul sit muricis Tyrii rubor,
quae fila ramis ultimi Seres legunt:
brevis expeditos zona constringat sinus,
cervix monili vacua, nec niveus lapis
deducat aures, Indici donum maris;
odore crinis sparsus Assyrio vacet.
sic temere iactae colla perfundant comae
umerosque summos, cursibus motae citis
ventos sequantur. laeva se pharetrae dabit,
hastile vibret dextra Thessalicum manus.
qualis relictis frigidi Ponti plagis
egit catervas Atticum pulsans solum
Tanaitis aut Maeotis et nodo comas
coegit emisitque, lunata latus
protecta pelta: talis in silvas ferar.
CHOR. Sepone questus: non levat miseros dolor;
agreste placa virginis numen deae.
NVTR. Regina nemorum, sola quae montes colis
et una solis montibus coleris dea,
converte tristes ominum in melius minas.
o magna silvas inter et lucos dea
clarumque caeli sidus et noctis decus,
cuius relucet mundus alterna vice,
Hecate triformis, en ades coeptis favens.
animum rigentem tristis Hippolyti doma:
det facilis aures; mitiga pectus ferum:
amare discat, mutuos ignes ferat.
innecte mentem; torvus aversus ferox
in iura Veneris redeat. huc vires tuas
intende: sic te lucidi vultus ferant
et nube rupta cornibus puris eas,

---

talis severi mater Hippolyti fuit.

---

387 atque: a *ex* e (2 *m. ut vid.*) *E* 392 auris *E* 398 *delevit N. Heinsius adv. p. 66* 401 tanais alti aut *E* tanatois *vel* tanais ς (*A*) *corr.* ς 404 *sqq. nutrici dantur A* 404 depone *A* *post* 404 *legitur v. 359 A* *post* 405 *novae scaenae inscriptum est* Hyppolitus. Nutrix *E* (*non adiecta ad v. 406 personae nota*) Nutr. Hipp. *vel* Nutr. Phaed. Hipp. ς 411 alterna face *A* 414. 415 *inverso ordine A* 416 adversus *A*

sic te regentem frena nocturni aetheris
detrahere numquam Thessali cantus queant
nullusque de te gloriam pastor ferat.
ades invocata, iam fave votis, dea:
ipsum intuor solemne venerantem sacrum
nullo latus comitante — quid dubitas? dedit
tempus locumque casus: utendum artibus.
trepidamus? haud est facile mandatum scelus
audere, verum iussa qui regis timet,
deponat omne et pellat ex animo decus:
malus est minister regii imperii pudor.

HIPPOLYTVS

Quid huc seniles fessa moliris gradus,
o fida nutrix, turbidam frontem gerens
et maesta vultu? sospes est certe parens
sospesque Phaedra stirpis et geminae iugum?
NVTR. Metus remitte. prospero regnum in statu est
domusque florens sorte felici viget.
sed tu beatis mitior rebus veni:
namque anxiam me cura sollicitat tui,
quod te ipse poenis gravibus infestus domas.
quem fata cogunt, ille cum venia est miser;
at si quis ultro se malis offert volens
seque ipse torquet, perdere est dignus bona
quis nescit uti. potius annorum memor
mentem relaxa: noctibus festis facem
attolle, curas Bacchus exoneret graves;
aetate fruere: mobili cursu fugit.
nunc facile pectus, grata nunc iuveni Venus:
exultet animus. cur toro viduo iaces?
tristem iuventam solve; nunc cursus rape,
effunde habenas, optimos vitae dies
effluere prohibe. propria descripsit deus
officia et aevum per suos duxit gradus:
laetitia iuvenem, frons decet tristis senem.
quid te coherces et necas rectam indolem?

---

423 favet *A* 428 iusta qui reges timet | deponat, omne pellat *codd. correxit N. Heinsius l. s.* 433 vultus *A* 438 anxia *E*. — sollititat *E* 439 infestus gravas *A* 440 cogunt hic quidem vivat miser *A* 441 antiquis ultro *E* 444 montibus *A* 445 bachus *E* 449 luxus rape *A* 454 cohercets (*i. e.* s *pro* t) *E*

seges illa magnum fenus agricolae dabit
quaecumque laetis tenera luxuriat satis,
arborque celso vertice evincet nemus
quam non maligna caedit aut resecat manus:
ingenia melius recta se in laudes ferunt,
si nobilem animum vegeta libertas alit.
truculentus et silvester ac vitae inscius
tristem iuventam Venere deserta coles?
hoc esse munus credis indictum viris,
ut dura tolerent, cursibus domitent equos
et saeva bella Marte sanguineo gerant?
quam varia leti genera mortalem trahunt
carpuntque turbam, pontus et ferrum et doli!
sed ista credas desse: sic atram Styga
iam petimus ultro — caelibem vitam probet
sterilis iuventus: hoc erit, quidquid vides,
unius aevi turba et in semet ruet.
providit ille maximus mundi parens,
cum tam rapaces cerneret Fati manus,
ut damna semper subole repararet nova.
excedat agedum rebus humanis Venus,
quae supplet ac restituit exhaustum genus:
orbis iacebit squalido turpis situ,
vacuum sine ullis piscibus stabit mare
alesque caelo derit et silvis fera,
solis et aer pervius ventis erit.
proinde vitae sequere naturam ducem:
urbem frequenta, civium coetum cole.
HIPP. Non alia magis est libera et vitio carens
ritusque melius vita quae priscos colat,
quam quae relictis moenibus silvas amat.
non illum avarae mentis inflammat furor
qui se dicavit montium insontem iugis,
non aura populi et vulgus infidum bonis,
non pestilens invidia, non fragilis favor;
non ille regno servit aut regno imminens
vanos honores sequitur aut fluxas opes,

---

457 evincit *A* 461 ac] et *A* 462 colis *A* *post* 465 *collocavi v. 475—480 (v. 466—468 post v. 476 posuerat Richterus)* 477 sed fata *codd. correxi* 467 fati minas *A* 468 sobole *E, sed prior* o *ex* u *2 m.* 470 restituet *E.* — humanum genus *A* 472 ullis classibus *codd. correxi* 482 coetus *A* 490 imminet *A*

spei metusque liber, haud illum niger
edaxque livor dente degeneri petit;
nec scelera populos inter atque urbes sata
novit nec omnes conscius strepitus pavet
aut verba fingit; mille non quaerit tegi
dives columnis nec trabes multo insolens
suffigit auro; non cruor largus pias
inundat aras, fruge nec sparsi sacra
centena nivei colla summittunt boves:
sed rure vacuo potitur et aperto aethere
innocuus errat. callidas tantum feris
struxisse fraudes novit et fessus gravi
labore niveo corpus Iliso fovet;
nunc ille ripam celeris Alphèi legit,
nunc nemoris alti densa metatur loca,
ubi Lerna puro gelida perlucet vado,
sedesque mutas: hinc aves querulae fremunt
ornique ventis lene percussae tremunt
veteresque fagi. iuvit aut amnis vagi
pressisse ripas, caespite aut nudo leves
duxisse somnos, sive fons largus citas
defundit undas sive per flores novos
fugiente dulcis murmurat rivo sonus.
excussa silvis poma compescunt famem
et fraga parvis vulsa dumetis cibos
faciles ministrant. regios luxus procul
est impetus fugisse: sollicito bibunt
auro superbi; quam iuvat nuda manu
captasse fontem! certior somnus premit
secura duro membra versantem toro.
non in recessu furta et obscuro improbus
quaerit cubili seque multiplici timens
domo recondit: aethera ac lucem petit
et teste caelo vivit. hoc equidem reor
vixisse ritu prima quos mixtos deis

---

494 inter atque: r a *i. ras. 2—3 m. E.* — sita *codd. correxit N. Heinsius adv. p. 66* 496 haud v. ς 498 sufficit *E* 504 eliso *E* 505 celerisale et legit *E, cf. I, 9* 506 metitur ς 508 sedemque mutat *A* sedesque mutat *E correxi cf. I, 223.* — hic *A* 509 ramique (*sup. lit.* q *ras. 1 lit.* (*fort.* s) *E*) v. l. percussi *codd. correxit N. Heinsius adv. p. 67* 510 iuvat *codd. correxit G. Fabricius* (*cf. Delrio*) 513 diffundit *A* 521 versantur *A* 522 secessu ς. — obscura *E*

profudit aetas. nullus his auri fuit
caecus cupido, nullus in campo sacer
divisit agros arbiter populis lapis;
nondum secabant credulae pontum rates:
sua quisque norat maria; non vasto aggere
crebraque turre cinxerant urbes latus;
non arma saeva miles aptabat manu
nec torta clausas fregerat saxo gravi
ballista portas, iussa nec dominum pati
iuncto ferebat terra servitium bove:
sed arva per se feta poscentes nihil
pavere gentes, silva nativas opes
et opaca dederant antra nativas domos.
rupere foedus impius lucri furor
et ira praeceps quaeque succensas agit
libido mentes; venit imperii sitis
cruenta, factus praeda maiori minor,
pro iure vires esse. tum primum manu
bellare nuda * * saxaque et ramos rudes
vertere in arma: non erat gracili levis
armata ferro cornus aut longo latus
mucrone cingens ensis aut crista procul
galeae comantes: tela faciebat dolor.
invenit artes bellicus Mavors novas
et mille formas mortis. hinc terras cruor
infecit omnes fusus et rubuit mare.
tum scelera dempto fine per cunctas domos
iere, nullum caruit exemplo nefas:
a fratre frater, dextera nati parens
cecidit, maritus coniugis ferro iacet
perimuntque fetus impiae matres suos;
taceo novercam: mitior nil est feris.
sed dux malorum femina: haec scelerum artifex
obsedit animos, huius incestis stupris
fumant tot urbes, bella tot gentes gerunt
et versa ab imo regna tot populos premunt.
sileantur aliae: sola coniunx Aegei,

---

527 perfudit *E* 537 sed: d *ex* r *1 m. E* 541 precesp *E* 543 cruentum facinus pr. ς 545 *post* nuda *hoc fere desideramus:* [tela tum saeva manu | aptare adorti] 548 aut triste (cristae *Aldina*) caput *A* 552 omnis *E* 558 taceo novercas. mitius nihil est feris *codd. correxi* (*cf. Eur. Alcest. 309*) 559 haec] et *A* 560 huius incesti *E correxit Iac. Gronovius* cuius incestae *A*

Medea, reddet feminas dirum genus.
NVTR. Cur omnium fit culpa paucarum scelus?
HIPP. Detestor omnes, horreo fugio execror.
sit ratio, sit natura, sit dirus furor:
odisse placuit. ignibus iunges aquas
et amica ratibus ante promittet vada
incerta Syrtis, ante ab extremo sinu
Hesperia Tethys lucidum attollet diem
et ora dammis blanda praebebunt lupi,
quam victus animum feminae mitem geram.
NVTR. Saepe obstinatis induit frenos Amor
et odia mutat. regna materna aspice:
illae feroces sentiunt Veneris iugum;
testaris istud unicus gentis puer.
HIPP. Solamen unum matris amissae fero,
odisse quod iam feminas omnes licet.
NVTR. Vt dura cautes undique intractabilis
resistit undis et lacessentes aquas
longe remittit, verba sic spernit mea.
Sed Phaedra praeceps graditur, impatiens morae.
quo se dabit fortuna? quo verget furor?
terrae repente corpus exanimum accidit
et ora morti similis obduxit color.
attolle vultus, dimove vocis moras:
tuus en, alumna, temet Hippolytus tenet.

PHAEDRA

Quis me dolori reddit atque aestus graves
reponit animo? quam bene exciderat mihi!
HIPP. Cur dulce munus redditae lucis fugis?
PH. Aude, anime, tempta, perage mandatum tuum.
intrepida constent verba: qui timide rogat
docet negare. magna pars sceleris mei
olim peracta est; serus est nobis pudor:
amavimus nefanda. si coepta exsequor,

---

565 cor *E*, *correctum a rubricatore* 566 omnis *E* 567 durus • *EA corr.* ς (*Aldina*) 574 *nutricis nomen om., add. manus de qua vide I, 17* (*ubi pro 634 sq. ponendum 582—644, i. e. fol. 75^{v} et 76^{r}*) *E* 577 genitus puer *A* 579 omnis *E* 582 *detersus una cum scholiis, littera* L *rubra et aliarum quarundam vestigiis* (*e. g.* [s]ic [s]pe) *relictis E; Σ ut A* 584 vergit *E* 585 repente terrae corpus exanimum cadit *A* 589 *novae scaenae inscribitur* Phaedra et idem *E* Phaed. Hipp. Nutr. *A* 591 *Phaedrae continuatur A*

forsan iugali crimen abscondam face:
honesta quaedam scelera successus facit —
en incipe, anime! — Commodes paulum, precor,
secretus aures. si quis est abeat comes.
HIPP. En locus ab omni liber arbitrio vacat.
PH. Sed ora coeptis transitum verbis negant;
vis magna vocem mittit et maior tenet.
vos testor omnes, caelites, hoc quod volo —
HIPP. Animusne cupiens aliquid effari nequit?
PH. Curae leves locuntur, ingentes stupent.
HIPP. Committe curas auribus, mater, meis.
PH. Matris superbum est nomen et nimium potens:
nostros humilius nomen affectus decet;
me vel sororem, Hippolyte, vel famulam voca,
famulamque potius: omne servitium feram.
non me per altas ire si iubeas nives,
pigeat gelatis ingredi Pindi iugis;
non, si per ignes ire et infesta agmina,
cuncter paratis ensibus pectus dare.
mandata recipe sceptra, me famulam accipe:
muliebre non est regna tutari urbium;
tu qui iuventae flore primaevo viges
cives paterno fortis imperio rege,
sinu receptam supplicem ac servam tege.
miserere viduae — HIPP. Summus hoc omen deus
avertat. aderit sospes actutum parens.
PH. Regni tenacis dominus et tacitae Stygis
nullam relictos fecit ad superos viam:
thalami remittet ille raptorem sui?
nisi forte amori placidus et Pluton sedet.
HIPP. Illum quidem aequi caelites reducem dabunt.
sed dum tenebit vota in incerto deus,
pietate caros debita fratres colam
et te merebor esse ne viduam putes
ac tibi parentis ipse supplebo locum.
PH. O spes amantum credula, o fallax Amor!

---

me nolle
te imperia regere, me decet iussa exsequi

---

598 non ista quaedam *E* 600 secretas *E* 603 emittit *A* 604 omnis *E* 605 *extat EA, om.* ς 618 *delevit Peiperus* 619 tutari patris *A* 628 sedet *1 m. ex* series *ut vid. E* 632 et te tuebor *A*

satisne dixi? precibus admotis agam.
Miserere, tacitae mentis exaudi preces —
libet loqui pigetque. HIPP. Quodnam istud malum est?
PH. Quod in novercam cadere vix credas malum.
HIPP. Ambigua voce verba perplexa iacis:
effare aperte. PH. Pectus insanum vapor
amorque torret. intimis fervet ferus
visceribus ignis mersus et venas latens
ut agilis altas flamma percurrit trabes.
HIPP. Amore nempe Thesei casto furis?
PH. Hippolyte, sic est: Thesei vultus amo
illos priores quos tulit quondam puer,
cum prima puras barba signaret genas
monstrique caecam Cnosii vidit domum
et longa curva fila collegit via.
quis tum ille fulsit! presserant vittae comam
et ora flavus tenera tinguebat pudor;
inerant lacertis mollibus fortes tori;
tuaeque Phoebes vultus aut Phoebi mei,
tuusque potius — talis, en talis fuit
cum placuit hosti, sic tulit celsum caput:
in te magis refulget incomptus decor;
est genitor in te totus et torvae tamen
pars aliqua matris miscet ex aequo decus:
in ore Graio Scythicus apparet rigor.
si cum parente Creticum intrasses fretum,
tibi fila potius nostra nevisset soror.
te te, soror, quacumque siderei poli
in parte fulges, invoco ad causam parem:
domus sorores una corripuit duas,
te genitor, at me natus. en supplex iacet
adlapsa genibus regiae proles domus.
respersa nulla labe et intacta, innocens

---

penitus medullas atque per venas meat

---

635 dixit *A* 639 perplexe ς 641 amore torret. intimis ferit ferus *1 m.* amorque torret. intima ferus vorat *2 m. E* amorque torret. intimas saevus vorat *A.* — fervet *Peiperus restituit (qui scripsit* fervit) 642 *om. E (ascriptus ut vid. manu de qua vide ad v. 574, sed erasus)* 643 venis *codd. correxit Bothius* 649 gnosii *codd.* 651 vitae *E* 652 ting. rubor *A* 654 tuaeve *codd. correxit Bothius* 658 et genitor *codd. correxit N. Heinsius adv. p. 67.* — in te torvus *A* 662 nevidisset *E* 663 siderea *E* 665 duas *corr. ex* imas *E (non enotavi utra manu:* duas Σ) 666 ac ς 668 labe nulla ς

tibi mutor uni. certa descendi ad preces:
finem hic dolori faciet aut vitae dies.
miserere amantis — HIPP. Magne regnator deum,
tam lentus audis scelera? tam lentus vides?
et quando saeva fulmen emittes manu,
si nunc serenum est? omnis impulsus ruat
aether et atris nubibus condat diem,
ac versa retro sidera obliquos agant
retorta cursus. tuque, sidereum caput,
radiate Titan, tu nefas stirpis tuae
speculare? lucem merge et in tenebras fuge.
cur dextra, divum rector atque hominum, vacat
tua nec trisulca mundus ardescit face?
in me tona, me fige, me velox cremet
transactus ignis — sum nocens, merui mori:
placui novercae. dignus en stupris ego?
scelerique tanto visus ego solus tibi
materia facilis? hoc meus meruit rigor?
o scelere vincens omne femineum genus,
genetrice peior! illa se tantum stupro
contaminavit, et tamen tacitum diu
crimen biformi partus exhibuit nota
scelusque matris arguit vultu truci
ambiguus infans — ille te venter tulit.
o ter quaterque prospero fato dati
quos hausit et peremit et leto dedit
odium dolusque — genitor, invideo tibi:
Colchide noverca maius haec, maius malum est.
PH. Et ipsa nostrae fata cognosco domus:
fugienda petimus; sed mei non sum potens.
te vel per ignes, per mare insanum sequar
rupesque et amnes, unda quos torrens rapit;
quacumque gressus tuleris hac amens agar —
iterum, superbe, genibus advolvor tuis.

---

o maius ausa matre monstrifera malum

---

669 mittor *A*. — discendi *E* 671 PHAED. magna *E* (*corr. manus de qua v. ad v. 574*) 673 ecquando *vulgo* (*post Avantium*). — emittis *E* 676 ac vestra *E* 677 syderium *E* 678 radiate tantum ne nefas *E* 684 en] an *A* 688 *delevit Bothius* 691 biformis *A* triformi *E* 695 ausit *E* 697 cholchide *E*. — hoc *codd. correxit N. Heinsius adv. p. 68* 702 amens sequar *A*

HIPP. Procul impudicos corpore a casto amove
tactus — quid hoc est? etiam in amplexus ruit?
stringatur ensis, merita supplicia exigat.
en impudicum crine contorto caput
laeva reflexi: iustior numquam focis
datus tuis est sanguis, arquitenens dea.
PH. Hippolyte, nunc me compotem voti facis;
sanas furentem. maius hoc voto meo est,
salvo ut pudore manibus immoriar tuis.
HIPP. Abscede, vive ne quid exores, et hic
contactus ensis deserat castum latus.
quis eluet me Tanais aut quae barbaris
Maeotis undis Pontico incumbens mari?
non ipse toto magnus Oceano pater
tantum expiarit sceleris. o silvae, o ferae!
NVTR. Deprensa culpa est. anime, quid segnis stupes?
regeramus ipsi crimen atque ultro impiam
Venerem arguamus: scelere velandum est scelus;
tutissimum est inferre, cum timeas, gradum.
ausae priores simus an passae nefas,
secreta cum sit culpa, quis testis sciet?
Adeste, Athenae! fida famulorum manus,
fer opem! nefandi raptor Hippolytus stupri
instat premitque, mortis intentat metum,
ferro pudicam terret — en praeceps abit
ensemque trepida liquit attonitus fuga.
pignus tenemus sceleris. hanc maestam prius
recreate. crinis tractus et lacerae comae
ut sunt remaneant, facinoris tanti notae.
perferte in urbem. recipe iam sensus, era.
quid te ipsa lacerans omnium aspectus fugis?
mens inpudicam facere, non casus solet.

CHORVS

Fugit insanae similis procellae,
ocior nubes glomerante Coro,

---

707 en] et *E* 710 *adfert Priscianus I p. 253, 6 H.* ('o tamen in hoc (compos) solo corripitur. Seneca in Phaedra: Hippolyte, me nunc compotem voti facis' *ubi* me nunc *ex* nunc me *correctum in cod. Halberstadiensi*). — facies *E* facias *Prisciani Halberstad. et Caroliruhensis* 712 solvo *E* 720 ipsae ς 727 intentans ς 729 trepidam *E* 732 notas *A* 733 referte *A*. — *sup.* era *scr.* o *2 m. ut vid. E* 734 laceras *E*. — aspectum *A*

ocior cursum rapiente flamma,
stella cum ventis agitata longos
porrigit ignes.
conferat tecum decus omne priscum
fama miratrix senioris aevi:
pulchrior tanto tua forma lucet,
clarior quanto micat orbe pleno
cum suos ignes coeunte cornu
iunxit et curru properante pernox
exerit vultus rubicunda Phoebe
nec tenent stellae faciem minores;
talis est, primas referens tenebras,
nuntius noctis, modo lotus undis
Hesperus, pulsis iterum tenebris
Lucifer idem.

Et tu, thyrsigera Liber ab India,
intonsa iuvenis perpetuum coma,
tigres pampinea cuspide territans
ac mitra cohibens cornigerum caput,
non vinces rigidas Hippolyti comas.
ne vultus nimium suspicias tuos:
omnes per populos fabula distulit,
Phaedrae quem Bromio praetulerit soror.

Anceps forma bonum mortalibus,
exigui donum breve temporis,
ut velox celeri pede laberis!
non sic prata novo vere decentia
aestatis calidae despoliat vapor,
saevit solstitio cum medius dies
et noctes brevibus praecipitant rotis;
languescunt folio ut lilia pallido,
et gratae capiti deficiunt comae
et fulgor teneris qui radiat genis
momento rapitur nullaque non dies

---

740 corripit ignes *A* 747 exeret *E* 749 qualis *codd. correxi* 755 panpinea *E* 758 nec *A* 759 omnis *E* 764 vere novo prata *A* 765 dispoliat *ς* 767 praecipitat *codd. correxit Gronovius* 768 ut *om. A* 769 deficiunt rosae *A* 770 ut fulgor *codd. correxit Richterus* (*sed deleto v. 768 et* et *in* ut *mutato v. 769*). — genis: i *ex* u *E*

formonsi spolium corporis abstulit.
res est forma fugax: quis sapiens bono
confidat fragili? dum licet, utere.
tempus te tacitum subruit, horaque
semper praeterita deterior subit.
Quid deserta petis? tutior aviis
non est forma locis: te nemore abdito,
cum Titan medium constituit diem,
cingent turba licens Naides improbae,
formonsos solitae claudere fontibus,
et somnis facient insidias tuis
Panas quae Dryades montivagos petunt.
aut te stellifero despiciens polo
sidus post veteres Arcadas editum
currus non poterit flectere candidos.
et nuper rubuit, nullaque lucidis
nubes sordidior vultibus obstitit;
at nos solliciti numine turbido,
tractam Thessalicis carminibus rati,
tinnitus dedimus: tu fueras labor
et tu causa morae, te dea noctium
dum spectat celeres sustinuit vias.
vexent hanc faciem frigora parcius,
haec solem facies rarius appetat:
lucebit Pario marmore clarius.
quam grata est facies torva viriliter
et pondus veteris triste supercili!
Phoebo colla licet splendida compares:
illum caesaries nescia colligi
perfundens umeros ornat et integit;
te frons hirta decet, te brevior coma
nulla lege iacens; tu licet asperos
pugnacesque deos viribus audeas
et vasti spatio vincere corporis:
aequas Herculeos nam iuvenis toros,
Martis belligeri pectore latior.

---

lascivae nemorum deae 783

---

774 confidit *codd. correxit Avantius* 775 te] sed *A*. — subruet *E* 778 abditum *A* 780 cinget *A* cingnet *E correxit Richterus*. — Naiades *A* 780. 81 *sic dispositi:* c. t. l. | N. i. f. s. | c. f. *E* 783 lasc. n. d. montivagive Panes *A delevi cf. I, 141* 784 *om.* ς 790 lumine *A* 805 arceas *A* 807 iam ς

si dorso libeat cornipedis vehi,
frenis Castorea mobilior manu
Spartanum poteris flectere Cyllaron.
ammentum digitis tende prioribus
et totis iaculum dirige viribus:
tam longe, dociles spicula figere,
non mittent gracilem Cretes harundinem.
aut si tela modo spargere Parthico
in caelum placeat, nulla sine alite
descendent, tepido viscere condita
praedam de mediis nubibus afferent.
Raris forma viris (saecula prospice)
inpunita fuit. te melior deus
tutum praetereat formaque nobilis
deformis senii monstret imaginem.

Quid sinat inausum feminae praeceps furor?
nefanda iuveni crimina insonti apparat.
en scelera! quaerit crine lacerato fidem,
decus omne turbat capitis, umectat genas:
instruitur omni fraude feminea dolus.
Sed iste quisnam est, regium in vultu decus
gerens et alto vertice attollens caput?
ut ora iuveni paria Perithoo gerit,
ni languido pallore canderent genae
staretque recta squalor incultus coma.
en ipse Theseus redditus terris adest.

THESEVS

Tandem profugi noctis aeternae plagam
vastoque manes carcere umbrantem polum,
et vix cupitum sufferunt oculi diem.
iam quarta Eleusin dona Triptolemi secat
paremque totiens libra composuit diem,
ambiguus ut me sortis ignotae labor
detinuit inter mortis et vitae mala.
pars una vitae mansit extincto mihi:

---

810 nobilior *E* 811 Cyllarum *A* 817 sine ave *E* 819 afferes *A* 820 perspice *E* 823 def. sen. limina transeat *A* 825 insomti *E* 826 in scelere *A* 828 omnis *A* 829 quidnam *E* 831 piritho o *E* pirithoi ς 832 candore pallerent *A* 835 *scaenae inscriptum* Theseus. Nutrix 837 et] ut *A* 838 eleusin: in *ex* is *i. ras. 1 m. E* (eleus in Σ) eleusis *A*. — treptolemi *E*

sensus malorum; finis Alcides fuit,
qui cum revulsum Tartaro abstraheret canem,
me quoque supernas pariter ad sedes tulit.
sed fessa virtus robore antiquo caret
trepidantque gressus. heu, labor quantus fuit
Phlegethonte ab imo petere longinquum aethera
pariterque mortem fugere et Alciden sequi.
Quis fremitus aures flebilis pepulit meas?
expromat aliquis. luctus et lacrimae et dolor,
in limine ipso maesta lamentatio?
auspicia digna prorsus inferno hospite.

NVTRIX

Tenet obstinatum Phaedra consilium necis
fletusque nostros spernit ac morti imminet.
THES. Quae causa leti? reduce cur moritur viro?
NVTR. Haec ipsa letum causa maturum attulit.
THES. Perplexa magnum verba nescio quid tegunt.
effare aperte quis gravet mentem dolor.
NVTR. Haut pandit ulli; maesta secretum occulit
statuitque secum ferre quo moritur malum.
iam perge, quaeso, perge: properato est opus.
THES. Reserate clausos regii postes laris.
O socia thalami, sicine adventum viri
et expetiti coniugis vultum excipis?
quin ense viduas dexteram atque animum mihi
restituis et te quidquid e vita fugat
expromis? PH. Eheu, per tui sceptrum imperi,
magnanime Theseu, perque natorum indolem
tuosque reditus perque iam cineres meos,
permitte mortem. THES. Causa quae cogit mori?
PH. Si causa leti dicitur, fructus perit.
THES. Nemo istud alius, me quidem excepto, audiet.
PH. Aures pudica coniugis solas timet.
THES. Effare: fido pectore arcana occulam.
PH. Alium silere quod voles, primus sile.
THES. Leti facultas nulla continget tibi.

---

843 mersus malorum *A* 844 revulso *E*. — extraheret *A* 852 et limine in ipso *A* 853 hospitia *codd. correxit Grotius* 860 aut *E* 863 postis lares ς 864 *novae scaenae titulus* Theseus. Phaedra. Nutrix tacita *E* Thes. Phaed. *A* 868 heu *A* (heu per' imp. sc. tui *Poggius*) 874 *Theseo continuatur A*. — a. pudicas c. s. times? *A* 877 contignet *E*

PH. Mori volenti desse mors numquam potest.
THES. Quod sit luendum morte delictum indica.
PH. Quod vivo. THES. Lacrimae nonne te nostrae movent?
PH. Mors optima est perire lacrimandum suis.
THES. Silere pergit. verbere ac vinclis anus
altrixque prodet quidquid haec fari abnuit.
vincite ferro. verberum vis extrahat
secreta mentis. PH. Ipsa iam fabor, mane.
THES. Quidnam ora maesta avertis et lacrimas genis
subito coortas veste praetenta optegis?
PH. Te, te, creator caelitum, testem invoco
et te, coruscum lucis aetheriae iubar,
† ex cuius ortu nostra dependet domus:
temptata precibus restiti; ferro ac minis
non cessit animus: vim tamen corpus tulit.
labem hanc pudoris eluet noster cruor.
THES. Quis, ede, nostri decoris eversor fuit?
PH. Quem rere minime. THES. Quis sit audire expeto.
PH. Hic dicet ensis quem tumultu territus
liquit stuprator civium accursum timens.
THES. Quod facinus, heu me, cerno? quod monstrum intuor?
regale parvis asperum signis ebur
capulo refulget, generis Actaei decus.
sed ipse quonam evasit? PH. Hi trepidum fuga
videre famuli concitum celeri pede.
THES. Pro sancta Pietas, pro gubernator poli
et qui secundum fluctibus regnum moves,
unde ista venit generis infandi lues?
hunc Graia tellus aluit an Taurus Scythes
Colchusque Phasis? redit ad auctores genus
stirpemque primam degener sanguis refert.
est prorsus iste gentis armiferae furor,
odisse Veneris foedera et castum diu
vulgare populis corpus. o tetrum genus
nullaque victum lege melioris soli!
ferae quoque ipsae Veneris evitant nefas
generisque leges inscius servat pudor.

---

878 numquam mors *A* 883 prodest *E* 889 aethereae *A* 890 *conieci* ex quibus utrimque 897 liquid *E* 900 gentis *A*. — acteae *EA* (atheae, attheae ς *ut v. 1149*) *correxit Gronovius* 904 secundum in fluctibus regnum tenes *A* 907 Colchusve ς 908 stirpemque *E* 909 armigerae ς

ubi vultus ille et ficta maiestas viri
atque habitus horrens, prisca et antiqua appetens,
morumque senium triste et affectus graves?
o vita fallax, abditos sensus geris
animisque pulchram turpibus faciem induis:
pudor impudentem celat, audacem quies,
pietas nefandum; vera fallaces probant
simulantque molles dura. silvarum incola
ille efferatus castus intactus rudis,
mihi te reservas? a meo primum toro
et scelere tanto placuit ordiri virum?
iam iam superno numini grates ago,
quod icta nostra cecidit Antiope manu,
quod non ad antra Stygia descendens tibi
matrem reliqui. profugus ignotas procul
percurre gentes: te licet terra ultimo
summota mundo dirimat Oceani plagis
orbemque nostris pedibus obversum colas,
licet in recessu penitus extremo abditus
horrifera celsi regna transieris poli
hiemesque supra positus et canas nives
gelidi frementes liqueris Boreae minas
post te furentes, sceleribus poenas dabis.
profugum per omnes pertinax latebras premam:
longinqua clausa abstrusa diversa invia
emetiemur, nullus obstabit locus:
scis unde redeam. tela quo mitti haud queunt,
huc vota mittam. genitor aequoreus dedit
ut vota prono terna concipiam deo,
et invocata munus hoc sanxit Styge.
En perage donum triste, regnator freti!
non cernat ultra lucidum Hippolytus diem
adeatque manes iuvenis iratos patri.
fer abominandam nunc opem nato, parens:
numquam supremum numinis munus tui
consumeremus, magna ni premerent mala;
inter profunda Tartara et Ditem horridum
et imminentes regis inferni minas,
voto peperci: redde nunc pactam fidem.

---

917 et aspectu grave *A* 919 turbidis ς 937 poste f. *E* 938 omnis *E* 939 longinquam *E* 941. 942 huc vota mittam, t. q. m. h. q.: | scis unde redeam. g. a. d. *A* 943 trina ς 947 irato patre A 949 suppremum *E*

genitor, moraris? cur adhuc undae silent?
nunc atra ventis nubila impellentibus
subtexe noctem, sidera et caelum eripe,
effunde pontum, vulgus aequoreum cie
fluctusque ab ipso tumidus Oceano voca.

CHORVS

O magna parens, Natura, deum
tuque igniferi rector Olympi,
qui sparsa cito sidera mundo
cursusque vagos rapis astrorum
celerique polos cardine versas,
cur tanta tibi cura perennes
agitare vias aetheris alti,
ut nunc canae frigora brumae
nudent silvas, nunc arbustis
redeant umbrae, nunc aestivi
colla leonis Cererem magno
fervore coquant viresque suas
temperet annus?
sed cur idem qui tanta regis,
sub quo vasti pondera mundi
librata suos ducunt orbes,
hominum nimium securus abes,
non sollicitus prodesse bonis,
nocuisse malis?
res humanas ordine nullo
Fortuna regit sparsitque manu
munera caeca, peiora fovens;
vincit sanctos dira libido,
fraus sublimi regnat in aula.
tradere turpi fasces populus
gaudet, eosdem colit atque odit.
tristis virtus perversa tulit
praemia recti: castos sequitur
mala paupertas vitioque potens

---

958 ipsos *E*. — tumidos *Eς* 959—982 *versus binorum dimetrorum, sed initiis singulorum distinctis E* 964 cur tibi tanta est cura *A* 966—978 *post v. 990 (in suum locum relegati 2—1 m.) E* 966 et nunc *E* 969—971 *sic disponit:* c. l. C. | m. f. c. | v. s. t. a. *E* 975 ades *A* (ades securus ς) 979 spargitque *A*. — manum *E* 983 fasce *E* 984 *in E omitti Richterus tradit; nec enotavi et extat in Σ*

regnat adulter:
o vane pudor falsumque decus!

Sed quid citato nuntius properat gradu
rigatque maestis lugubrem vultum genis?

NVNTIVS

O sors acerba et dura, famulatus gravis,
cur me ad nefandum nuntium casus vocat?

THESEVS

Ne metue clades fortiter fari asperas:
non imparatum pectus aerumnis fero.
NVNT. Vocem dolori lingua luctifico negat.
THES. Proloquere quae sors aggravet quassam domum.
NVNT. Hippolytus, heu me, flebili leto occubat.
THES. Natum parens obisse iam pridem scio:
nunc raptor obiit. mortis effare ordinem.
NVNT. Vt profugus urbem liquit infesto gradu
celerem citatis passibus cursum explicans,
celso sonipedes ocius subigit iugo
et ora frenis domita substrictis ligat.
tum multa secum effatus et patrium solum
abominatus saepe genitorem ciet
acerque habenis lora permissis quatit:
cum subito vastum tonuit ex alto mare
crevitque in astra. nullus inspirat salo
ventus, quieti nulla pars caeli strepit
placidumque pelagus propria tempestas agit.
non tantus Auster Sicula disturbat freta
nec tam furens Ionius exsurgit sinus
regnante Coro, saxa cum fluctu tremunt
et cana summum spuma Leucaten ferit.
consurgit ingens pontus in vastum aggerem;

tumidumque monstro pelagus in terras ruit.

988 *sic disponit:* regn. ad. o v. p. | f. d. *E*. — vani *E* 989 portat gradu *codd. correxi cf. I, 212* 990 restatque maestus lugubrem vultum gerens *A*. — vultum: m (*lineola*) *atramento pallidiore picta E scaenae titulus:* Nuntius. Theseus 991 graves *E* 992 nefandi *A*. — vocas *A* 993 cladis *E* 994 gero *A* 995 luctifica *EA correxisse videtur Scriverius* 996 aggr. luctificam domum *E* 997 voto occubat *A* 1000 liquid *E* 1002 celsos *codd. correxit N. Heinsius adv. p. 70* 1008 solo *E* 1012 nec tam furenti pontus exsurgit sinu *codd. correxit Bothius* (furenti Ionius – sinu *Iac. Gronovius*) 1013 choro *E* 1016 *delevi cf. I, 207.* — terram *A*

nec ista ratibus tanta construitur lues:
terris minatur; fluctus haud cursu levi
provolvitur: nescio quid onerato sinu
gravis unda portat — quae novum tellus caput
ostendit astris? Cyclas exoritur nova?
haec dum stupentes quaerimus, totum en mare
immugit, omnes undique scopuli astrepunt;
summum cacumen rorat expulso sale,
spumat vomitque vicibus alternis aquas
qualis per alta vehitur Oceani freta
fluctum refundens ore physeter capax.
inhorruit concussus undarum globus
solvitque sese et litori invexit malum
maius timore, pontus in terras ruit
suumque monstrum sequitur — os quassat tremor.
quis habitus ille corporis vasti fuit!
caerulea taurus colla sublimis gerens
erexit altam fronte viridanti iubam;
stant hispidae aures, orbibus varius color,
et quem feri dominator habuisset gregis
et quem sub undis natus: hinc flammam vomunt
oculi, hinc relucent caerula insignes nota;
opima cervix arduos tollit toros
naresque hiulcis haustibus patulae fremunt;
musco tenaci pectus ac palear viret,
longum rubente spargitur fuco latus;
tum pone tergus ultima in monstrum coit
facies et ingens belua immensam trahit
squamosa partem. talis extremo mari
pistrix citatas sorbet aut frangit rates.
tremuere terrae, fugit attonitum pecus
passim per agros nec suos pastor sequi
meminit iuvencos; omnis e saltu fera

---

latuere rupes numine Epidauri dei
et scelere petrae nobiles Scironides
et quae duobus terra comprimitur fretis.

1022—1024 *delevi cf. I, 201* 1022 latuere nube *A*. — numen *codd. correxi* 1025 querimur en totum *A* quaerimus en totum *E correxit Peiperus* 1027 rotat *E*. — salo *A* 1030 fluctus *A* 1033 maius malum timore *E* 1034 ossa *E* 1035 *Theseo datur A* 1036 Herculea *A* 1038 auris *E*. — cornibus *A* 1040 vomit *A* 1041 insignis *codd. correxit Gronovius* 1044 *om. E* (*in mg. ut v. 642*) 1045 succo *A* 1049 aut reddit *A*

diffugit, omnis frigido exsanguis metu
venator horret. solus immunis metu
Hippolytus artis continet frenis equos
pavidosque notae vocis hortatu ciet.
est alta ad agros collibus ruptis via,
vicina tangens spatia suppositi maris;
hic se illa moles acuit atque iras parat.
ut cepit animos seque praetemptans satis
prolusit irae, praepeti cursu evolat,
summam citato vix gradu tangens humum,
et torva currus ante trepidantes stetit.
contra feroci natus insurgens minax
vultu nec ora mutat et magnum intonat:
'haud frangit animum vanus hic terror meum:
nam mihi paternus vincere est tauros labor.'
inobsequentes protinus frenis equi
rapuere currum iamque derrantes via,
quacumque rabidos pavidus evexit furor,
hac ire pergunt seque per scopulos agunt.
at ille, qualis turbido rector mari
ratem retentat, ne det obliquum latus,
et arte fluctum fallit, haud aliter citos
currus gubernat: ora nunc pressis trahit
constricta frenis, terga nunc torto frequens
verbere cohercet. sequitur adsiduus comes,
nunc aequa carpens spatia, nunc contra obvius
oberrat, omni parte terrorem movens.
non licuit ultra fugere: nam toto obvius
incurrit ore corniger ponti horridus.
tum vero pavida sonipedes mente exciti
imperia solvunt seque luctantur iugo
eripere rectique in pedes iactant onus.
praeceps in ora fusus implicuit cadens
laqueo tenaci corpus et quanto magis
pugnat, sequaces hoc magis nodos ligat.
sensere pecudes facinus — et curru levi,
dominante nullo, qua timor iussit ruunt.
talis per auras non suum agnoscens onus

1053 discessit *A* 1054 solus: is *i. ras. 1 lit. 2 m. E* solis *Σ* 1057 Argos *A cf. I, 205* 1058 vicini *E* 1060 praecipitans *ς* 1061 praelusit *ς* 1063 torvusque *A* 1070 quaquumque *E.* — pavidos rapidus *A* 1074 fluctus *A* 1080 torvo *A* 1081 *om., sed add. in mg. 1 m. E* 1085 in ora gnatus impl. *A*

Solique falso creditum indignans diem
Phaethonta currus devio excussit polo.
late cruentat arva et inlisum caput
scopulis resultat; auferunt dumi comas,
et ora durus pulchra populatur lapis
peritque multo vulnere infelix decor.
moribunda celeres membra provolvunt rotae:
tandemque raptum truncus ambusta sude
medium per inguen stipite erecto tenet,
paulumque domino currus affixo stetit.
haesere biiuges vulnere — et pariter moram
dominumque rumpunt. inde semanimem secant
virgulta, acutis asperi vepres rubis
omnisque truncus corporis partem tulit.
errant per agros funebris famuli manus,
per illa qua distractus Hippolytus loca
longum cruenta tramitem signat nota,
maestaeque domini membra vestigant canes.
necdum dolentum sedulus potuit labor
explere corpus. hocine est formae decus?
qui modo paterni clarus imperii comes
et certus heres siderum fulsit modo,
passim ad supremos ille colligitur rogos
et funeri confertur. THES. O nimium potens,
quanto parentes sanguinis vinclo tenes,
natura, quam te colimus inviti quoque:
occidere volui noxium, amissum fleo.
NVNT. Gaudere non est ipse quod voluit potens.
THES. Equidem malorum maximum hunc cumulum reor,
si abominanda casus optanda efficit.
NVNT. Et si odia servas, cur madent fletu genae?
THES. Quod interemi, non quod amisi fleo.

CHORVS

Quanti casus humana rotant!
minor in parvis Fortuna furit

1097 pervolvunt *E* 1099 iecto *E* eiecto *A corr.* ς 1102 semianimen *E* 1105 errat *A*. — funebres *E* 1106 quae *codd. corr.* ς (*ed. Lugd.?*) 1113. 1114 *sic disponit:* passim – confertur. | TH. – potens *E* (*1 m.*) 1118 haud flere honeste quisquam quod voluit potest *A* Ha.odere non est quisque quod voluit potens (*punctis, quali post* Ha, *frequenter inter vocabula distinguitur*) *E correxi* (non ipse *cf. I, 216 adn. 11*) 1120 optata *A*

leviusque ferit leviora deus;
servat placidos obscura quies
praebetque senes casa securos.

Admota aetheriis culmina sedibus
Euros excipiunt, excipiunt Notos,
insani Boreae minas,
imbriferumque Corum.

Raros patitur fulminis ictus
umida vallis:
tremuit telo Iovis altisoni
Caucasus ingens Phrygiumque nemus
matris Cybeles: metuens caelo
Iuppiter alto vicina petit;
non capit umquam magnos motus
humilis tecti plebeia domus.
volat ambiguis mobilis alis
hora, nec ulli praestat velox
Fortuna fidem.
hic qui clari * *
sidera mundi nitidumque diem
nocte relicta, luget maestos
tristis reditus ipsoque magis
flebile Averno sedis patriae
videt hospitium.

Pallas Actaeae veneranda genti,
quod tuus caelum superosque Theseus
spectat et fugit Stygias paludes,
casta nil debes patruo rapaci:
constat inferno numerus tyranno.

Quae vox ab altis flebilis tectis sonat
strictoque vaecors Phaedra quid ferro parat?

THESEVS

Quis te dolore percitam instigat furor?
quid ensis iste quidve vociferatio
planctusque supra corpus invisum volunt?

circa regna tonat

1129 Duros excipiunt notos *A* 1140 *delevi cf. I, 139* 1143 Fort. fidem. qui clara videt *A* Fort. fidem. hic qui clari *E lacunam sic explemus:* [laetus vidit] *cf, I, 108* 1145 morte relicta *EA corr.* ς *scaenae inscriptum* Theseus Phaedra et idem *E* Thes. Phaed. Chor. *A*

PHAEDRA

Me, me, profundi saeve dominator freti,
invade et in me monstra caerulei maris
emitte, quidquid intimo Tethys sinu
extrema gestat, quidquid Oceanus vagis
complexus undis ultimo fluctu tegit.
o dure Theseu semper, o numquam ad tuos
tuto reverse: natus et genitor nece
reditus tuos luere; pervertis domum
amore semper coniugum aut odio nocens.
Hippolyte, tales intuor vultus tuos
talesque feci? membra quis saevus Sinis
aut quis Procrustes sparsit aut quis Cresius,
Daedalea vasto claustra mugitu replens,
taurus biformis ore cornigero ferox
divulsit? heu me, quo tuus fugit decor
oculique nostrum sidus? exanimis iaces?
ades parumper verbaque exaudi mea —
nil turpe loquimur: hac manu poenas tibi
solvam et nefando pectori ferrum inseram
animaque Phaedram pariter ac scelere exuam,
et te per undas perque Tartareos lacus,
per Styga, per amnes igneos amens sequar.
placemus umbras: capitis exuvias cape
laceraeque frontis accipe abscisam comam.
non licuit animos iungere, at certe licet
iunxisse fata. morere, si casta es, viro;
si incesta, amori. coniugis thalamos petam
tanto impiatos facinore? hoc derat nefas,
ut vindicato sancta fruereris toro.
o mors amoris una sedamen mali,
o mors pudoris maximum laesi decus,
confugimus ad te: pande placatos sinus.
Audite, Athenae, tuque, funesta pater
qeior noverca: falsa memoravi et nefas,
puod ipsa demens pectore insano hauseram,
mentita finxi. vana punisti pater,
iuvenisque castus crimine incesto iacet,

1164 dire ς. — numquam tuis *A* 1169 qui *E*. — cinis *codd. correxit Gronovius* (Scinis *Avantius et sqq.*) 1176 hoc *E* 1178 a. memet periter *A* 1182 abscissam ς 1184 castes viro *E* 1186 impletos *E* 1188 solamen ς. — una sed. m. | o mors pud. *om.* ς 1194 falsa punisti *A* 1195 incestae *A*

pudicus, insons — recipe iam mores tuos.
mucrone pectus impium iusto patet
cruorque sancto solvit inferias viro.
THES. Quid facere rapto debeas nato parens,
disce a noverca: condere Acherontis plagis.

Pallidi fauces Averni vosque, Taenarei specus,
unda miseris grata Lethes vosque, torpentes lacus,
impium abdite atque mersum premite perpetuis malis.
nunc adeste, saeva ponti monstra, nunc vastum mare,
ultimo quodcumque Proteus aequorum abscondit sinu,
meque ovantem scelere tanto rapite in altos gurgites.
tuque semper, genitor, irae facilis assensor meae,
morte facili dignus haud sum qui nova natum nece
segregem sparsi per agros quique, dum falsum nefas
exsequor vindex severus, incidi in verum scelus.
sidera et manes et undas scelere complevi meo:
amplius sors nulla restat; regna me norunt tria.

In hoc redimus? patuit ad caelum via,
bina ut viderem funera et geminam necem,
caelebs et orbus funebres una face
ut concremarem prolis ac thalami rogos?
donator atrae lucis, Alcide, tuum
Diti remitte munus; ereptos mihi
restitue manes. impius frustra invoco
mortem relictam — crudus et leti artifex,
exitia machinatus insolita effera,
nunc ipse tibimet iusta supplicia irroga.
pinus coacto vertice attingens humum
caelo remissum findat in geminas trabes,
mittarve praeceps saxa per Scironia?
graviora vidi, quae pati clausos iubet
Phlegethon nocentes igneo cingens vado:
quae poena memet maneat et sedes, scio.
umbrae nocentes, cedite et cervicibus
his, his repositum degravet fessas manus

1199. 1200 *Phaedrae continuantur A* 1200 a] ex *A* 1201 *novae scaenae inscribitur* Theseus Chorus ς 1201 tenerai *E* 1203 impium rapite *codd. correxi* 1205 sinum *E*, *sed* m (*lineola*) *erasa videtur* (sinu *ΣA*) 1207 ascensor *E* 1208 morte dignum facinus ausus qui *A* 1210 e. v. scelestus i. i. v. nefas *A* 1211 sceleri *E* 1215 face: a *ex* io *1 m. E* 1225 mittarque *A* 1227 cignens *E* 1228 maneat memet *A* 1229 cedat ς

saxum, seni perennis Aeolio labor;
me ludat amnis ora vicina alluens;
vultur relicto transvolet Tityo ferus
meumque poenae semper accrescat iecur;
et tu mei requiesce Perithoi pater:
haec incitatis membra turbinibus ferat
numquam resistens orbe revoluto rota.
dehisce tellus, recipe me dirum chaos,
recipe, haec ad umbras iustior nobis via est:
natum sequor — ne metue qui manes regis:
casti venimus; recipe me aeterna domo
non exiturum. non movent divos preces;
at si rogarem scelera, quam proni forent.
CHOR. Theseu, querelis tempus aeternum manet:
nunc iusta nato solve et absconde ocius
dispersa foede membra laniatu effero.
THES. Huc, huc reliquias vehite cari corporis
pondusque et artus temere congestos date.
Hippolytus hic est? crimen agnosco meum:
ego te peremi; neu nocens tantum semel
solusve fierem, facinus ausurus parens
patrem advocavi. munere en patrio fruor.
o triste fractis orbitas annis malum!
complectere artus, quodque de nato est super,
miserande, maesto pectore incumbens fove.
CHOR. Disiecta genitor membra laceri corporis
in ordinem dispone et errantes loco
restitue partes: fortis hic dextrae locus,
hic laeva frenis docta moderandis manus
ponenda: laevi lateris agnosco notas.
quam magna lacrimis pars adhuc nostris abest!
THES. Durate trepidae lugubri officio manus,
fletusque largos sistite, arentes genae,
dum membra nato genitor adnumerat suo
corpusque fingit. hoc quid est forma carens
et turpe, multo vulnere abruptum undique?
quae pars tui sit dubito; sed pars est tui:

1231 senis p. Aeolii *A* 1232 abluens *A* 1234 accrescat *ex* accressat *1 m. E* 1237 nusquam *E* 1249 facinus agn. m. *A* 1251 fierem *E* 1256 CHOR. *om. A.* — corporis *ex* corp' (*i. e.* corpus) *1 m. E* 1258 humeri locus *A* 1259 hic dextra *A* 1262 THES. *om. codd. addidi* 1265 quidem est *A* 1266 ambesum *A*

hic, hic repone, non suo, at vacuo loco.
haecne illa facies igne sidereo nitens,
inimica flectens lumina? huc cecidit decor?
o dira fata, numinum o saevus favor!
sic ad parentem natus ex voto redit?
en haec suprema dona genitoris cape,
saepe efferendus; interim haec ignes ferant.
Patefacite acerbam caede funesta domum;
Mopsopia claris tota lamentis sonet.
vos apparate regii flammam rogi;
at vos per agros corporis partes vagas
inquirite. istam terra defossam premat,
gravisque tellus impio capiti incubet.

1270 hic *A* 1271 saevus furor *A* 1273 Een *E.* — vota *A* 1275 acerba c. funestam *A* 1279 acquirite (anq.) *A*

MARCI · LVCII · ANNEI · SENECAE | PHAEDRA · EXPLICIT | FELICITER INCIPIT OEDYPPVS. *E item Oedipus sequitur A*

OEDIPVS

PERSONAE

OEDIPVS
IOCASTA
CREO
TIRESIA
MANTO
SENEX CORINTHIVS
PHORBAS
NVNTIVS
CHORVS

SCAENA THEBIS

OEDIPVS

Iam nocte Titan dubius expulsa redit
et nube maestus squalida exoritur iubar,
lumenque flamma triste luctifica gerens
prospiciet avida peste solatas domos,
stragemque quam nox fecit ostendet dies.
Quisquamne regno gaudet? O fallax bonum,
quantum malorum fronte quam blanda tegis!
ut alta ventos semper excipiunt iuga
rupemque saxis vasta dirimentem freta
quamvis quieti verberat fluctus maris,
imperia sic excelsa Fortunae obiacent.
quam bene parentis sceptra Polybi fugeram!
curis solutus exul, intrepidus, vacans
(caelum deosque testor) in regnum incidi;
infanda timeo: ne mea genitor manu
perimatur; hoc me Delphicae laurus monent,
aliudque nobis maius indicunt scelus.
est maius aliquod patre mactato nefas?
pro misera pietas (eloqui fatum pudet),
thalamos parentis Phoebus et diros toros
nato minatur impia incestos face;
hic me paternis expulit regnis timor.
non ego penates profugus excessi meos:
parum ipse fidens mihimet in tuto tua,
natura, posui iura. cum magna horreas,
quod posse fieri non putes metuas tamen:
cuncta expavesco meque non credo mihi.
Iam iam aliquid in nos fata moliri parant.
nam quid rear quod ista Cadmeae lues

---

scaenae inscriptum Oedippus. Iocaste *E* 1 iam nocte pulsa dubius effulsit dies *A* 2 moestum *codd. correxit Gronovius* 3 luctifera *A* 4 iam cernet a. p. *A* 10 verberant *A* 13 vagans *A* 17 indicant *A* 18 aliquod: d *ex* t *2 m. E* aliud *A* 23 nunc ergo *sic 1 m. E* 24 parvi ς 26 quae ς 29 quod] quid, *sed* i *2 m. i. ras. E*

infesta genti strage tam late edita
mihi parcit uni? cui reservamur malo?
inter ruinas urbis et semper novis
deflenda lacrimis funera ac populi struem
incolumis asto — scilicet Phoebi reus.
sperare poteras sceleribus tantis dari
regnum salubre? fecimus caelum nocens.
Non aura gelido lenis afflatu fovet
anhela flammis corda, non Zephyri leves
spirant, sed ignes auget aestiferi canis
Titan, leonis terga Nemeaei premens.
deseruit amnes umor atque herbas color
aretque Dirce, tenuis Ismenos fluit
et tinguit inopi nuda vix unda vada.
obscura caelo labitur Phoebi soror,
tristisque mundus nubilo pallet die.
nullum serenis noctibus sidus micat,
sed gravis et ater incubat terris vapor:
obtexit arces caelitum ac summas domos
inferna facies. denegat fructum Ceres
adulta, et altis flava cum spicis tremat,
arente culmo sterilis emoritur seges.
nec ulla pars immunis exitio vacat,
sed omnis aetas pariter et sexus ruit,
iuvenesque senibus iungit et natis patres
funesta pestis, una fax thalamos cremat
fletuque acerbo funera et questu carent.
quin ipsa tanti pervicax clades mali
siccavit oculos, quodque in extremis solet
periere lacrimae: portat hunc aeger parens
supremum ad ignem, mater hunc amens gerit
properatque ut alium repetat in eundem rogum.
quin luctu in ipso luctus exoritur novus
suaeque circa funus exequiae cadunt.
tum propria flammis corpora alienis cremant;
diripitur ignis: nullus est miseris pudor.
non ossa tumuli sancta discreti tegunt:

---

34 asto] ergo *A* inc. ergo tu Ph. r. ς 37 nec aura *E* 39 igne friget *E* 40 Sitan *E*. — nemei *EA corr.* ς 43 inopi] ipsa *A* 45 pallet novo *A* (*cf. 219*) 49 fructum: r *ex* l 2 *m. E* 50 cremat *codd. correxit Gronovius* 52 Nulla p. ς 53 sed] et ς 57 ista ς 61 regerat *A*. — locum ς

arsisse satis est — pars quota in cineres abit?
dest terra tumulis, iam rogos silvae negant.
non vota, non ars ulla correptos levant:
cadunt medentes, morbus auxilium trahit.
Adfusus aris supplices tendo manus
matura poscens fata, praecurram ut prior
patriam ruentem neve post omnes cadam
fiamque regni funus extremum mei.
o saeva nimium numina, o fatum grave!
negatur uni nempe in hoc populo mihi
mors tam parata? sperne letali manu
contacta regna, linque lacrimas, funera,
tabifica caeli vitia quae tecum invehis
infaustus hospes, profuge iamdudum ocius —
vel ad parentes.

IOCASTA

Quid iuvat, coniunx, mala
gravare questu? regium hoc ipsum reor:
adversa capere, quoque sit dubius magis
status et cadentis imperi moles labet,
hoc stare certo pressius fortem gradu:
haud est virile terga Fortunae dare.
OED. Abest pavoris crimen ac probrum procul,
virtusque nostra nescit ignavos metus:
si tela contra stricta, si vis horrida
Mavortis in me rueret — adversus feros
audax Gigantas obvias ferrem manus.
nec Sphinga caecis verba nectentem modis
fugi: cruentos vatis infandae tuli
rictus et albens ossibus sparsis solum;
eumque e superna rupe iam praedae imminens
aptaret alas verbera et caudae movens
saevi leonis more conciperet minas,
carmen poposci: sonuit horrendum insuper,
crepuere malae, saxaque impatiens morae
revulsit unguis viscera expectans mea;

69 corruptos ς 72 procurram *E* (*altera* r *sup. scr. 1 m.*) 73 omnis *E* 77 iam *E*. — loetuli *sed* a *pro* u *1 m. E* 78 contracta ς 79 tabifica : ta *ex* ti *rubricator E* 84 labat *A* 85 gradum *E* 90 ferox ς 91 gigantes *A* 92 spinga *E* 93 pestis inf. *A* 95 superba *A* 96 ales *A*. — caudam *A* (*cf. 1, 37*) 97 concuteret *A*

nodosa sortis verba et implexos dolos
ac triste carmen alitis solvi ferae —
quid sera mortis vota nunc demens facis?
licuit perire. laudis hoc pretium tibi
sceptrum et peremptae Sphingis haec merces datur.
ille, ille dirus callidi monstri cinis
in nos rebellat, illa nunc Thebas lues
perempta perdit. . una iam superest salus,
si quam salutis Phoebus ostendit viam.

CHORVS

Occidis, Cadmi generosa proles,
urbe cum tota; viduas colonis
respicis terras, miseranda Thebe.
carpitur leto tuus ille, Bacche,
miles, extremos comes usque ad Indos,
ausus Eois equitare campis
figere et mundo tua signa primo:
cinnami silvis Arabas beatos
vidit et versos equites, sagittis
terga fallacis metuenda Parthi;
litus intravit pelagi rubentis:
promit hinc ortus aperitque lucem
Phoebus et flamma propiore nudos
inficit Indos.
stirpis invictae genus interimus,
labimur saevo rapiente fato;
ducitur semper nova pompa Morti:
longus ad manes properatur ordo
agminis maesti, seriesque tristis
haeret et turbae tumulos petenti
non satis septem patuere portae.
stat gravis strages premiturque iuncto
funere funus.

---

101 fortis ς. — N. s. v. tortis e. i. d. *E* 102 solvit *E* 103—105 *Iocasta loquitur A* 106 calidi *E* 107 lues *ex* luet *1 m. E* 110—136 *extant in cod. Thuaneo* CHORVS THEBANORVM *E Th.* 112 phoebe *E* 113 bache *E Th.* 117 arabas *Th.* arabēs *sic E.* — cinnami silvas Arabum beatas *A* 118 versa *Th.* versas *EA correxit Peiperus.* — equitis *A.* — sagittas *codd. correxi* 119 falacis *Th.* terga conversi *A* 121 hic *A* 123 inf. Ind. igne vicino ς 124 interimos *E Th.* 127 mamis *Th.* 130 septem] semper *Th.* 131 *vincto* ς

prima vis tardas tetigit bidentes:
laniger pingues male carpsit herbas;
colla tacturus steterat sacerdos:
dum manus certum parat alta vulnus,
aureo taurus rutilante cornu
labitur segnis; patuit sub ictu
ponderis vasti resoluta cervix:
nec cruor, ferrum maculavit atra
turpis e plaga sanies profusa.
segnior cursu sonipes in ipso
concidit gyro dominumque prono
prodidit armo.
incubant agris pecudes relictae;
taurus armento pereunte marcet:
deficit pastor grege deminuto
tabidos inter moriens iuvencos.
non lupos cervi metuunt rapaces,
cessat irati fremitus leonis,
nulla villosis feritas in ursis;
perdidit pestem latebrosa serpens:
aret et sicco moritur veneno.

Non silva sua decorata coma
fundit opacis montibus umbras,
non rura virent ubere glebae,
non plena suo vitis Baccho
bracchia curvat:
omnia nostrum sensere malum.
Rupere Erebi claustra profundi
turba sororum face Tartarea
Phlegethonque suam mutat ripam:
miscuit undis Styga Sidoniis.
Mors atra avidos oris hiatus
pandit et omnes explicat alas;
quique capaci turbida cumba
flumina servat durus senio
navita crudo, vix assiduo

134 carpit *Th.* 141 profusa est *A* 145 inc. pratis *A* 147 diminuto *A* 152 perbibit *A* 154 non sua silva ς 157 bacho *E* laccho (hiaco) *A* 158 *sic disponit E:* b. c. o. n. | s. m. *cf. I, 109* 162 sua motam ripa *A* 164 mors alta *codd. correxit N. Heinsius adv. p. 169* 165 omnis *E* 167 senior *A* 168 navita Charon *A* crudus ς

bracchia conto lassata refert,
fessus turbam vectare novam.
quin Taenarii vincula ferri
rupisse canem fama et nostris
errare locis, mugisse solum,
vaga per lucos simulacra ferunt
maiora viris, bis Cadmeum
nive discussa tremuisse nemus,
bis turbatam sanguine Dircen,
nocte silenti * *
Amphionios ululasse canes.
O dira novi facies leti,
gravior leto: piger ignavos
alligat artus languor, et aegro
rubor in vultu, maculaeque caput
sparsere leves; tum vapor ipsam
corporis arcem flammeus urit
multoque genas sanguine tendit,
oculique rigent et sacer ignis
pascitur artus; resonant aures
stillatque niger, naris aduncae
cruor et venas rumpit hiantes;
intima creber viscera quassat
gemitus stridens. iamque amplexu
frigida presso saxa fatigant;
quos liberior domus elato
custode sinit, petitis fontes
aliturque sitis latice ingesto.
prostrata iacet turba per aras
oratque mori: solum hoc faciles
tribuere dei; delubra petunt,
haut ut voto numina placent,
sed iuvat ipsos satiare deos.

OEDIPVS

Quisnam ille propero regiam gressu petit?

171 tenarei *codd.* 173 errasse *A* 174 simulacra virum *codd. correxi* 176 iam turb. ς 178. 179 n. s. A. | u. c. *EA.* — *intercidisse videtur hoc fere:* [circum muros] 182 langor *E* 184 sparse reveles *E* 186 tingit *A* 192 tunc ampl. *A* 197 turba cadentum *A* 202 *scaenae inscriptum* Oedippus. Chorus. Creo *E* 202—205 *choro continuantur et a v. 206 nova scaena orditur cuius titulus* Oedipus. *Creon A* 202 prospero *E*

adestne clarus sanguine ac factis Creo
an aeger animus falsa pro veris videt?
CHOR. Adest petitus omnibus votis Creo.
OED. Horrore quatior, fata quo vergant timens,
trepidumque gemino pectus affectu labat:
ubi laeta duris mixta in ambiguo iacent,
incertus animus scire cum cupiat timet.
Germane nostrae coniugis, fessis opem
si quam reportas, voce properata edoce.

CREO

Responsa dubia sorte perplexa iacent.
OED. Dubiam salutem qui dat adflictis negat.
CR. Ambage flexa Delphico mos est deo
arcana tegere. OED. Fare, sit dubium licet:
ambigua soli noscere Oedipodae datur.
CR. Caedem expiari regiam exilio deus,
et interemptum Laium ulcisci iubet:
non ante caelo lucidus curret dies
haustusque tutos aetheris puri dabit.
OED. Et quis peremptor incluti regis fuit?
quem memoret ede Phoebus, ut poenas luat.
CR. Sit precor dixisse tutum visu et auditu horrida;
torpor insedit per artus, frigidus sanguis coit.
ut sacrata templa Phoebi supplici intravi pede
et pias numen precatus rite summisi manus,
gemina Parnasi nivalis arx trucem fremitum dedit;
imminens Phoebea laurus tremuit et movit comam
ac repente sancta fontis lympha Castalii stetit.
incipit Letoa vates spargere horrentes comas
et pati commota Phoebum; contigit nondum specum,
emicat vasto fragore maior humano sonus:
mitia Cadmeis remeabunt sidera Thebis,
si profugus Dircen Ismenida liquerit hospes
regis caede nocens, Phoebo iam notus et infans.

---

207 afflictu *E correxit N. Heinsius adv. p. 169* eventu *A* 212 *et* 214 (ambage — tegere) *choro tribuuntur E* 212 perpl. latent *A* 214 nexa *ς* 215 archana *E* 217 sedem *ς*. — exitio *E* 218 CREO *minio pictum et detersum E.* — ulcissi *E* 220 puniri, *sed* ni *induxit incertum utra manus E* 223 horrido *A* horridum *ς* 227 arsx *E.* — sonitum dedit *A* 228 movit domum *codd. correxi* 229 caspha-lii *E* 230 Lethaea *A* loeta *E correxit N. Heinsius l. s.* 233 phoe-bis *E* 234 liqueris *A* 235 instans *E*

nec tibi longa manent sceleratae gaudia caedis:
tecum bella geres natis quoque bella relinquens,
turpis maternos iterum revolutus in ortus.

OED. Quod facere monitu caelitum iussus paro,
functi cineribus regis hoc decuit dari,
ne sancta quisquam sceptra violaret dolo.
regi tuenda maxime regum est salus:
curat peremptum nemo quem incolumem timet.
CR. Curam perempti maior excussit timor.
OED. Pium prohibuit ullus officium metus?
CR. Sphinx et nefandi carminis tristes minae.
OED. Nunc expietur numinum imperio scelus.
Quisquis deorum regna placatus vides:
tu, tu penes quem iura praecipitis poli
tuque, o sereni maximum mundi decus,
bis sena cursu signa qui vario regis,
qui tarda celeri saecula evolvis rota,
sororque fratri semper occurrens tuo,
noctivaga Phoebe, quique ventorum potens
aequor per altum caerulos currus agis,
et qui carentes luce disponis domos,
adeste: cuius Laius dextra occidit,
hunc non quieta tecta, non fidi lares,
non hospitalis exulem tellus ferat;
thalamis pudendis doleat et prole impia;
hic et parentem dextera perimat sua,
faciatque (num quid gravius optari potest?)
quid quid ego fugi — non erit veniae locus:
per regna iuro quaeque nunc hospes gero
et quae reliqui perque penetrales deos,
per te, pater Neptune, qui fluctu brevi
utrimque nostro geminus alludis solo;
et ipse nostris vocibus testis veni,
fatidica vatis ora Cirrhaeae movens:
ita molle senium ducat et summum diem
securus alto reddat in solio parens
solasque Merope noverit Polybi faces,
ut nulla sontem gratia eripiet mihi.

---

237 relinques *A* 238 turpes *E*. — hortus *E* 243 quaerit *EA* queritur ς *correxit de Wilamowitz* 246 Spinx. et nef. *E* prohibent nef. *A* 247 expietur: i *ex* l *per ras. E* 256 carentis *E* 258 Nunc *E*. — quietum *A* *263 ergo E* 264 rego ς 269 chyrrhee *E* 271 regat (degat ς) *A*

Sed quo nefandum facinus admissum loco est,
memorate: aperto Marte an insidiis iacet?
CR. Frondifera sanctae nemora Castaliae petens
calcavit artis obsitum dumis iter,
trigemina qua se spargit in campos via.
secat una gratum Phocidos Baccho solum,
unde altus arva deserit, caelum petens,
clementer acto colle Parnasos biceps;
at una bimares Sisyphi terras adit;
Olenia in arva tertius trames cava
convalle serpens tangit errantes aquas
gelidumque dirimit amnis † Elei vadum:
hic pace fretum subita praedonum manus
aggressa ferro facinus occultum tulit.
In tempore ipso sorte Phoebea excitus
Tiresia tremulo tardus accelerat genu
comesque Manto luce viduatum trahens.
OED. Sacrate divis, proximum Phoebo caput,
responsa solve; fare, quem poenae petant.

TIRESIA

Quod tarda fatu est lingua, quod quaerit moras
haut te quidem, magnanime, mirari addecet:
visu carenti magna pars veri latet.
sed quo vocat me patria, quo Phoebus, sequar:
fata eruantur; si foret viridis mihi
calidusque sanguis, pectore exciperem deum.
appellite aris candidum tergo bovem
curvoque numquam colla depressam iugo.
tu lucis inopem, nata, genitorem regens
manifesta sacri signa fatidici refer.

MANTO

Opima sanctas victima ante aras stetit.

---

274 nefastum *A* 275 memorato ς 276 petens *ex* patens *1 m. E* 277 altis *A* 278 tergemina ς 279 bacho *E* 280 arva] ima *A* 281 parnassos *E* parnasus *A* 282 bimaris *E* 284 serpit ς 285 Elidis ς *conieci* Aetoli (Eueni *Madvigius adv. II p. 117* Hylaethi *de Wilamowitz. via prima in Phocida et Thebas, altera Corinthum, tertia Delphos et in Aetoliam ducit*) 289 gradu *A* 291 *novae scaenae titulus:* Tiresia et idem. Manto *E* Oedip. Tires. Manto *A* 293 tardo fatum, l. *A* 294 haud te q. *A* haut eq. *E* 295 carentem ς 298 excuterem *A* 300 depressum *codd. correxi* (*cf. 341 sq.*) 303 *post* victima *fort. ras. 1 lit. E*

TIR. In vota superos voce sollemni voca
arasque dono turis Eoi extrue.
MAN. Iam tura sacris caelitum ingessi focis.
TIR. Quid flamma? largas iamne comprendit dapes?
MAN. Subito refulsit lumine et subito occidit.
TIR. Vtrumne clarus ignis et nitidus stetit
rectusque purum verticem caelo tulit
et summam in auras fusus explicuit comam?
an latera circa serpit incertus viae
et fluctuante turbidus fumo labat?
MAN. Non una facies mobilis flammae fuit:
imbrifera qualis implicat varios sibi
Iris colores, parte quae magna poli
curvata picto nuntiat nimbos sinu
(quis desit illi quive sit dubites color),
caerulea fulvis mixta oberravit notis,
sanguinea rursus; ultima in tenebras abit.
sed ecce pugnax ignis in partes duas
discedit et se scindit unius sacri
discors favilla — genitor, horresco intuens:
libata Bacchi dona permutat cruor
ambitque densus regium fumus caput
ipsosque circa spissior vultus sedet
et nube densa sordidam lucem abdidit.
quid sit, parens, effare. TIR. Quid fari queam
inter tumultus mentis attonitae vagus?
quidnam loquar? sunt dira, sed in alto mala;
solet ira certis numinum ostendi notis:
quid istud est quod esse prolatum volunt
iterumque nolunt et truces iras tegunt?
pudet deos nescio quid. huc propere admove
et sparge salsa colla taurorum mola.
placidone vultu sacra et admotas manus
patiuntur? MAN. Altum taurus attollens caput
primos ad ortus positus expavit diem
trepidusque vultum solis et radios fugit.
TIR. Vnone terram vulnere afflicti petunt?
MAN. Iuvenca ferro semet imposito induit
et vulnere uno cecidit, at taurus duos

---

307 comprehendit *A* 308 lumen *A* 316 hiris *E* 318 quisve *A* 320 ultimum *A* 324 bachi *E* 329 vagos *A* 333 aras ς 339 solis] obliquat *A* 341 opposito *A*

perpessus ictus huc et huc dubius ruit
animamque fessus vix reluctantem exprimit.
TIR. Vtrum citatus vulnere angusto micat
an lentus altas irrigat plagas cruor?
MAN. Huius per ipsam qua patet pectus viam
effusus amnis, huius exiguo graves
maculantur ictus imbre; sed versus retro
per ora multus sanguis atque oculos redit.
TIR. Infausta magnos sacra terrores cient.
sed ede certas viscerum nobis notas.
MAN. Genitor, quid hoc est? non levi motu, ut solent,
agitata trepidant exta, sed totas manus
quatiunt novusque prosilit venis cruor.
cor marcet aegrum penitus ac mersum latet
liventque venae; magna pars fibris abest
et felle nigro tabidum spumat iecur,
ac (semper omen unico imperio grave)
en capita paribus bina consurgunt toris;
sed utrumque caesum tenuis abscondit caput
membrana: latebram rebus occultis negans
hostile valido robore insurgit latus
septemque venas tendit; has omnes retro
prohibens reverti limes oblicus secat.
mutatus ordo est, sede nil propria iacet,
sed acta retro cuncta: non animae capax
in parte dextra pulmo sanguineus iacet,
non laeva cordis regio, non molli ambitu
omenta pingues visceri obtendunt sinus:
natura versa est, nulla lex utero manet.
scrutemur, unde tantus hic extis rigor.
quod hoc nefas? conceptus innuptae bovis,
nec more solito positus alieno in loco,
implet parentem; membra cum gemitu movet,
rigore tremulo debiles artus micant;
infecit atras lividus fibras cruor
temptantque turpes mobilem trunci gradum,
et inane surgit corpus ac sacros petit
cornu ministros; viscera effugiunt manum.

---

347 vivus per i. ς 353 hoc *om.* ς 355 novisque *A* 364 omnis *E* 366 nichil p. iacent *E* 369 cordis *A* reg. cord. ς 370 viscerum *A* 372 scrutetur ς. — livor ς 373 infaustae bovis *A* 376 tremulo rigore *A* 377 artas ς 379 at sacros *E* 380 manu ς

neque ista, quae te pepulit, armenti gravis
vox est nec usquam territi resonant greges:
immugit aris ignis et trepidant foci.
OED. Quid ista sacri signa terrifici ferant
exprome: voces aure non timida hauriam.
TIR. His invidebis quibus opem quaeris malis.
OED. Memora quod unum scire caelicolae volunt,
contaminarit rege quis caeso manus.
TIR. Nec alta caeli quae levi pinna secant
nec fibra vivis rapta pectoribus potest
ciere nomen; alia temptanda est via:
ipse evocandus noctis aeternae plagis,
emissus Erebo ut caedis auctorem indicet.
reseranda tellus, Ditis inplacabile
numen precandum, populus infernae Stygis
huc extrahendus: ede cui mandes sacrum;
nam te, penes quem summa regnorum, nefas
invisere umbras. OED. Te, Creo, hic poscit labor,
ad quem secundum regna respiciunt mea.
TIR. Dum nos profundae claustra laxamus Stygis,
populare Bacchi laudibus carmen sonet.

CHORVS

Effusam redimite comam nutante corymbo,
mollia Nysaeis armati bracchia thyrsis!
lucidum caeli decus, huc ades
votis quae tibi nobiles
Thebae, Bacche, tuae
palmis supplicibus ferunt;
huc adverte favens virgineum caput,
vultu sidereo discute nubila
et tristes Erebi minas
avidumque fatum.
te decet cingi comam floribus vernis,

---

solent extrema facere securos mala.

---

381 ipsa *A* 382 fugiunt greges *A* 383 are segnis ς 386 *delevit Peiperus* 390 levis p. secat *A* 391 parta ς 395—432 *extant in R* 398 regn. est n. *A* 399 *omnia verba post* umbras *omissa videntur R* 402 pupolare (bacchi) *E* 403. 404 *extant in cod. Thuaneo* 404 armatus *RETh.* armate *A corr.* ς. — brachia *Th.* 405 *sqq. cf. I, 111. 120* 406 votis *priore versu RE* 406. 407 *uno versu A* quae t. n. thebae | thebae b. t. *R* 411 herebi *E*

te caput Tyria cohibere mitra
hederave mollem
bacifera religare frontem,
spargere effusos sine lege crines,
rursus adducto revocare nodo;
qualis iratam metuens novercam
creveras falsos imitatus artus,
crine flaventi simulata virgo,
lutea vestem retinente zona:
inde tam molles placuere cultus
et sinus laxi fluidumque syrma.
vidit aurato residere curru,
veste cum longa tegeres leones,
omnis Eoae plaga vasta terrae,
qui bibit Gangen niveumque quisquis
frangit Araxen.

Te senior turpi sequitur Silenus asello,
turgida pampineis redimitus tempora sertis;
condita lascivi deducunt orgia mystae.
te Bassaridum comitata cohors
nunc Edono pede pulsavit
sola Pangaeo, nunc Threicio
vertice Pindi; nunc Cadmeas
inter matres impia maenas
comes Ogygio venit Iaccho,
nebride sacra praecincta latus
thyrsumque levem vibrante manu:
iam post laceros Pentheos artus
thyades, oestro membra remissae,
velut ignotum videre nefas.

---

tibi commotae pectora matres
fudere comam

---

414 mollem *an* molle *an* molli *R* 415 bachifera ς. — hederave — bacif. *uno versu A* 417 renovare *E* 421 luteam ς 422 unde ς. — iam *R ut vid.* 423 fluuidumque *RE* 425 regeres *REA corr.* ς 426 vasta *ex* veste *1 m. E* 427 Gangen *R* Gangem *EA* 428 Araxem *A* 429—431 *in cod. Th.* 429 turpis *Th.* 432 coros *R ut vid.* 433 eden ope depuls. *E* edon ope dep. ς edom *vel* edem pede p. ς (*A*) Edonii *Avantius* Edoni *G. Fabricius* 434 Pangaei *codd. correxi* (pede pulsavit *quasi unum verbum*) 439. 440 *delevi* 440—444 ignotum *dimetri*, *claudit monom. E* 442 lacertos, *sed* t *expunct. 1 m. E* 443 ostro ς. — remissa ς

Ponti regna tenet nitidi matertera Bacchi
Nereidumque choris Cadmeia cingitur Ino;
ius habet in fluctus magni puer advena ponti,
cognatus Bacchi, numen non vile Palaemon.
te Tyrrhena, puer, rapuit manus,
et tumidum Nereus posuit mare;
caerula cum pratis mutat freta:
hinc verno platanus folio viret
et Phoebo laurus carum nemus;
garrula per ramos avis obstrepit;
vivaces hederas remus tenet,
summa ligat vitis carchesia.
Idaeus prora fremuit leo,
tigris puppe sedet Gangetica.
tum pirata freto pavidus natat,
et nova demersos facies habet:
bracchia prima cadunt praedonibus
inlisumque utero pectus coit,
parvula dependet lateri manus
et dorso fluctum curvo subit,
lunata scindit cauda mare:
et sequitur curvus fugientia carbasa delphin.

Divite Pactolos vexit te Lydius unda,
aurea torrenti deducens flumina ripa;
laxavit victos arcus Geticasque sagittas
lactea Massagetes qui pocula sanguine miscet;
regna securigeri Bacchum sensere Lycurgi;
sensere terrae † Zalacum feroces
et quos vicinus Boreas ferit
arva mutantes
quasque Maeotis alluit gentes

445—448 *in cod. Th.* 445 Fontis *A* 450 timidum *E* 455 ramus *codd. correxit Raphelengius* (ς) 459 dum pir. ς 466—471 *in cod. Th.* 466 Te sequitur *E Th. A corr.* ς 467 Pactulos *Th., sed* o *ex* u *ut vid.* Pactolus *A* 470 lacta *E.* — s. miscent ς sanguinem vincit *Th.* 471 ligurgi *E Th. A corr.* ς 472 zedacum *A* (te Dacum *Raphelengius*, te Dahum *Bentleius ad Lucan. II 296*) *conieci* Galatum 474 *sq. sic in E leguntur*:

alluit gentes.
Rigido fluctu. Arva mutantes. Quasque meotis
Quasque despectat. vertice summo. Frigido fluctu

hic 474—476 (Arva — fluctu) *supplevit 1 m. atramento paullum nigriore* (*antea tantum* Rigido fluctu *scripserat*). R, A, Q, Q *minio pictae*, F *nigra. cf. I, 112 A sic disponit:* A. m. q. M. | a. g. f. f.

frigido fluctu
quasque despectat vertice e summo
sidus Arcadium geminumque plaustrum.
ille dispersos domuit Gelonos,
arma detraxit trucibus puellis:
ore deiecto petiere terram
Thermodontiacae catervae,
positisque tandem levibus sagittis
Maenades factae.
sacer Cithaeron sanguine undavit
Ophioniaque caede;
Proetides silvas petiere, et Argos
praesente Bacchum coluit noverca.
Naxos Aegaeo redimita ponto
tradidit thalamis relictam,
virginem, meliore pensans
damnum marito:
pumice ex sicco
fluxit Nyctelius latex;
garruli gramen secuere rivi,
conbibit dulces humus alta sucos
niveique lactis candidos fontes
et mixta odoro Lesbia cum thymo.
ducitur magno nova nupta caelo:
solemne Phoebus carmen
infusis humero capillis
cantat et geminus Cupido
concutit taedas;
telum deposuit Iuppiter igneum
oditque Baccho veniente fulmen.

Lucida dum current annosi sidera mundi,
Oceanus clausum dum fluctibus ambiet orbem
Lunaque dimissos dum plena recolliget ignes,

---

477 e *om. codd. addidi* 478 *duobus versibus:* s. archad. | g. p. *E* 483 Menadaes f. *E* mites sunt factae *A* 484 sac. et C. ς. — inundavit ς 486 agros *A* 487 praesentem *A* 489 tr. th. | r. v. | m. p. | d. m. *E* tr. th. virginem relictam | m. p. damna mar. *E* 491 p. e. s. f. | N. l. *E uno versu A* 494 alia *E* 495 lactes *A* lacus ς 498 s. Ph. c. canit *A* 500. 501 concinit taedas gem. Cup. *A* 502 ippiter *E* 503 conditque *A* quodque ς 504—509 *in cod. Th.* 505 occeanus *E.* — ambiat : at *ex* t *1 m. Th.* 506 demissos *E.* — recolligit *E* colliget : e *ex* i *1 m. Th.*

dum matutinos praedicet Lucifer ortus
altaque caeruleum dum Nerea nesciet Arctos,
candida formonsi venerabimur ora Lyaei.

OEDIPVS

Etsi ipse vultus flebiles praefert notas,
exprome cuius capite placemus deos.

CREO

Fari iubes tacere quae suadet metus.
OED. Si te ruentes non satis Thebae movent,
at sceptra moveant lapsa cognatae domus.
CR. Nescisse cupies nosse quae nimium expetis.
OED. Iners malorum remedium ignorantia est.
itane et salutis publicae indicium obrues?
CR. Vbi turpis est medicina, sanari piget.
OED. Audita fare, vel malo domitus gravi
quid arma possint regis irati scies.
CR. Odere reges dicta quae dici iubent.
OED. Mitteris Erebo vile pro cunctis caput,
arcana sacri voce ni retegis tua.
CR. Tacere liceat. ulla libertas minor
a rege petitur? OED. Saepe vel lingua magis
regi atque regno muta libertas obest.
CR. Vbi non licet tacere, quid cuiquam licet?
OED. Imperia solvit qui tacet iussus loqui.
CR. Coacta verba placidus accipias precor.
OED. Vlline poena vocis expressae fuit?
CR. Est procul ab urbe lucus ilicibus niger,
Dircaea circa vallis inriguae loca.
cupressus altis exerens silvis caput
virente semper alligat trunco nemus,
curvosque tendit quercus et putres situ
annosa ramos: huius abrupit latus
edax vetustas; illa, iam scissa cadens
radice, fulta pendet aliena trabe.
amara bacas laurus et tiliae leves

508—545 *extant in R* 508 formosi *RA* 509 *scaenae inscriptum* Oedippus. Creo *E* Oedipus. Creon *A*. — fleuiles *R* 510 expone *A* 511 suades *R* 513 lapsa: p *ex* b *2 m. E* 516 et] est *RE* 517 sanare *E* 521 mittes *E* 523 nulla *A* 524 vel] vili *vel* vilis ς 526 ubi tac. n. lic. ς 527 quit *R* 534 situ *ex* situs *correct. R* 536 spissa *E correxit Bothius* silva iam fessa *RA* 538 baccis *A*

et Paphia myrtus et per immensum mare
motura remos alnus et Phoebo obvia
enode Zephyris pinus opponens latus:
medio stat ingens arbor atque umbra gravi
silvas minores urguet et magno ambitu
diffusa ramos una defendit nemus.
tristis sub illa, lucis et Phoebi inscius,
restagnat umor frigore aeterno rigens;
limosa pigrum circumit fontem palus.
Huc ut sacerdos intulit senior gradum,
haut est moratus: praestitit noctem locus.
tum effossa tellus, et super rapti rogis
iaciuntur ignes. ipse funesto integit
vates amictu corpus et frondem quatit.
lugubris imos palla perfundit pedes,
squalente cultu maestus ingreditur senex,
mortifera canam taxus adstringit comam.
nigro bidentes vellere atque atrae boves
antro trahuntur. flamma praedatur dapes
vivumque trepidat igne ferali pecus.
vocat inde manes teque qui manes regis
et obsidentem claustra Lethaei lacus,
carmenque magicum volvit et rabido minax
decantat ore quidquid aut placat leves
aut cogit umbras; sanguinem libat focis
solidasque pecudes urit et multo specum
saturat cruore; libat et niveum insuper
lactis liquorem, fundit et Bacchum manu
laeva canitque rursus ac terram intuens
graviore manes voce et attonita citat.
latravit Hecates turba; ter valles cavae
sonuere maestum, tota succusso solo
pulsata tellus. 'audior' vates ait,
'rata verba fudi: rumpitur caecum chaos
iterque populis Ditis ad superos datur.'
subsidit omnis silva et erexit comas,

---

540 ramos ς. — alnus: u *i. ras. 2 m. E.* — phobo *R* 542 adque *R* 543 silva minore surgit ς 544 ramis *A.* — umbra ς 545 lucus ς 546 hic (hinc ς) stagnat *A* 547 circuit *A* 552 frontem ς 557 retro trahuntur *A* 560 letalis lacus *codd.* (loet. *E*) *correxit N. Heinsius adv. p. 174* 563 umbras. irrigat sanguis focos *A* 564 solidasque: *altera* s *2 m. ex* t *ut vid. E* 567 ac] et *A* 568 ciet ς 569 per valles cavas *E* 574 subsedit *codd. correxit Gronovius.* — comam *A*

duxere rimas robora et totum nemus
concussit horror, terra se retro dedit
gemuitque penitus: sive temptari abditum
Acheron profundum mente non aequa tulit,
sive ipsa tellus, ut daret functis viam,
compage rupta sonuit; aut ira furens
triceps catenas Cerberus movit graves.
subito dehiscit terra et immenso sinu
laxata patuit — ipse torpentes lacus
vidi inter umbras, ipse pallentes deos
noctemque veram; gelidus in venis stetit
haesitque sanguis. saeva prosiluit cohors
et stetit in armis omne vipereum genus,
fratrum catervae dente Dircaeo satae.
tum torva Erinys sonuit et caecus Furor
Horrorque et una quidquid aeternae creant
celantque tenebrae: Luctus avellens comam
aegreque lassum sustinens Morbus caput,
gravis Senectus sibimet et pendens Metus
avidumque populi Pestis Ogygii malum.
nos liquit animus. ipsa quae ritus senis
artesque norat stupuit. intrepidus parens
audaxque damno convocat Ditis feri
exsangue vulgus. ilico ut nebulae leves
volitant et auras libero caelo trahunt.
non tot caducas educat frondes Eryx
nec vere flores Hybla tot medio creat,
cum examen arto nectitur densum globo,
fluctusque non tot frangit Ionium mare,
nec tanta gelidi Strymonis fugiens minas
permutat hiemes ales et caelum secans
tepente Nilo pensat Arctoas nives
quot ille populos vatis eduxit sonus.
avide latebras nemoris umbrosi petunt
animae trementes; primus emergit solo,
dextra ferocem cornibus taurum premens,
Zethus, manuque sustinens laeva chelyn

---

583 ipse pallentes deos | v. i. u., ipse torpentes lacus *A* 589 *reposui post v. 594* 590 tum tota ς 592 evellens ς 593 lapsum ς 600 frondes Oeta (etha) ς 602 alto *codd. correxit Richterus* 603 ionius *E* 604 strynnonis *E* 606 torpente ς 608 pavide *codd. correxit Marklandus ad Stat. silv. V, 1, 11.* — umbrosis *E* 611 sustinet l. chelym *A*

qui saxa dulci traxit Amphion sono;
interque natos Tantalis tandem suos
tuto superba fert caput fastu grave
et numerat umbras. peior hac genetrix adest
furibunda Agaue, tota quam sequitur manus
partita regem: sequitur et Bacchas lacer
Pentheus tenetque saevus etiam nunc minas.
tandem vocatus saepe pudibundum extulit
caput atque ab omni dissidet turba procul
celatque semet (instat et Stygias preces
geminat sacerdos, donec in apertum efferat
vultus opertos) Laius — fari horreo:
stetit per artus sanguine effuso horridus,
paedore foedo squalidam obtectus comam,
et ore rabido fatur: 'O Cadmi effera,
cruore semper laeta cognato domus,
vibrate thyrsos, enthea natos manu
lacerate potius — maximum Thebis scelus
maternus amor est. patria, non ira deum,
sed scelere raperis: non gravi flatu tibi
luctificus Auster nec parum pluvio aethere
satiata tellus halitu sicco nocet,
sed rex cruentus, pretia qui saevae necis
sceptra et nefandos occupat thalamos patris.
invisa proles: sed tamen peior parens
quam natus, utero rursus infausto gravis,
egitque in ortus semet et matri impios
fetus regessit, quique vix mos est feris
fratres sibi ipse genuit — implicitum malum
magisque monstrum Sphinge perplexum sua.
te, te cruenta sceptra qui dextra geris,
te pater inultus urbe cum tota petam
et mecum Erinyn pronubam thalami traham,
traham † sonantes verbera, incestam domum
vertam et penates impio Marte obteram.
proinde pulsum finibus regem ocius

---

614 gravi *A* 615 hac] at ς 617 bacchis *ex* bacchas (*sic* *AΣ*) *man. rec.* *E* Baccham ς (*Aldina*) 625 obtentus *EA corr.* ς 628 penthea *E* 629 macerate *E* 634 praemia *A* 638 egit qui ς (*Aldina*) 639 vix] nec *A* 641 spinge *E* 644 erynim prenubam *E* herines pronubas *A* 645 sonantis *E* sonantem *Gronovius* torta insonantes *N. Heinsius adv. p. 175* tr. silentes, verbere *de Wilamowitz.* — incertam ς

agite exulem quocumque funesto gradu;
solum relinquat: vere florifero virens
reparabit herbas, spiritus puros dabit
vitalis aura, veniet et silvis decor;
Letum Luesque, Mors Labor Tabes Dolor,
comitatus illo dignus, excedent simul;
et ipse rapidis gressibus sedes volet
effugere nostras, sed graves pedibus moras
addam et tenebo: repet incertus viae,
baculo senili triste praetemptans iter:
eripite terras, auferam caelum pater.'
OED. Et ossa et artus gelidus invasit tremor:
quidquid timebam facere fecisse arguor —
tori iugalis abnuit Merope nefas,
sociata Polybo; sospes absolvit manus
Polybus meas: uterque defendit parens
caedem stuprumque. quis locus culpae est super?
multo ante Thebae Laium amissum gemunt,
Boeota gressu quam meo tetigi loca.
falsusne senior an deus Thebis gravis? —
iam iam tenemus callidi socios doli:
mentitur ista praeferens fraudi deos
vates, tibique sceptra despondet mea.
CR. Egone ut sororem regia expelli velim?
si me fides sacrata cognati laris
non contineret in meo certum statu:
tamen ipsa me fortuna terreret nimis
sollicita semper. liceat hoc tuto tibi
exuere pondus nec recedentem opprimat:
iam te minore tutior pones loco.
OED. Hortaris etiam, sponte deponam ut mea
tam gravia regna? CR. Suadeam hoc illis ego,
in utrumque quis est liber etiamnum status:
tibi iam necesse est ferre fortunam tuam.
OED. Certissima est regnare cupienti via
laudare modica et otium ac somnum loqui;

---

648 quacumque ς *cf. I, 223* 649 relinquet *EA corr.* ς 656 repetet *EA* reptet ς *corr.* ς (*D. Heinsius*) 658 praeripite *A* 662 sociato *E.* — absolvet *E* 676 ne rec. *A* 679 CRE. tam gr. regna cresua deam *E* 680 qui se subter etiamnum *E* q. e. l. etiam nunc *A.* — status: *altera* t *ex* m *1 m. E* 681 tibi etiam, *sed* et *induct. 1 m. E* 682 via] vox *E* 683 et totium *E.* — somn. sequi *A*

ab inquieto saepe simulatur quies.
CR. Parumne me tam longa defendit fides?
OED. Aditum nocendi perfido praestat fides.
CR. Solutus onere regio regni bonis
fruor domusque civium coetu viget,
nec ulla vicibus surgit alternis dies
qua non propinqui munera ad nostros lares
sceptri redundent; cultus, opulentae dapes,
donata multis gratia nostra salus:
quid tam beatae desse fortunae rear?
OED. Quod dest: secunda non habent umquam modum.
CR. Incognita igitur ut nocens causa cadam?
OED. Num ratio vobis reddita est vitae meae?
num audita causa est nostra Tiresiae? tamen
sontes videmur. facitis exemplum: sequor.
CR. Quid si innocens sum? OED. Dubia pro certis solent
timere reges. CR. Qui pavet vanos metus,
veros meretur. OED. Quisquis in culpa fuit,
dimissus odit: omne quod dubium est cadat.
CR. Sic odia fiunt. OED. Odia qui nimium timet
regnare nescit: regna custodit metus.
CR. Qui sceptra duro saevus imperio regit,
timet timentes: metus in auctorem redit.
OED. Servate sontem saxeo inclusum specu.
ipse ad penates regios referam gradum.

CHORVS

Non tu tantis causa periclis,
non hinc Labdacidas petunt
fata, sed veteres deum
irae secuntur: Castalium nemus
umbram Sidonio praebuit hospiti
lavitque Dirce Tyrios colonos,
ut primum magni natus Agenoris,
fessus per orbem furta sequi Iovis,
sub nostra pavidus constitit arbore
praedonem venerans suum,

---

685 def. dies *A* 686 praest. dies *A* 693 reor *E* 694 quod res secundae *A* 698 ex. ut sequar, *sed* a *ex* o *1 m.* *E* 701 veros fatetur *A* 702 omne odit *ς*. — quod dubium putat *A* quod obvium est eat *E* *correxi* 709 *sqq. cf. I, 113. 125* 710 non haec *codd. correxi* — L. premunt *A* 717 consistit *E*. — sub nostrae ramis constitit arboris *A*

monituque Phoebi
iussus erranti comes ire vaccae,
quam non flexerat
vomer aut tardi iuga curva plaustri,
deseruit fugas nomenque genti
inauspicata de bove tradidit.
tempore ex illo nova monstra semper
protulit tellus:
aut anguis imis vallibus editus
annosa supra robora sibilat,
supraque pinus
erexit caeruleum caput,
cum maiore sui parte recumberet;
aut feta tellus impio partu
effudit arma: sonuit reflexo
classicum cornu lituusque adunco
stridulos cantus elisit aere,
* *
non ante linguas agiles et ora
vocis ignotae clamore primum
hostico experti:

agmina campos cognata tenent,
dignaque iacto semine proles,
uno aetatem permensa die,
post Luciferi nata meatus
ante Hesperios occidit ortus.
horret tantis advena monstris
populique timet bella recentis,
donec cecidit saeva iuventus
genetrixque suo reddi gremio
modo productos vidit alumnos.
hac transierit civile nefas!
illa Herculeae norint Thebae

---

supra Chaonias celsior arbores

---

721 Q. n. f. v. a. t. | l. c. p. *E* 725 P. t. a. a. i. | V. e. a. s. | R. s. s. p. *E* 728 superatque p. *E* *sequentem versum delevi cf. I, 114* 729 caeruleum erexit c. *A* 732 *sq. distributionem in E (eadem in A) vide I, 126* (Effudit arma *proprio versu, deinde bina commata*) *post* 734 *dictum oportuit spartos pugnam iniisse* 735 linguas | alias et arma v. i. *A* 739 Lignaque *E* 744 regentis *E* 747 productos: os *ex* us *1 m. E*

proelia fratrum.
quid Cadmei fata nepotis,
cum vivacis cornua cervi
frontem ramis texere novis
dominumque canes egere suum?
praeceps silvas montesque fugit
citus Actaeon agilique magis
pede per saltus ac saxa vagus
metuit motas zephyris plumas
et quae posuit retia vitat:
donec placidi fontis in unda
cornua vidit vultusque feros;
ibi virgineos foverat artus
nimium saevi diva pudoris.

OEDIPVS

Curas revolvit animus et repetit metus.
obisse nostro Laium scelere autumant
superi inferique, sed animus contra innocens
sibique melius quam deis notus negat.
redit memoria tenue per vestigium,
cecidisse nostri stipitis pulsu obvium
datumque Diti cum prior iuvenem senex,
curru superbus, pelleret, Thebis procul
Phocaea trifidas regio qua scindit vias.
unanima coniunx, explica errores precor:
quae spatia moriens Laius vitae tulit?
primone in aevo viridis an fracto occidit?

IOCASTA

Inter senem iuvenemque, sed propior seni.
OED. Frequensne turba regium cinxit latus?
IOC. Plures fefellit error ancipitis viae,
paucos fidelis curribus iunxit labor.
OED. Aliquisne cecidit regio fato comes?
IOC. Vnum fides virtusque consortem addidit.
OED. Teneo nocentem. convenit numerus, locus:
sed tempus adde — IOC. Decima iam metitur seges.

---

761 ferox *E* 762 ubi *A* 764 *scaenae inscriptum* Oed. Ioc. 769 impulsu ς 770 datum esse Diti *A*. — senex *ex* senem *1 m. E* 771 Thebas ς 773 errorem *A* explicer rores *E* 775 fractoccidit *E*

SENEX CORINTHIVS

Corinthius te populus in regnum vocat
patrium: quietem Polybus aeternam obtinet.
OED. Vt undique in me saeva Fortuna irruit!
edissere agedum, quo cadat fato parens.
SEN. Animam senilem mollis exsolvit sopor.
OED. Genitor sine ulla caede defunctus iacet.
testor, licet iam tollere ad caelum pie
puras nec ulla scelera metuentes manus.
sed pars magis metuenda fatorum manet.
SEN. Omnem paterna regna discutient metum.
OED. Repetam paterna regna; sed matrem horreo.
SEN. Metuis parentem, quae tuum reditum expetens
sollicita pendet? OED. Ipsa me pietas fugat.
SEN. Viduam relinques? OED. Tangis en ipsos metus.
SEN. Effare mersus quis premat mentem timor;
praestare tacitam regibus soleo fidem.
OED. Conubia matris Delphico admonitu tremo.
SEN. Timere vana desine et turpes metus
depone: Merope vera non fuerat parens.
OED. Quod subditivi praemium nati petit?
SEN. Regum superbam liberi astringunt fidem.
OED. Secreta thalami fare quo excipias modo.
SEN. Hae te parenti parvulum tradunt manus.
OED. Tu me parenti tradis; at quis me tibi?
SEN. Pastor nivoso sub Cithaeronis iugo.
OED. In illa temet nemora quis casus tulit?
SEN. Illo sequebar monte cornigeros greges.
OED. Nunc adice certas corporis nostri notas.
SEN. Forata ferro gesseras vestigia,
tumore nactus nomen ac vitio pedum.
OED. Quis fuerit ille qui meum dono dedit
corpus requiro. SEN. Regios pavit greges;
minor sub illo turba pastorum fuit.
OED. Eloquere nomen. SEN. Prima languescit senum
memoria longo lassa sublabens situ.
OED. Potesne facie noscere ac vultu virum?
SEN. Fortasse noscam: saepe iam spatio obrutam

784 *scaenae titulus:* senex Corinthus. idem *E* senex (Corinthius). Oedipus *A* 786 ut] et *E* 787 ed. mihi quo *A* 790 iam licet *E* 793 discutiunt *A* 799 regibus *bis E* 800 monitu *A* 804 regnum *A* 809 illa: a *ex* e *1 m. E* 819 cognoscere *E* (gnoscere *N: non recte ut docet versus sequens*)

levis exoletam memoriam revocat nota.
OED. Ad sacra et aras omne compulsum pecus
duces sequantur; ite, propere accersite,
famuli, penes quos summa consistit gregum.
SEN. Sive ista ratio sive fortuna occulit,
latere semper patere quod latuit diu:
saepe eruentis veritas patuit malo.
OED. Malum timeri maius his aliquod potest?
SEN. Magnum esse magna mole quod petitur scias.
concurrit illinc publica, hinc regis salus:
utrimque paria; contine medias manus,
nihil lacessas, ipsa se fata explicent.
OED. Non expedit concutere felicem statum:
tuto movetur quidquid extremo in loco est.
SEN. Nobilius aliquid genere regali appetis?
ne te parentis pigeat inventi vide.
OED. Vel paenitendi sanguinis quaeram fidem:
sic nosse certum est. ecce grandaevus senex,
arbitria sub quo regii fuerant gregis,
Phorbas. refersne nomen aut vultum senis?
SEN. Adridet animo forma; nec notus satis,
nec rursus iste vultus ignotus mihi.
Regnum optinente Laio famulus greges
agitasti opimos sub Cithaeronis plaga?

PHORBAS

Laetus Cithaeron pabulo semper novo
aestiva nostro prata summittit gregi.
SEN. Noscisne memet? PHOR. Dubitat anceps memoria.
OED. Huic aliquis a te traditur quondam puer?
effare. dubitas? cur genas mutat color?
quid verba quaeris? veritas odit moras.
PHOR. Obducta longo temporum tractu moves.
OED. Fatere, ne te cogat ad verum dolor.
PHOR. Inutile isti munus infantis dedi:
non potuit ille luce, non caelo frui.
SEN. Procul sit omen. vivit et vivat precor.

---

823 sequuntur *E*. — acersite *E* 825 abstulit ς 828 timere *E* 829 petituro *E* 830 illinc *1 m. ex* hinc *E* 831 patria *A* 832 ipsa se: sa *sup. scr. 1 m. E.* — ut nihil arcessas (accersas), ipsa te f. explicant *A* 833 *seni continuatur A* 837 nec poen. *A* 838 sed *A* si *E correxi* 845 *scaenae inscribitur* Phorbas. idem *E* Phorb. Sen. Oed. *A* 848—850 *seni dantur E* 851 abducta *E* 853 infantem *A*

OED. Superesse quare traditum infantem negas?
PHOR. Ferrum per ambos tenue transactum pedes
ligabat artus, vulneri innatus tumor
puerile foeda corpus urebat lues.
OED. Quid quaeris ultra? fata iam accedunt prope.
quis fuerit infans edoce. PHOR. Prohibet fides.
OED. Huc aliquis ignem! flamma iam excutiet fidem.
PHOR. Per tam cruentas vera quaerentur vias?
ignosce quaeso. OED. Si ferus videor tibi
et impotens, parata vindicta in manu est:
dic vera — quisnam? quove generatus patre?
qua matre genitus? PHOR. coniuge est genitus tua.
OED. Dehisce, tellus, tuque tenebrarum potens,
in Tartara ima, rector umbrarum, rape
retro reversas generis ac stirpis vices.
congerite, cives, saxa in infandum caput,
mactate telis: me petat ferro parens,
me natus, in me coniuges arment manus
fratresque, et aeger populus ereptos rogis
iaculetur ignes. saeculi crimen vagor,
odium deorum, iuris exitium sacri,
qua luce primum spiritus hausi rudes
iam morte dignus. redde nunc animos † acres,
nunc aliquid aude sceleribus dignum tuis.
i, perge, propero regiam gressu pete:
gratare matri liberis auctam domum.

CHORVS

Fata si liceat mihi
fingere arbitrio meo,
temperem zephyro levi
vela, ne pressae gravi
spiritu antennae tremant:
lenis et modice fluens
aura nec vergens latus

---

859 lue *A* 860 *senis est A* 863 *Oedipo codd.*, *Phorbanti Bothius dedit.* — quaerenti *codd. correxit Bothius* 864 (si – tibi) *et* 865 *Phorbanti tribuuntur A* 864 quaeror *E* 865 imp. iam parta *A* 869 i. t. iram *E* 871 infestum *A* 878 animos parens *A* pares *N. Heinsius adv. p. 179* feros *vel* truces *Buechelerus* 880 cursu pete *A* 881 aucta domo ς 882 *proprius versus*, 883 *ad finem cantici versus binorum colorum E* 887 lene sed modicum fluens *A*

ducat intrepidam ratem;
tuta me mediâ vehat
vita decurrens via.
Cnosium regem timens
astra dum demens petit
artibus fisus novis,
certat et veras aves
vincere ac falsis nimis
imperat pinnis puer,
nomen eripuit freto;
callidus medium senex
Daedalus librans iter
nube sub media stetit,
alitem expectans suam
(qualis accipitris minas
fugit et sparsos metu
conligit fetus avis),
donec in ponto manus
movit implicitas puer
compede audacis viae.
quidquid excessit modum
pendet instabili loco.
Sed quid hoc? postes sonant;
maestus en famulus manu
regius quassat caput.
ede quid portes novi.

NVNTIVS

Praedicta postquam fata et infandum genus
deprendit ac se scelere convictum Oedipus
damnavit ipse, regiam infestus petens
invisa propero tecta penetravit gradu
qualis per arva Libycus insanit leo,
fulvam minaci fronte concutiens iubam;
vultus furore torvus atque oculi truces,
gemitus et altum murmur, et gelidus fluit
sudor per artus, spumat et volvit minas

---

891 decurrere *E* decurrente *A correxit ed. Lugdunensis* (*Delrio*) 892 gnosium *codd.* 893 alta dum *A* 894 fidens *A* 898 *om.* ς 908 audacis viae comes audax *E* comes audacis viae *A correxit Buechelerus* 911 hic postis sonat ς 912 m. et *codd. correxit N. Heinsius l. s.* 913 regios ς. — quassans *A* 915 inf. scelus *A* 922 gel. volat *A*

ac mersus alte magnus exundat dolor.
secum ipse saevus grande nescio quid parat
suisque fatis simile. 'quid poenas moror?'
ait 'hoc scelestum pectus aut ferro petat,
aut fervido aliquis igne vel saxo domet.
quae tigris aut quae saeva visceribus meis
incurret ales? ipse tu scelerum capax,
sacer Cithaeron, vel feras in me tuas
emitte silvis, mitte vel rabidos canes —
nunc redde Agauen. anime, quid mortem times?
mors innocentem sola Fortunae eripit.'
haec fatus aptat impiam capulo manum
ensemque ducit. 'itane? tam magnis breves
poenas sceleribus solvis atque uno omnia
pensabis ictu? moreris: hoc patri sat est;
quid deinde matri, quid male in lucem editis
natis, quid ipsi, quae tuum magna luit
scelus ruina, flebili patriae dabis?
solvendo non es: illa quae leges ratas
Natura in uno vertit Oedipoda, novos
commenta partus, supplicis eadem meis
novetur. iterum vivere atque iterum mori
liceat, renasci semper ut totiens nova
supplicia pendas — utere ingenio, miser:
quod saepe fieri non potest fiat diu;
mors eligatur longa. quaeratur via
qua nec sepultis mixtus et vivis tamen
exemptus erres: morere, sed citra patrem.
cunctaris, anime?' subitus en vultus gravat
profusus imber ac rigat fletu genas.
'et flere satis est? hactenus fundent levem
oculi liquorem? sedibus pulsi suis
lacrimas sequantur — di maritales, satin?
fodiantur oculi!' dixit atque ira furit:
ardent minaces igne truculento genae
oculique vix se sedibus retinent suis;
violentus audax vultus, iratus ferox,

---

927 ut hoc *A* 930 scelerum: *prior* e *2—3 m. E* 931 tuis ς 934 eripiet *E* 940 ipsa *E* 941 flebilis ς 942 solvenda non est *codd. correxit Grotius* 943 Oedipode *A* 950 quae *E* 951 cytra partem *E* 952 en] an *A* 956 hi maritales *codd. correxit Madvigius adv. II p. 118.* — statim *codd. correxi*

tantum eruentis; gemuit et dirum fremens
manus in ora torsit. at contra truces
oculi steterunt et suam intenti manum
ultro insecuntur, vulneri occurrunt suo.
scrutatur avidus manibus uncis lumina,
radice ab ima funditus vulsos simul
evolvit orbes; haeret in vacuo manus
et fixa penitus unguibus lacerat cavos
alte recessus luminum et inanes sinus,
saevitque frustra plusque quam satis est furit.
Factum est periclum lucis; attollit caput
cavisque lustrans orbibus caeli plagas
noctem experitur. quidquid effossis male
dependet oculis rumpit, et victor deos
conclamat omnes: 'parcite, en, patriae precor:
iam iusta feci, debitas poenas tuli;
inventa thalamis digna nox tandem meis.'
rigat ora foedus imber et lacerum caput
largum revulsis sanguinem venis vomit.

CHORVS

Fatis agimur: cedite fatis;
non sollicitae possunt curae
mutare rati stamina fusi.
quidquid patimur mortale genus,
quidquid facimus venit ex alto,
servatque suae decreta colus
Lachesis nulla revoluta manu.
omnia secto tramite vadunt
primusque dies dedit extremum:
non illa deo vertisse licet
quae nexa suis currunt causis.
it cuique ratus prece non ulla
mobilis ordo: multis ipsum
metuisse nocet, multi ad fatum
venere suum dum fata timent.

---

961 t. cruentus *A* 970 sat est ς 971 tantum est *codd. correxit Madvigius l. s. p. 119* 974 dependit *E* 975 omnis *E* 976 iussa *codd. correxit N. Heinsius adv. p. 463* 979 vomet *E* 980 agerimur: er *expunct. 2 m. E.* — credite *AE corr.* ς 986 L. dura *codd. correxi (Hf. 182)* 987 certo ς 991 it: t *ex* d *ras. 2 m. E* 993 timuisse *A*

Sonuere fores atque ipse suum
duce non ullo luminis orbus
molitur iter.

OEDIPVS

Bene habet, peractum est: iusta persolvi patri.
iuvant tenebrae. quis deus tandem mihi
placatus atra nube perfundit caput?
quis scelera donat? conscium evasi diem.
nil, parricida, dexterae debes tuae:
lux te refugit. vultus Oedipodam hic decet.
CHOR. En ecce, rapido saeva prosiluit gradu
Iocasta vaecors, qualis attonita et furens
Cadmea mater abstulit nato caput
sensitque raptum. dubitat afflictum alloqui,
cupit pavetque. iam malis cessit pudor.
set haeret ore prima vox.

IOCASTA

Quid te vocem?
natumne? dubitas? natus es: natum pudet?
invite loquere nate — quo avertis caput
vacuosque vultus? OED. Quis frui tenebris vetat?
quis reddit oculos? matris, en matris sonus!
perdidimus operam. congredi fas amplius
haut est. nefandos dividat vastum mare
dirimatque tellus abdita et quisquis sub hoc
in alia versus sidera ac solem avium
dependet orbis alterum ex nobis ferat.
IOC. Fati ista culpa est: nemo fit fato nocens.
OED. Iam parce verbis, mater, et parce auribus:
per has reliquias corporis trunci peto,
per inauspicatum sanguinis pignus mei,
per omne nostri nominis fas ac nefas.
IOC. Quid, anime, torpes? socia cur scelerum dare

---

996 d. n. u. molitur iter | luminis orbus *A* 997 mollitur *E* 998 *scaenae inscribitur* Oedipus (Oedippus *E*) Chorus Iocasta 1003 Oedipodem *A* 1007 censitque *E corr.* *Σ* sensimve raptum traxit affl. *A* *ante* 1009 *erasum* IŌC *E*. — et haeret *E correxit Lipsius*. — IOC. cupiunt et horrent ora. nam quid te vocem? *A* 1010 pudor *E* 1011 immitis oro nate *A*. — advertis *E* 1012 frui et t. *A* 1013 mater an m. s. *A* 1021 tr. precor *A* 1023 ac] et *A*

poenas recusas? omne confusum perit,
incesta, per te iuris humani decus:
morere et nefastum spiritum ferro exige.
non si ipse mundum concitans divum sator
corusca saeva tela iaculetur manu,
umquam rependam sceleribus poenas pares
mater nefanda. mors placet: mortis via
quaeratur. agedum, commoda matri manum,
si parricida es. restat hoc operae ultimum:
rapiatur ensis; hoc iacet ferro meus
coniunx — quid illum nomine haud vero vocas?
socer est. utrumne pectori infigam meo
telum an patenti conditum iugulo inprimam?
eligere nescis vulnus: hunc, dextra, hunc pete
uterum capacem, qui virum et natos tulit.
CHOR. Iacet perempta. vulneri immoritur manus
ferrumque secum nimius eiecit cruor.
OED. Fatidice te, te praesidem et veri deum
compello: solum debui fatis patrem;
bis parricida plusque quam timui nocens
matrem peremi: scelere confecta est meo.
o Phoebe mendax, fata superavi impia.
Pavitante gressu sequere pallentes vias;
suspensa plantis efferens vestigia
caecam tremente dextera noctem rege.
ingredere praeceps, lubricos ponens gradus,
i profuge vade — siste, ne in matrem incidas.
quicumque fessi corpore et morbo graves
semanima trahitis pectora, en fugio exeo:
relevate colla. mitior caeli status
post terga sequitur: quisquis exilem iacens
animam retentat, vividos haustus levis
concipiat. ite, ferte depositis opem:

1025 p. r. omne omne contusum p. *E* (*sic*) 1026 incerta ς 1027 et] sed ς 1028 div. pater *A* 1029 corrusca *E* 1033 operi *codd. correxit Buechelerus* 1036 socer e stuprum ne *E* 1038 Fligere *E* 1042 te *alterum om.* ς. — et *om. A* 1047 putavit ante gr. *E.* — fallaces vias *A* 1050 i gradere ς (*Aldina*). — ponens pedes *A* 1053 trahitis corpora *A* 1055 posterga *E* 1056 leves *E* 1057 *adfertur in recentissimis Servii codicibus ad Verg. Aen. XII, 395; ubi haec leguntur in cod. Paris. 7965 chart. s. XV:* 'et Seneca in Theb. ite ferte depositis opem.' (*comiter tradidit Georgius Thilo*)

mortifera mecum vitia terrarum extraho.
violenta Fata et horridus Morbi tremor,
Maciesque et atra Pestis et rabidus Dolor,
mecum ite, mecum. ducibus his uti libet.

1058 terris *A*

EXPLICIT OEDIPPVS · INCIPIT | AGAMENNON *E* *sequitur Troas A*

AGAMEMNON

PERSONAE

THYESTIS VMBRA
CLYTAEMNESTRA
NVTRIX
AEGISTHVS
EVRYBATES
CASSANDRA
AGAMEMNON
ELECTRA
STROPHIVS
ORESTES tacitus
PYLADES tacitus
CHORVS duplex

SCAENA MYCENIS

THYESTIS VMBRA

Opaca linquens Ditis inferni loca
adsum profundo Tartari emissus specu,
incertus utras oderim sedes magis:
fugio Thyestes inferos, superos fugo.
en horret animus et pavor membra excutit:
video paternos, immo fraternos lares.
hoc est vetustum Pelopiae limen domus;
hinc auspicari regium capiti decus
mos est Pelasgis, hoc sedent alti toro
quibus superba sceptra gestantur manu,
locus hic habendae curiae — hic epulis locus.
libet reverti. nonne vel tristes lacus
incolere satius, nonne custodem Stygis
trigemina nigris colla iactantem iubis?
ubi ille celeri corpus evinctus rotae
in se refertur, ubi per adversum irritus
redeunte totiens luditur saxo labor,
ubi tondet ales avida fecundum iecur,
et inter undas fervida exustus siti
aquas fugaces ore decepto appetit
poenas daturus caelitum dapibus graves —
sed ille nostrae pars quota est culpae senex?
reputemus omnes quos ob infandas manus
quaesitor urna Cnosius versat reos,
vincam Thyestes sceleribus cunctos meis:
a fratre vincar, liberis plenus tribus
in me sepultis; viscera exedi mea.
nec hactenus Fortuna maculavit patrem,
sed maius aliud ausa commisso scelus
natae nefandos petere concubitus iubet.
non pavidus hausi dicta, sed cepi nefas.
ergo ut per omnes liberos irem parens,
coacta fatis nata fert uterum gravem,

---

9 alte *E* 14 tergemina ς. — nimis *E* 15 rota *E* 23 repetamus ς 24 gnosius *codd.* 32 omnis *E*

me patre dignum. versa natura est retro:
avo parentem, pro nefas, patri virum,
natis nepotes miscui — nocti diem.
Sed sera tandem respicit fessos malis
post fata demum sortis incertae fides:
rex ille regum, ductor Agamemnon ducum,
cuius secutae mille vexillum rates
Iliaca velis maria texerunt suis,
post decima Phoebi lustra devicto Ilio
adest — daturus coniugi iugulum suae.
iam iam natabit sanguine alterno domus:
enses secures tela, divisum gravi
ictu bipennis regium video caput,
iam scelera prope sunt, iam dolus caedes cruor —
parantur epulae. causa natalis tui,
Aegisthe, venit. quid pudor vultus gravat?
quid dextra dubio trepida consilio labat?
quid ipse temet consulis torques rogas,
an deceat hoc te? respice ad matrem: decet.
Sed cur repente noctis aestivae vices
hiberna longa spatia producunt mora,
aut quid cadentes detinet stellas polo?
Phoebum moramur? redde iam mundo diem.

CHORVS

O regnorum magnis fallax
Fortuna bonis, in praecipiti
dubioque locas nimis excelsos;
numquam placidam sceptra quietem
certumve sui tenuere diem;
alia ex aliis cura fatigat
vexatque animos nova tempestas.
non sic Libycis syrtibus aequor
furit alternos volvere fluctus,
non Euxini turget ab imis
commota vadis unda nivali
vicina polo,
ubi caeruleis immunis aquis

35 avo nepotem ς 38 incestae *A* 42 post dena *A* 45 secures *A* 51 timet *E* 52 an matrem *A* 59 excelsos nimis *E* *correxit L. Muellerus de re metr. p. 169* nimis excelsa locas (loco ς) *A* 63 vexat animos *E* 66 euxini: eu *i. ras. 2—3 m.* (non sic euxini *M* non eyxini *N*) 68 vicina *sq. dimetri codd.*

lucida versat plaustra Bootes,
ut praecipites regum casus
Fortuna rotat. metui cupiunt
metuique timent, non nox illis
alma recessus praebet tutos,
non curarum somnus domitor
pectora solvit.
quas non arces scelus alternum
dedit in praeceps? impia quas non
arma fatigant? iura pudorque
et coniugii sacrata fides
fugiunt aulas; sequitur tristis
sanguinolenta Bellona manu
quaeque superbos urit Erinys,
nimias semper comitata domos,
quas in planum quaelibet hora
tulit ex alto.
licet arma vacent cessentque doli,
sidunt ipso pondere magna
ceditque oneri Fortuna suo.
vela secundis inflata notis
ventos nimium timuere suos,
nubibus ipsis inserta caput
turris pluvio vapulat Austro,
densasque nemus spargens umbras
annosa videt robora frangi;
feriunt celsos fulmina colles,
corpora morbis maiora patent
et cum in pastus armenta vagos
vilia currant, placet in vulnus
maxima cervix.
quidquid in altum Fortuna tulit,
ruitura levat. modicis rebus
longius aevum est: felix mediae
quisquis turbae sorte quietus
aura stringit litora tuta
timidusque mari credere cumbam
remo terras propiore legit.

---

70 pl. B. *monometer codd.* 76 solvit: it *i. ras. 1—2 m. E* 80 fides: e *i. ras. 1—2 m. E* 81 faciunt *E* 84 tumidas semper *A* 85 qualibet ς 86 *sq. dimetri,* 89 F. suo *monometer codd.* 97 patent: e *2 m.* (*ex* i?) *E* 99 currunt ς 100 *sq. dimetri,* 107 pr. legit *monometer codd.* 103 fel. quisquis mediae t. *E* 104 parte *A*

CLYTAEMNESTRA

Quid, segnis anime, tuta consilia expetis?
quid fluctuaris? clausa iam melior via est:
licuit pudicos coniugis quondam toros
et sceptra casta vidua tutari fide —
periere mores ius decus pietas fides
et qui redire cum perit nescit pudor;
da frena et omnem prona nequitiam incita:
per scelera semper sceleribus tutum est iter.
tecum ipsa nunc evolve femineos dolos,
quod ulla coniunx perfida atque impos sui
amore caeco, quod novercales manus
ausae, quod ardens impia virgo face,
Phasiaca fugiens regna Thessalica trabe:
ferrum, venena; vel Mycenaeas domos
coniuncta socio profuge furtiva rate —
quid timida loqueris furta et exilium et fugas?
soror ista fecit; te decet maius nefas.

NVTRIX

Regina Danaum et inclitum Ledae genus,
quid tacita versas quidve consilii impotens
tumido feroces impetus animo geris?
licet ipsa sileas, totus in vultu est dolor.
proin quidquid est, da tempus ac spatium tibi:
quod ratio non quit saepe sanavit mora.
CLYT. Maiora cruciant quam ut moras possim pati;
flammae medullas et cor exurunt meum,
mixtus dolori subdidit stimulos timor,
invidia pulsat pectus; hinc animum iugo
premit cupido turpis et vinci vetat:
et inter istas mentis obsessae faces,
fessus quidem et devinctus et pessumdatus,
pudor rebellat. fluctibus variis agor,
ut cum hinc profundum ventus, hinc aestus rapit,

---

scaenae inscribitur Clytemestra (*sic ubique EA. usurpando nomine Seneca abstinuit. cf. Liv. Andr. v. 11 Ribb.*) Nutrix 108 anime: e *i. ras. 2 m. E* 111 casta iuncta *A* 120 Th. grave *E* 121 Mycenaea domo *A* 124 sors ista *A* 126 consilia *E* 129 proiñ *sed lineolam adiecit scholiasta de quo vide ad Phaed. 574* (*qui cum alia perraro tum sq. versu* non quit *interpretatus est per* nequid) *E* proin *N* proinde *MA* 130 nequit ς 131 ut *om. E* 133 lixtus *E* 134 *pulsat.* cecus hinc *E* 137 devictus *A*

incerta dubitat unda cui cedat malo.
proinde omisi regimen e manibus meis:
quocumque me ira, quo dolor, quo spes feret,
huc ire pergam; fluctibus dedimus ratem:
ubi animus errat, optimum est casum sequi.
NVTR. Caeca est temeritas quae petit casum ducem.
CLYT. Cui ultima est fortuna, quid dubiam timet?
NVTR. Tuta est latetque culpa, si pateris, tua.
CLYT. Perlucet omne regiae vitium domus.
NVTR. Piget prioris et novum crimen struis?
CLYT. Res est profecto stulta nequitiae modus.
NVTR. Quod metuit auget qui scelus scelere obruit.
CLYT. Et ferrum et ignis saepe medicinae loco est.
NVTR. Extrema primo nemo temptavit loco.
CLYT. Rapienda rebus in malis praeceps via est.
NVTR. At te reflectat coniugi nomen sacrum.
CLYT. Decem per annos vidua respiciam virum?
NVTR. Meminisse debes sobolis ex illo tuae.
CLYT. Equidem et iugales filiae memini faces
et generum Achillem: praestitit matri fidem.
NVTR. Redemit illa classis immotae moras
et maria pigro fixa languore impulit.
CLYT. Pudet doletque — Tyndaris, caeli genus,
lustrale classi Doricae peperi caput.
revolvit animus virginis thalamos meae
quos ille dignos Pelopia fecit domo,
cum stetit ad aras ore sacrifico pater
quam nuptiales! horruit Calchas suae
responsa vocis et recedentes focos.
o scelera semper sceleribus vincens domus,
cruore ventos emimus, bellum nece!
sed vela pariter mille fecerunt rates?
non est soluta prospero classis deo:
eiecit Aulis impias portu rates.
sic auspicatus bella non melius gerit.
amore captae captus, immotus prece
Zminthea tenuit spolia Phoebei senis,

---

143 hoc *E*. — dedam *A* 146 dubium *A* 154 capienda *A* 158 Et quidem *E* 160. 161 *Clytaemnestrae dantur* ς 161 lango impulit *E* 162 pudet pigetque *A* 163 peperit *A* 166 sacrilego *A* 167 quasi nupt. *A*. — nuptialis *E*. — chalchas *E* 170 eminus *E* 171 *nutrici datur* ς. — sed bella *E* 173 eiecit alio *E* 176 Phoebei ducis *A*

ardore sacrae virginis iam tum furens.
non illum Achilles flexit indomitus minis,
non ille solus fata qui mundi videt,
in nos fidelis augur, in captas levis,
non populus aeger et relucentes rogi:
inter ruentis Graeciae stragem ultimam
sine hoste victus marcet ac Veneri vacat
reparatque amores; neve desertus foret
a paelice umquam barbara caelebs torus,
ablatam Achilli diligit Lyrnesida,
nec rapere puduit e sinu avulsam viri —
en Paridis hostem. nunc novum vulnus gerens
amore Phrygiae vatis incensus furit,
et post tropaea Troica ac versum Ilium
captae maritus remeat et Priami gener.
Accingere, anime: bella non levia apparas.
scelus occupandum est. pigra, quem expectas diem?
Pelopia Phrygiae sceptra dum teneant nurus?
an te morantur virgines viduae domi
patrique Orestes similis? horum te mala
ventura moveant, turbo quis rerum imminet:
quid, misera, cessas? en adest natis tuis
furens noverca. per tuum, si aliter nequit,
latus exigatur ensis et perimat duos.
misce cruorem, perde pereundo virum:
mors misera non est commori cum quo velis.
NVTR. Regina, frena temet et siste impetus
et quanta temptes cogita: victor venit
Asiae ferocis, ultor Europae, trahit
captiva Pergama et diu victos Phrygas;
hunc fraude nunc conaris et furto aggredi,
quem non Achilles ense violavit fero,
quamvis procacem torvus armasset manum,
non melior Aiax morte decreta furens,
non sola Danais Hector et bello mora,
non tela Paridis certa, non Memnon niger,
non Xanthus armis corpora immixtis gerens
fluctusque Simois caede purpureos agens,

---

177 virg. tantum ς 182 *om. E* 185 umq. vel suus cael. *A* 186 Briseida (–dam ς) *A* 187 vulsam *A* 188 en rapidis h. *E* 180 trophea troiaca *E* 199 aliud nequit *A* 201 perfunde virum *E* 203 impetum *vulgo post Scriverium contra codd.* 204 tentas ς 207 *et f.] insana A* 213 santhus *E*. — immixta *EA corr.* ς

non nivea proles Cycnus aequorei dei,
non bellicoso Thressa cum Rheso phalanx,
non picta pharetras et securigera manu
peltata Amazon? hunc domi reducem paras
mactare et aras caede maculare impia?
victrix inultum Graecia hoc facinus feret?
equos et arma classibusque horrens fretum
propone et alto sanguine exundans solum
et tota captae fata Dardaniae domus
regesta Danais. comprime adfectus truces
mentemque tibimet ipsa pacifica tuam.

AEGISTHVS

Quod tempus animo semper ac mente horrui
adest profecto, rebus extremum meis.
quid terga vertis, anime? quid primo impetu
deponis arma? crede perniciem tibi
et dira saevos fata moliri deos.
oppone cunctis vile suppliciis caput,
ferrumque et ignes pectore adverso excipe,
Aegisthe: non est poena sic nato mori.
tu nos pericli socia, tu, Leda sata,
comitare tantum: sanguinem reddet tibi
ignavus iste ductor ac fortis pater.
sed quid trementes circuit pallor genas
iacensque vultu languido optutus stupet?
CLYT. Amor iugalis vincit ac flectit retro:
referemur illuc, unde non decuit prius
abire; sed nunc casta repetatur fides,
nam sera numquam est ad bonos mores via:
quem paenitet peccasse paene est innocens.
AEG. Quo raperis amens? credis aut speras tibi
Agamemnonis fidele coniugium? ut nihil
subesset animo quod graves faceret metus:
tamen superba et impotens flatu nimis
Fortuna magno spiritus tumidos daret.
gravis ille sociis stante adhuc Troia fuit:
quid rere ad animum suapte natura trucem

220 ultrix *A* 222 praepone *A* 225 ipsa: p. *2 m. i. ras.* (*ex* s?) *E* *scaenae inscribitur* Aegistus. Clytemestra. Nutrix *E* Aeg. Clyt. *A* 229 permitti tibi *E* 233 *Clytaemnestrae est A* 236 fortis pariter *E* 240 referemus *E correxi* (referamur *Gronovius*) remeemus *A*. 245 Agamennonis *E* 247 et innocens *E*

Troiam addidisse? rex Mycenarum fuit,
veniet tyrannus: prospera animos efferant.
effusa circa paelicum quanto venit
turba apparatu! sola sed turba eminet
tenetque regem famula veridici dei:
feresne thalami victa consortem tui?
at illa nolet. ultimum est nuptae malum
palam mariti possidens paelex domum.
nec regna socium ferre nec taedae sciunt.
CLYT. Aegisthe, quid me rursus in praeceps agis
iramque flammis iam residentem incitas?
permisit aliquid victor in captam sibi:
nec coniugem hoc respicere nec dominam decet.
lex alia solio est, alia privato in toro.
quid quod severas ferre me leges viro
non patitur animus turpis admissi memor?
det ille veniam facile cui venia est opus.
AEG. Ita est? pacisci mutuam veniam licet?
ignota tibi sunt iura regnorum aut nova?
nobis maligni iudices, aequi sibi
id esse regni maximum pignus putant,
si quidquid aliis non licet solis licet.
CLYT. Ignovit Helenae: iuncta Menelao redit
quae Europam et Asiam paribus afflixit malis.
AEG. Sed nulla Atriden Venere furtiva abstulit
nec cepit animum coniugi obstrictum suae.
iam crimen ille quaerit et causas parat.
nil esse crede turpe commissum tibi:
quid honesta prodest vita, flagitio vacans?
ubi dominus odit fit nocens, non quaeritur.
Spartamne repetes spreta et Eurotan tuum
patriasque sedes profuga? non dant exitum
repudia regum. spe metus falsa levas.
CLYT. Delicta novit nemo nisi fidus mea.
AEG. Non intrat umquam regium limen fides.
CLYT. Opibus merebor, ut fidem pretio obligem.

---

252 efferunt *codd. correxit Buechelerus* 254 sed longe eminet *A* 257 nollet *E* 258 mariti *ex* marita *1 m. E* 260 CLYT. *minio pictum, sed detersum cum scholiis; deinde 2—3 m. atramento repetitum* CLI. *E.* — praeceps rapis *A* 262 aliquis *E* 263 non – non ς 264 socio ς. — privata *E.* — in *om.* ς 268 pacissci *E* 269 haud nova *A* 278 nichil *E* 279 flag. carens *A* 281 spartemne *A.* — et eurotantum *E correxit Gronovius* et a tanto viro *A* 283 metum *A*

AEG. Pretio parata vincitur pretio fides.
CLYT. Surgit residuus pristinae mentis pudor —
quid obstrepis? quid voce blandiloqua mala
consilia dictas? scilicet nubet tibi,
regum relicto rege, generosa exuli?
AEG. Et cur Atrida videor inferior tibi,
natus Thyestae? CLYT. Si parum est, adde et nepos.
AEG. Auctore Phoebo gignor: haud generis pudet.
CLYT. Phoebum nefandae stirpis auctorem vocas,
quem nocte subita frena revocantem sua
caelo expulistis? quid deos probro addimus?
subripere doctus fraude geniales toros,
quem Venere tantum scimus inlicita virum,
facesse propere ac dedecus nostrae domus
asporta ab oculis: haec vacat regi ac viro.
AEG. Exilia mihi sunt haud nova, assuevi malis.
si tu imperas, regina, non tantum domo
Argisve cedo: nil moror iussu tuo
aperire ferro pectus aerumnis grave.
CLYT. Siquidem hoc cruenta Tyndaris fieri sinam.
quae iuncta peccat debet et culpae fidem.
secede mecum potius, ut rerum statum
dubium ac minacem iuncta consilia explicent.

CHORVS

Canite, o pubes inclita, Phoebum!
tibi festa caput
turba coronat, tibi virgineas,
laurum quatiens,
de more comas innuba fudit
stirps Inachia;
quaeque Erasini gelidos fontes,
quaeque Eurotan,
quaeque virenti tacitum ripa
bibis Ismenon:
tu quoque nostros, Thebais hospes,
comitare choros,

288—305 *nutrix cum Aegistho conloquitur E cf. I, 83* 291 generoso *E* 297 probro advocas *A* 298 sub rupe reductus f. genialis tori *E* 300 secede propere, dedecus clarae domus *A* 301 regia viro *Eς* 306 sinam: am *detersum cum scholiis E extat Σ* 307 quae invita *EA corr. ς* 310 *carmen in A dimetris decurrit et monometro clauditur* 314 fundit *A* 315 stirpis inachiae *E* 316. 317 *post v. 321 collocavit Bothius* 316 Thebana manus *A*

quam fatorum praescia Manto,
sata Tiresia,
Latonigenas monuit sacris
celebrare deos.
arcus, victor, pace relata,
Phoebe, relaxa
umeroque graves levibus telis
pone pharetras
resonetque manu pulsa citata
vocale chelys:
nil acre velim magnumque modis
intonet altis,
sed quale soles leviore lyra
flectere carmen
simplex, lusus cum docta tuos
Musa recenset;
licet et chorda graviore sones,
quale canebas
cum Titanas fulmine victos
videre dei,
vel cum montes montibus altis
super impositi
struxere gradus trucibus monstris,
stetit imposita
Pelion Ossa, pinifer ambos
pressit Olympus.
ades, o magni, soror et coniunx,
consors sceptri,
regia luno: tua te colimus
turba Mycenae.
tu sollicitum supplexque tui
numinis Argos
sola tueris, tu bella manu
pacemque regis;
tu nunc laurus Agamemnonias
accipe victrix.
tibi multifora tibia buxo
solemne canit,
tibi fila movent docta puellae
carmine molli,

324 sacri *E* 326 arcus vinclo ς. — pace rel. *om.* ς 336 s. versus ς 338 corda *E*. — sones: e *ex* o *1 m. E* 340 fulmine misso *A* 341 fregere dei *A* 348 Aades *E* 356 claros (lauros) Agamemnonios ς agamennonias *E*

tibi votivam matres Graiae
lampada iactant:
ad tua coniunx candida tauri
delubra cadet,
nescia aratri, nullo collum
signata iugo.
tuque, o magni nata Tonantis,
incluta Pallas,
quae Dardanias cuspide turres
saepe petisti,
te permixto matrona minor
maiorque choro
colit et reserat veniente dea
templa sacerdos:
tibi nexilibus turba coronis
redimita venit,
tibi grandaevi lassique senes
compote voto
reddunt grates libantque manu
vina trementi.
et te Triviam nota memores
voce precamur:
tu maternam sistere Delon,
Lucina, iubes,
huc atque illuc prius errantem
Cyclada ventis;
nunc iam stabilis fixa terras
radice tenet,
respuit auras religatque rates
assueta sequi.
tu Tantalidos funera matris
victrix numeras:
stat nunc Sipyli vertice summo
flebile saxum,
et adhuc lacrimas marmora fundunt
antiqua novas.

---

365 cadit *A* 370 q. D. saepe pet. cusp. turres *A* 379 *adfert Priscianus I p. 253, 10 H.* 'Seneca in Phaedra (*v. 710*), in eadem: compote voto' (in eodem *cod. Halberstad. huc rettulit Welckerus trag. gr. III p. 1448*) 382 Trivia grata mem. *A* 386 errante *E post* 397 *haec leguntur:* Lacrimas maesta aeternum | marmora manant *E et similia ς. quae ex ascripto versu Ovidii met. VI, 312* (et lacrimas etiamnunc marmora manant) *orta esse vidit Gronovius*

colit impense femina virque
numen geminum.
tuque ante omnes, pater ac rector
fulmine pollens,
cuius nutu simul extremi
tremuere poli,
generis nostri, Iuppiter, auctor,
cape dona libens
abavusque tuam non degenerem
respice prolem.

Sed ecce, vasto concitus miles gradu
manifesta properat signa laetitiae ferens
(namque hasta summo lauream ferro gerit)
fidusque regi semper Eurybates adest.

EVRYBATES

Delubra et aras caelitum et patrios lares
post longa fessus spatia, vix credens mihi,
supplex adoro. vota superis solvite:
telluris altum remeat Argolicae decus
tandem ad penates victor Agamemnon suos.

CLYTAEMNESTRA

Felix ad aures nuntius venit meas.
ubinam petitus per decem coniunx mihi
annos moratur? pelagus an terras premit?
EVR. Incolumis, auctus gloria, laude inclitus
reducem expetito litori impressit pedem.
CLYT. Sacris colamus prosperum tandem diem
et si propitios attamen lentos deos.
tu pande vivat coniugis frater mei
et pande teneat quas soror sedes mea.
EVR. Meliora votis posco et obtestor deos:
nam certa fari sors maris dubii vetat.
ut sparsa tumidum classis excepit mare,
ratis videre socia non potuit ratem.
quin ipse Atrides aequore immenso vagus
graviora pelago damna quam bello tulit

---

400 teque ς. — omnis *E* 405 caede dona *E* 409 gerens *A* 411 regis *E* 392ª (*sic versus istos notavimus ne a Gronovii numeris cantico interruptis per totam fabulam recederemus*) *scaenae titulus* Euribates. Clytemestra. Chorus *E* Eur. Clyt. *A* 396ª agamenon *E*

remeatque victo similis, exiguas trahens
lacerasque victor classe de tanta rates.
CLYT. Effare casus quis rates hausit meas
aut quae maris fortuna dispulerit duces.
EVR. Acerba fatu poscis, infaustum iubes
miscere laeto nuntium. refugit loqui
mens aegra tantis atque inhorrescit malis.
CLYT. Exprome: clades scire qui refugit suas
gravat timorem; dubia plus torquent mala.
EVR. Vt Pergamum omne Dorica cecidit face,
divisa praeda est, maria properantes petunt.
iamque ense fessum miles exonerat latus,
neglecta summas scuta per puppes iacent;
ad militares remus aptatur manus
omnisque nimium longa properanti mora est.
signum recursus regia ut fulsit rate
et clara laetum remigem monuit tuba,
aurata primas prora designat vias
aperitque cursus, mille quos puppes secent,
hinc aura primo lenis impellit rates
adlapsa velis; unda vix actu levi
tranquilla Zephyri mollis afflatu tremit,
splendetque classe pelagus et pariter latet.
iuvat videre nuda Troiae litora,
iuvat relicti sola Sigei loca.
properat iuventus omnis adductos simul
lentare remos, adiuvat ventos manu
et valida nisu bracchia alterno movet.
sulcata vibrant aequora et latera increpant
dirimuntque canae caerulum spumae mare.
ut aura plenos fortior tendit sinus,
posuere tonsas, credita est vento ratis
fususque transtris miles aut terras procul,
quantum recedunt vela, fugientes notat,
aut bella narrat: Hectoris fortis minas
currusque et empto redditum corpus rogo,
sparsum cruore regis Herceum lovem.
tunc qui iacente reciprocus ludit salo

---

414 quis fare nostras hauserit casus rates *A* 424 summa *E* 428 lentum *codd. correxi cf. I, 32.* — regimen emovit *A* 429 signavit vias *A* 432 tactu levis *A* 439 validam subracchia *E* (*corr. 2 m.*) 444 transtris navita *A* 448 herculeum ς 449 tum *A*

tumidumque pando transilit dorso mare
Tyrrhenus omni piscis exultat freto
agitatque gyros et comes lateri adnatat,
anteire naves laetus et rursus sequi;
nunc prima tangens rostra lascivit chorus,
millesimam nunc ambit et lustrat ratem.
iam litus omne tegitur et campi latent
et dubia parent montis Idaei iuga;
et iam, quod unum pervicax acies videt,
Iliacus atra fumus apparet nota.
iam lassa Titan colla relevabat iugo,
in astra iam lux prona, iam praeceps dies.
exigua nubes sordido crescens globo
nitidum cadentis inquinat Phoebi iubar;
suspecta varius occidens fecit freta.
nox prima caelum sparserat stellis, iacent
deserta vento vela. tum murmur grave,
maiora minitans, collibus summis cadit
tractuque longo litus ac petrae gemunt;
agitata ventis unda venturis tumet:
cum subito luna conditur, stellae latent,
in astra pontus tollitur, caelum perit.
nec una nox est: densa tenebras obruit
caligo et omni luce subducta fretum
caelumque miscet. undique incumbunt simul
rapiuntque pelagus infimum † everso polo
adversus Euro Zephyrus et Boreae Notus.
sua quisque mittit tela et infesti fretum
emoliuntur, turbo convolvit mare:
Strymonius altas Aquilo contorquet nives
Libycusque harenas Auster ac Syrtes agit;
nec manet in Austro: flat gravis nimbis Notus,
imbre auget undas, Eurus orientem movet
Nabataea quatiens regna et Eoos sinus;
quid rabidus ora Corus Oceano exerens?
mundum revellit sedibus totum suis,
ipsosque rupto crederes caelo deos

---

451 omnis ς 452 agitque *A* 457 patent ς 458 et id quod *E* 470 luna subito ς. — stellae cadunt *A* 475 infimo eversum solo *A conieci:* infimum venti polo *deleto v. 476 cui non convenit cum sqq.* 476 adversus: us *ex* os *1 m. E* 477 mittunt *A* 480 ac] ad *E* 481 fit gravis *codd. correxi* 483 ete eo sonus *E* 484 rapidus *A.* — occeano *E* 485 revelli *A*

decidere et atrum rebus induci chaos.
vento resistit aestus et ventus retro
aestum revolvit; non capit sese mare
undasque miscent imber et fluctus suas.
nec hoc levamen denique aerumnis datur,
videre saltem et nosse quo pereant malo:
premunt tenebrae lumina et dirae Stygis
inferna nox est. excidunt ignes tamen
et nube dirum fulmen elisa micat,
miserisque lucis tanta dulcedo est malae:
hoc lumen optant. ipsa se classis premit
et prora prorae nocuit et lateri latus.
illam dehiscens pontus in praeceps rapit
hauritque et alto redditam revomit mari;
haec onere sidit, illa convulsum latus
submittit undis, fluctus hanc decimus tegit;
haec lacera et omni decore populato levis
fluitat nec illi vela nec tonsae manent
nec rectus altas malus antemnas ferens,
sed trunca toto puppis Icario natat.
nil ratio et usus audet: ars cessit malis;
tenet horror artus, omnis officio stupet
navita relicto, remus effugit manus.
in vota miseros ultimus cogit timor
eademque superos Troes et Danai rogant.
quid fata possunt! invidet Pyrrhus patri,
Aiaci Vlixes, Hectori Atrides minor,
Agamemno Priamo; quisquis ad Troiam iacet
felix vocatur, cadere qui meruit gradu,
quem fama servat, victa quem tellus tegit.
'nil nobile ausos pontus atque undae ferunt?
ignava fortes fata consument viros?
perdenda mors est? quisquis es nondum malis
satiate tantis caelitum, tandem tuum
numen serena: cladibus nostris daret
vel Troia lacrimas. odia si durant tua
placetque mitti Doricum exitio genus,

---

487 decedere *E* 491 datum est *A* 499 im pr. *E* 500 mare *codd. correxit Gronovius* (*qui scripsit* alio – mari) 501 sedit ς 503 latera *E*. — populata ς 506 structa (fracta) toto turpis ς. — Ionio *codd. correxit de Wilamowitz* 507 audet in magnis malis *A* 512 pirrus *E* 514 agamenon *EA correxit Gronovius* 515 qui potuit ς. — manu *A* 517 ferent *A* 519 pudenda ς

quid hos simul perire nobiscum iuvat,
quibus perimus? sistite infestum mare:
vehit ista Danaos classis et Troas vehit.'
nec plura possunt: occupat vocem mare.
Ecce alia clades. fulmine irati Iovis
armata Pallas quidquid aut hasta minax
aut aegide et furore Gorgoneo potest
aut igne patrio temptat, et caelo novae
spirant procellae. solus invictus malis
luctatur Aiax. vela cogentem hunc sua
tento rudente flamma perstrinxit cadens.
libratur aliud fulmen: hoc toto impetu
certum reducta Pallas excussit manu,
imitata patrem. transit Aiacem et ratem
ratisque partem secum et Aiacem tulit.
nil ille motus, ardua ut cautes, salo
ambustus extat, dirimit insanum mare
fluctusque rumpit pectore et navem manu
complexus ignes traxit et caeco mari
conlucet Aiax, omne resplendet fretum.
tandem occupata rupe furibundum intonat:
'superasse iuvit pelagus atque ignes — iuvat
vicisse caelum Palladem fulmen mare.
non me fugavit bellici terror dei
Phoebea nec me tela pepulerunt gradu:
cum Phrygibus istos vicimus — tene horream?
aliena inerti tela mittis dextera.
quid si ipse mittat?' plura cum auderet furens,
tridente rupem subruit pulsam pater
Neptunus imis exerens undis caput
solvitque montem; quem cadens secum tulit
terraque et igne victus et pelago iacet.
Nos alia maior naufragos pestis vocat.

---

et Hectorem una solus et Martem tuli

---

525 p. et sistite *E* 526 troias vehit *E* Troas simul *A* 530 aut furore *codd. correxit Gronovius* 534 tenso *A* 538 ratisque: r *nigr. 2 m. i. ras. litterae rubr. E.* — et Aiacis *A* et magis *E corr.* ς 542 c. in se traxit *codd. correxit Madvigius adv. II p. 125* 545 superasse nunc pel. *E* s. nunc se pel. *A correxi* (s. novi *de Wilamowitz*) 548 *delevi cf. I, 209* 550 tandem horream *A* 551 tela mitti dextera *A correxit Lipsius* tela pepulerunt gradu *E* (*ex v. 549*) 556 terraque: te *ex* to *1 m. ut vid. E*

est humilis unda, scrupeis mendax vadis,
ubi saxa rapidis clausa verticibus tegit
fallax Caphereus; aestuat scopulis fretum
fervetque semper fluctus alterna vice.
arx imminet praerupta quae spectat mare
utrimque geminum: Pelopis hinc oras tui
et Isthmon, arto qui recurvatus solo
Ionia iungi maria Phrixeis vetat,
hinc scelere Lemnon nobilem et Calchedona
tardamque ratibus Aulida: hanc arcem occupat
Palamedis ille genitor et clarum manu
lumen nefanda vertice e summo efferens
in saxa ducit perfida classem face.
haerent acutis rupibus fixae rates;
has inopis undae brevia comminuunt vada,
pars vehitur huius prima, pars scopulo sedet;
hanc alia retro spatia relegentem ferit
et fracta frangit. iam timent terram rates
et maria malunt. cecidit in lucem furor:
postquam litatum est Ilio, Phoebus redit
et damna noctis tristis ostendit dies.
CLYT. Vtrumne doleam laeter an reducem virum?
remeasse laetor vulnus et regni grave
lugere cogor. redde iam Grais, pater
altisona quatiens regna, placatos deos.
nunc omne laeta fronde veletur caput,
saerifica dulces tibia effundat modos
et nivea magnas victima ante aras cadat.
Sed ecce, turba tristis incomptae comas
Iliades adsunt, quas super celso gradu
effrena Phoebas entheas laurus quatit.

CHORVS

Heu quam dulce malum mortalibus additum
vitae dirus amor, cum pateat malis
effugium et miseros libera mors vocet
portus aeterna placidus quiete.

---

560 chapereus *E* caphareus *A* 562 arsx *E* 566 n. hinc calcedona *A* 568 illi *E* 569 e *om. E* 576 voluntque maria *A* 577 est illo *E* *correxit Gronovius* p. l. e. Phoebus in lucem redit *A* 579 u. doleam an letaere reducem v. *E* 580 laeter ς. — at *A* 583 fronte *E* 589 *scaenae titulus:* Chorus Iliadum. Cassandra *E* Chor. Cass. *A* *de hoc cantico cf. I, 117. 127*

nullus hunc terror nec impotentis
procella Fortunae movet aut iniqui
flamma Tonantis.
pax alta nullos
civium coetus timet aut minaces
victoris iras, non maria asperis
insana coris, non acies feras
pulvereamve nubem
motam barbaricis equitum catervis;
non urbe cum tota populos cadentes,
hostica muros populante flamma,
indomitumve bellum.
perrumpet omne servitium
contemptor levium deorum,
qui vultus Acherontis atri,
qui Styga tristem non tristis videt
audetque vitae ponere finem.
par ille regi, par superis erit.
o quam miserum est nescire mori!
Vidimus patriam ruentem nocte funesta,
cum Dardana tecta Dorici raperetis ignes.
non illa bello victa, non armis,
ut quondam, Herculea cecidit pharetra.
quam non Pelei Thetidisque natus
carusque Pelidae nimium feroci
vicit, acceptis cum fulsit armis
fuditque Troas falsus Achilles,
aut cum ipse Pelides animos feroces
sustulit luctu celeremque saltu
Troades summis timuere muris,
perdidit in malis
extremum decus fortiter vinci:
restitit quinis bis annis
unius noctis peritura furto.

---

593 impotens *A* 594 p. f. m. | a. i. f. t. *A* 596—600 pax – coet. | timet – iras | non – coris | non – nubem *EA* 597 coetos *E.* — minas *E* 599 choris *E* 600 pulvereamque *A* 601 mota *E* 605 p. o. s. c. | l. d. *E* (ind. bell.) p. o. | solus c. l. d. *A* 607 qui – tristem | non – vitae | p. f. par – erit *E* 611 o – est | n. m. *E* 614 nec armis *A* 617—619 car. – vicit | acc. – troas | f. a. *E* 620 pelidos *E* 621—623 s. l. | cel. – summis | tim. – malis *E* 623—625 perd. – decus | fort. vinci. restitit annis | Troia bis quinis *A* 625. 626 rest. – noctis | p. f. *E* 626 fato *A*

Vidimus simulata dona
molis immensae Danaumque
fatale munus duximus nostra
creduli dextra tremuitque saepe
limine in primo sonipes, cavernis
conditos reges bellumque gestans;
et licuit dolos versare ut ipsi
fraude sua caderent Pelasgi.
saepe commotae sonuere parmae
tacitumque murmur percussit aures,
ut fremuit male subdolo
parens Pyrrhus Vlixi.

secura metus Troica pubes
sacros gaudet tangere funes.
hinc aequaevi gregis Astyanax,
hinc Haemonio desponsa rogo
ducunt turmas, haec femineas,
ille viriles. festae matres
votiva ferunt munera divis;
festi patres adeunt aras,
unus tota est vultus in urbe;
et, quod numquam post Hectoreos
vidimus ignes, laeta est Hecuba.
quid nunc primum, dolor infelix,
quidve extremum deflere paras?
moenia, divum fabricata manu,
diruta nostra?
an templa deos super usta suos?
non vacat istis lacrimare malis:
te, magne parens, flent Iliades.
vidi, vidi senis in iugulo
telum Pyrrhi vix exiguo
sanguine tingui.

627—629 Vid. – immensae | Dan. – duximus | nostra – saepe *E* 628. 629 Dan. – nostra | cred. – saepe *A* 632—637 et – sua | cad. – commotae | son. – murmur | perc. – subdolo | p. p. u. *E* 632 versare dolos *A* 633 f. s. capti c. P. *A* 636. 637 *uno versu A* 636 et *codd. correxit Bothius* 642—644 *trimetri EA* 647. 648 *trimeter et monom. EA* 648 hecubae *E* hecube *A corr.* ς (Hecabe *Bothius*) 650 deferre *E* 651. 652 *trimeter EA* 655 flectenti liades *E* 658 *post* tingi *ras. 1 lit. E* tingui Σ

CASSANDRA

Cohibete lacrimas omne quas tempus petet,
Troades, et ipsae vestra lamentabili
lugete gemitu funera: aerumnae meae
socium recusant. cladibus questus meis
removete. nostris ipsa sufficiam malis.

CHOR. Lacrimas lacrimis miscere iuvat:
magis exurunt quos secretae
lacerant curae, iuvat in medium
deflere suos; nec tu, quamvis
dura virago patiensque mali,
poteris tantas flere ruinas.
non quae verno mobile carmen
ramo cantat tristis aedon
Ityn in varios modulata sonos,
non quae tectis Bistonis ales
residens summis impia diri
furta mariti garrula narrat,
lugere tuam poterit digne
conquesta domum. licet ipse velit
clarus niveos inter olores
Histrum cycnus Tanainque colens
extrema loqui, licet alcyones
Ceyca suum fluctu leviter
plangente sonent, cum tranquillo
male confisae credunt iterum
pelago audaces fetusque suos
nido pavidae titubante fovent;
non si molles comitata viros
tristis laceret bracchia tecum
quae turritae turba parenti
pectora, rauco concita buxo,
ferit ut Phrygium lugeat Attin,
non est lacrimis, Cassandra, modus,
quia quae patimur vicere modum.

---

659 petit *A* 665—668 *trimeter, dim., trim. A* 667 nec enim quamv. *A* 670 nobile *A* 671 ędom *E* edonis *A* *correxit Avantius* 673 bis tonos *E* 674 res. silvis *ς* 675 garrula deflet *A* 676—678 *trimetri A* 677 ipsa *E* 679 Tanaimque *codd. correxit Bothius* 680 altiones *E* 681—685 *trim., duo dim., trim. A* 686 imitata *codd. correxi* 689 concitata *E* pectore r. c. buxum *A* 690 furit *E*

Sed cur sacratas deripis capiti infulas?
miseris colendos maxime superos putem.
CASS. Vicere nostra iam metus omnes mala.
equidem nec ulla caelites placo prece
nec, si velint saevire, quo noceant habent.
Fortuna vires ipsa consumpsit suas.
quae patria restat, quis pater, quae iam soror?
biberè tumuli sanguinem atque arae meum.
quid illa felix turba fraterni gregis?
exhausta nempe: regia miseri senes
vacua relicti; totque per thalamos vident
praeter Lacaenam ceteras viduas nurus.
tot illa regum mater et regimen Phrygum,
fecunda in ignes Hecuba fatorum novas
experta leges induit vultus feros:
circa ruinas rabida latravit suas,
Troiae superstes, Hectori, Priamo, sibi.
CHOR. Silet repente Phoebas et pallor genas
creberque totum possidet corpus tremor;
stetere vittae, mollis horrescit coma,
anhela corda murmure incluso fremunt,
incerta nutant lumina et versi retro
torquentur oculi, rursus immoti rigent.
nunc levat in auras altior solito caput
graditurque celsa, nunc reluctantes parat
reserare fauces, verba nunc clauso male
custodit ore maenas impatiens dei.
CASS. Quid me furoris incitam stimulis novi
quid mentis inopem, sacra Parnasi iuga,
rapitis? recede, Phoebe, iam non sum tua,
extingue flammas pectori infixas meo.
cui nunc vagor vaesana? cui bacchor furens?
iam Troia cecidit — falsa quid vates ago?
Vbi sum? fugit lux alma et obscurat genas
nox alta et aether abditus tenebris latet.
sed ecce gemino sole praefulget dies
geminumque duplices Argos attollit domus.

693 diripis *A* 694 *Cassandrae datur E.* — superos reor *A* 695 omnis *E* 702 exhaustu *E.* — regiam m. senis *A* 703 vacuam *A* 704 lachenam *E* 710 phoeba *E* 715 immites *codd. correxi* 717 reluctantis *E* 727 abditis *ς* 729 *adfertur ab Aldhelmo de septenario ad Aricium regem (in Mai class. auct. V p. 588)* 'd littera in t transmutatur. ut L. Annaeus Seneca in sexto volumine tetrametro brachycatalecto sic ait: geminumque – domus. et infra (*v. 787*)'. — domos *A*

Idaea cerno nemora: fatalis sedet
inter potentes arbiter pastor deas.
timete reges, moneo, furtivum genus:
agrestis iste alumnus evertet domum.
quid ista vaecors tela feminea manu
destricta praefert? quem petit dextra virum
Lacaena cultu, ferrum Amazonium gerens? —
quae versat oculos alia nunc facies meos?
victor ferarum colla sublimis iacet
ignobili sub dente Marmaricus leo,
morsus cruentos passus audacis leae.
quid me vocatis sospitem solam e meis,
umbrae meorum? te sequor testis, pater,
Troiae sepultae; frater, auxilium Phrygum
terrorque Danaum, non ego antiquum decus
video aut calentes ratibus exustis manus,
sed lacera membra et saucios vinclo gravi
illos lacertos; te sequor, nimium cito
congresse Achilli Troile; incertos geris,
Deiphobe, vultus, coniugis munus novae.
iuvat per ipsos ingredi Stygios lacus,
iuvat videre Tartari saevum canem
avidique regna Ditis! haec hodie ratis
Phlegethontis atri regias animas vehet,
victamque victricemque. vos, umbrae, precor,
iurata superis unda, te pariter precor:
reserate paulum terga nigrantis poli,
levis ut Mycenas turba prospiciat Phrygum.
spectate, miseri: fata se vertunt retro.

Instant sorores squalidae,
sanguinea iactant verbera,
fert laeva semustas faces

730 Idae *E* 733 iste *A* *post* 733 *intercidisse versus aliquot de Troiae fatis et Atridarum sceleribus coniecit de Wilamowitz. mihi vv. 730—733 spurii esse videntur* 735 districta *A* 736 vultu *E* 737 alta *Eς* 738 vexatus iacet *A* 742 umbrae meorum testis vel tota pater *E* u. m. te sequor tota pater *A correxi cf. I, 5* 743 Troia sepulte *EA correxi* 745—747 *litteras prope finem aliquot in archetypo destructas fuisse et qualiscumque sensus vocabula a librario posita esse patet E* 745 calentes ruptas bustis manus *E* 746 menbra connectens vinculo gravi *E* 747 fortes lacertos *A* illos lacerto. te sequitur tuum cito *E* 748 troia *E* 749 Deiphoebe *EA corr.* ς 751 saevum: s *i. ras. 1—2 litt. 2 m. E* 752 rates *E* 753 vehit *E* 754 vitamque *E* 759 *sqq. bini dimetri coniunguntur A*

turgentque pallentes genae
et vestis atri funeris
exesa cingit ilia,
strepuntque nocturni metus
et ossa vasti corporis
corrupta longinquo situ
palude limosa iacent.
et ecce, defessus senex
ad ora ludentes aquas
non captat oblitus sitim,
maestus futuro funere;
exultat et ponit gradus
pater decoros Dardanus.

CHOR. Iam pervagatus ipse se fregit furor,
caditque flexo qualis ante aras genu
cervice taurus vulnus incertum gerens.
relevemus artus. en deos tandem suos
victrice lauru cinctus Agamemnon adit,
et festa coniunx obvios illi tulit
gressus reditque iuncta concordi gradu.

AGAMEMNON

Tandem revertor sospes ad patrios lares;
o cara salve terra. tibi tot barbarae
dedere gentes spolia, tibi felix diu
potentis Asiae Troia summisit manus.
quid ista vates corpus effusa ac tremens
dubia labat cervice? famuli, attollite,
refovete gelido latice. iam recipit diem
marcente visu. suscita sensus tuos:
optatus ille portus aerumnis adest.
festus dies est. CASS. Festus et Troiae fuit.
AGAM. Veneremur aras. CASS. Cecidit ante aras pater.
AGAM. Iovem precemur pariter. CASS. Herceum Iovem?
AGAM. Credis videre te Ilium? CASS. Et Priamum simul.

---

762 ardentque *A* 764 excisa *E* 766—768 *quid significent obscurum* 771 sitis *A* 772 furore funere *E* 775 *chori notam om. E* 776 aras gradu *A* 777 incisa gerens *A* 778 artus entheos *A* 779 lauro *A.* — agamenon *E* 780 coniuxque pariter *A.* — obvios: os *ex* us *1 m. E* 781 ridetque *E* *scaenae titulus:* Agamennon (*sic E*) Cassandra 786 cur ista *A* 787 *adfertur ab Aldhelmo l. s.* (*v. ad v. 729*) 793 herculeum ς

AGAM. Hic Troia non est. CASS. Vbi Helena est Troiam puto.
AGAM. Ne metue dominam famula. CASS. Libertas adest.
AGAM. Secura vive. CASS. Mihi mori est securitas.
AGAM. Nullum est periclum tibimet. CASS. At magnum tibi.
AGAM. Victor timere quid potest? CASS. Quod non timet.
AGAM. Hanc fida famuli turba, dum excutiat deum,
retinete ne quid impotens peccet furor.
at te, pater, qui saeva torques fulmina
pellisque nubes, sidera et terras regis,
ad quem triumphi spolia victores ferunt,
et te sororem cuncta pollentis viri,
Argolica Iuno, pecore votivo libens
Arabumque donis supplice et fibra colam.

CHORVS

Argos nobilibus nobile civibus,
Argos iratae carum novercae,
semper ingentes alumnos
educas, numerum deorum
imparem aequasti: tuus ille
bis seno meruit labore
adlegi caelo
magnus Alcides, cui lege mundi
Iuppiter rupta geminavit horas
roscidae noctis iussitque Phoebum
tardius celeres agitare currus
et tuas lente remeare bigas,
pallida Phoebe;
rettulit pedem
nomen alternis stella quae mutat
seque mirata est Hesperum dici;
Aurora movit ad solitas vices
caput et relabens imposuit seni
collum marito.
sensit ortus, sensit occasus

---

797 mors mihi est sec. *A* 798 periculum *E*. — tibi est *A* *scaenae inscribitur* Chorus. Cassandra *E* Chorus *A* *de hoc cantico cf. I, 119. 130* 810—818 semp. ing. ed. al. | imp. aeq. num. deor. | tuus – labore | allegi – Alcides | cui – rupta | rosc. noct. gem. hor. | iuss. – celeres | agit. – lente | rem. – Phoebe *A* 815 ippiter *E* 818 candida Phoebe *A* 819—823 ret. – alternis | stella – est | Hesp. – movet | ad s. v. | caput – seni | c. m. *E* ret. p. alt. nom. | stella – est | Hesp. – movit | ad – relabens | impos. – mar. *A* 819 retulit *E* retulitque *A* 823 senis humero mariti *A*

Herculem nasci: violentus ille
nocte non una poterat creari.
tibi concitatus substitit mundus,
o puer subiture caelum.
te sensit Nemeaeus arto
pressus lacerto fulmineus leo
cervaque Parrhasis,
sensit Arcadii populator agri,
gemuitque taurus Dictaea linquens
horridus arva.
morte fecundum domuit draconem
vetuitque collo pereunte nasci,
geminosque fratres
pectore ex uno tria monstra natos
stipite incusso fregit insultans,
duxitque ad ortus Hesperium pecus,
Geryonae spolium triformis.
egit Threicium gregem,
quem non Strymonii gramine fluminis
Hebrive ripis pavit tyrannus:
hospitum dirus stabulis cruorem
praebuit saevis tinxitque crudos
ultimus rictus sanguis aurigae.
vidit Hippolyte ferox
pectore e medio rapi
spolium, et sagittis
nube percussa Stymphalis alto
decidit caelo;
arborque pomis fertilis aureis
extimuit manus insueta carpi
fugitque in auras leviore ramo.
audivit sonitum crepitante lamna
frigidus custos nescius somni,
linqueret cum iam nemus omne fulvo
plenus Alcides vacuum metallo.
tractus ad caelum canis inferorum

---

815 H. n. | v. i. *E* 829 nemeus *E* 831 parrahsis *E* 837—841 gem. – uno | tria – incusso | fregit – ortus *EA*. — H. p. g. | s. t. *E* H. p. | g. s. t. *A* 836 p. ab uno *A* 841 geryonei *A* 842 threcium *E* 842—844 egit – non | strim. – hebrive | ripis – tyr. *E* 846 saevistrinxitque *E* 847 ultimos *E* 849 sagittas *A* 851 cecidit *E* 855 crepetante *E*. — flamma *A* 857 fulvo *add. manus de qua vide ad v. 129 E*

triplici catena tacuit nec ullo
latravit ore,
lucis ignotae metuens colorem.
te duce succidit
mendax Dardanidae domus
et sensit arcus iterum timendos;
te duce concidit
totidem diebus Troia quot annis.

CASS. Res agitur intus magna, par annis decem.
eheu quid hoc est? anime, consurge et cape
pretium furoris: vicimus victi Phryges.
bene est, resurgit Troia; traxisti iacens,
parens, Mycenas, terga dat victor tuus!
tam clara numquam providae mentis furor
ostendit oculis: video et intersum et fruor;
imago visus dubia non fallit meos:
spectemus. epulae regia instructae domo,
quales fuerunt ultimae Phrygibus dapes,
celebrantur: ostro lectus Iliaco nitet
merumque in auro veteris Assaraci trahunt.
en ipse picta veste sublimis iacet,
Priami superbas corpore exuvias gerens.
detrahere cultus uxor hostiles iubet,
induere potius coniugis fidae manu
textos amictus — horreo atque animo tremo:
regemne perimet exul et adulter virum?
venere fata. sanguinem extremae dapes
domini videbunt et cruor Baccho incidet.
mortifera vinctum perfide tradit neci
induta vestis: exitum manibus negant
caputque laxi et invii claudunt sinus.
haurit trementi semivir dextra latus,
nec penitus egit: vulnere in medio stupet.

861—866 latr. – ignotae | m. c. | te – mendax | Dard. – arcus | iterum – concidit | totidem – annis *E* latr. – ign. | metuens – succidit | m. D. d. | et – timendos | te – diebus | T. q. a. *A* 863 succedit *E* 864 Dardaniae *codd. correxi* 864 timendo *E* 867 per annos *E* 868 heu ς. — anima *E* 870 resurgis *A* 871 pares *A* 872 m. pudor ς 873 intersum fruor *E* 875 spectamus *A* 878 assarici ς 879 et ipse *codd. correxit N. Heinsius adv. p. 119* 886 bacho *E* 887 perfide: de *ex* det *1 m. E* perfidae *vulgo.* — tradet *EA corr.* ς 888 negat *codd. correxit Gronovius* 889 inuli *E* 891 agit (adigit *Avantius*) *A*

at ille, ut altis hispidus silvis aper
cum casse vinctus temptat egressus tamen
artatque motu vincla et in cassum furit,
cupit fluentes undique et caecos sinus
disicere et hostem quaerit implicitus suum.
armat bipenni Tyndaris dextram furens,
qualisque ad aras colla taurorum popa
designat oculis antequam ferro petat,
sic huc et illuc impiam librat manum.
habet, peractum est. pendet exigua male
caput amputatum parte et hinc trunco cruor
exundat, illic ora cum fremitu iacent.
nondum recedunt: ille iam exanimem petit
laceratque corpus, illa fodientem adiuvat.
uterque tanto scelere respondet suis:
est hic Thyeste natus, haec Helenae soror.
stat ecce Titan dubius emerito die,
suane currat an Thyestea via.

ELECTRA

Fuge, o paternae mortis auxilium unicum,
fuge et scelestas hostium vita manus.
eversa domus est fùnditus, regna occidunt.
hospes quis iste concitos currus agit?
germane, vultus veste furabor tuos.
quid, anime demens, refugis? externos times?
domus timenda est. pone iam trepidos metus,
Oresta: amici fida praesidia intuor.

STROPHIVS

Phocide relicta Strophius Elea inclutus
palma revertor. causa veniendi fuit
gratari amico, cuius impulsum manu
cecidit decenni Marte concussum Ilium.
quaenam ista lacrimis lugubrem vultum rigat
pavetque maesta? regium agnosco genus.

---

896 dissicere *codd.* 898 prius *codd. correxit de Wilamowitz* 903 illinc *EA corr.* ς 904 exanimę *E* 907 hic est *A.* — soror *1 m.* furor *2 m. E* 909 sua nec currat *E* *scaenae titulus:* Electra fugiens. Orestes tacitus *E* Electra *A* 911 fugito scel. h. evita m. *A* 913 concitus *E correxit Gronovius* quis iste celeres concitus c. a. *A* 915 quos *A.* — ext. fugis *A* 918 *scaenae titulus* Strophius. Electra. Orestes *E* Strophius (Strophilus ς) El. *A*

Electra, fletus causa quae laeta in domo est?
EL. Pater peremptus scelere materno iacet,
comes paternae quaeritur natus neci,
Aegisthus arces Venere quaesitas tenet.
STR. O nulla longi temporis felicitas!
EL. Per te parentis memoriam obtestor mei,
per sceptra terris nota, per dubios deos:
recipe hunc Oresten ac pium furtum occule.
STR. Etsi timendum caesus Agamemnon docet,
aggrediar et te, Oresta, furabor libens.
cape hoc decorum ludicri certaminis,
insigne frontis; laeva victricem tenens
frondem virenti protegat ramo caput,
et ista donum palma Pisaei Iovis
velamen eadem praestet atque omen tibi.
tuque o paternis assidens frenis comes,
condisce, Pylade, patris exemplo fidem.
vos Graecia nunc teste veloces equi
infida cursu fugite praecipiti loca.
EL. Excessit, abiit, currus effreno impetu
effugit aciem. tuta iam opperiar meos
hostes et ultro vulneri opponam caput.
Adest cruenta coniugis victrix sui
et signa caedis veste maculata gerit.
manus recenti sanguine etiamnunc madent
vultusque prae se scelera truculenti ferunt.
concedam ad aras. patere me vittis tuis,
Cassandra, iungi paria metuentem tibi.

CLYTAEMNESTRA

Hostis parentis, impium atque audax caput,
quo more coetus publicos virgo petis?
EL. Adulterorum virgo deserui domum.
CLYT. Quis esse credat virginem? EL. Natam tuam?
CLYT. Modestius cum matre. EL. Pietatem doces?
CLYT. Animos viriles corde tumefacto geris;
sed agere domita feminam disces malo.

---

fidem secunda poscunt, adversa exigunt.

---

924 E. luctus *A* 932 e. t. quid sit Agamenon d. *E cf. I, 5* 934 *delevit Peiperus.* — secundam *E* 938 ista demum *A* 944 habiit *E* 945 operiar *E* 953 *scaenae inscriptum* Clytemestra. Electra. *Aegistus.* Cassandra 957 EL. eia tandem doces *A* 959 semitam *E*

EL. Nisi forte fallor, feminas ferrum decet.
CLYT. Et esse demens te parem nobis putas?
EL. Vobis? quis iste est alter Agamemnon tuus?
ut vidua loquere: vir caret vita tuus.
CLYT. Indomita posthac virginis verba impiae
regina frangam; citius interea mihi
edissere ubi sit natus, ubi frater tuus.
EL. Extra Mycenas. CLYT. Redde nunc natum mihi.
EL. Et tu parentem redde. CLYT. Quo latitat loco?
EL. Tuto quietus, regna non metuens nova:
iustae parenti satis. CLYT. At iratae parum.
morieris hodie. EL. Dummodo hac moriar manu.
recedo ab aris. sive te iugulo iuvat
mersisse ferrum, praebeo iugulum tibi;
seu more pecudum colla resecari placet,
intenta cervix vulnus expectat tuum.
scelus paratum est: caede respersam viri
atque obsoletam sanguine hoc dextram ablue.
CLYT. Consors pericli pariter ac regni mei,
Aegisthe, gradere. nata genetricem impie
probris lacessit, occulit fratrem abditum.

AEGISTHVS

Furibunda virgo, vocis infandae sonum
et aure verba indigna materna opprime.
EL. Etiam monebit sceleris infandi artifex,
per scelera natus, nomen ambiguum suis,
idem sororis natus et patris nepos?
CLYT. Aegisthe, cessas impium ferro caput
demetere? fratrem reddat aut animam statim.
AEG. Abstrusa caeco carcere et saxo exigat
aevum, et per omnes torta poenarum modos
referre quem nunc occulit forsan volet.
inops egens inclusa, paedore obruta,
vidua ante thalamos, exul, invisa omnibus
aethere negato sero subcumbet malis.

---

960 ni *A* 962 nobis *A*. — agamenon *E* 963 *post v. 965 legitur A*. — tu vid. ς 964 post haec *A* 967 exiit M. *A* 970 CLY. dixi p. s. a. i. p. *E* (*cf. I, 5*) *totus versus Electrae continuatur A correxit Bothius* 973 iugulum volens *A* 976 peractum est *A* 979 A. gaudes *A*. — gnatam genitricem *E* 980 abd. fr. occul. *A* 988—993 *Clytaemnestrae continuantur A* 989 et *om. A* 990 forsam *E* 991 p. obsita *A*

EL. Concede mortem. AEG. Si recusares, darem.
rudis est tyrannus morte qui poenam exigit.
EL. Mortem aliquid ultra est? AEG. Vita, si cupias mori.
abripite, famuli, monstrum et avectam procul
ultra Mycenas ultimo in regni angulo
vincite saeptam nocte tenebrosi specus,
ut inquietam virginem carcer domet.
CLYT. At ista poenas capite persolvet suo
captiva coniunx, regii paelex tori.
trahite, ut sequatur coniugem ereptum mihi.
CASS. Ne trahite, vestros ipsa praecedam gradus.
perferre prima nuntium Phrygibus meis
propero: repletum ratibus eversis mare,
captas Mycenas, mille ductorem ducum,
ut paria fata Troicis lueret malis,
perisse dono feminae: stupro, dolo.
nihil moramur, rapite, quin grates ago.
iam, iam iuvat vixisse post Troiam, iuvat.
CLYT. Furiosa, morere. CASS. Veniet et vobis furor.

---

994 *et* 996 *sq. cum Clytaemnestra Aegisthus conloquitur A* 996 morte *E* 998 mecenas *E* 1001—1003 *Aegistho continuantur A* 1001 ipsa *E*. — persolvat ς 1003 coniugnem *E* 1008 tulerit malis *A* 1012 furibunda m. *A*

MARCI · LVCII · ANNEI · SENECAE · | AGAMENON · EXPLICIT · INCIPIT | THYESTES · FELICITER *E sequitur Octavia A*

THYESTES

PERSONAE

TANTALI VMBRA
FVRIA
ATREVS
SATELLES
THYÉSTES
TANTALVS
PLISTHENES tacitus
NVNTIVS
CHORVS

TANTALI VMBRA

Quis inferorum sede ab infausta extrahit
avido fugaces ore captantem cibos,
quis male deorum Tantalo visas domos
ostendit iterum? peius inventum est siti
arente in undis aliquid et peius fame
hiante semper? Sisyphi numquid lapis
gestandus umeris lubricus nostris venit
aut membra celeri differens cursu rota,
aut poena Tityi qui specu vasto patens
visceribus atras pascit effossis aves
et nocte reparans quidquid amisit die
plenum recenti pabulum monstro iacet?
in quod malum transcribor? o quisquis nova
supplicia functis durus umbrarum arbiter
disponis, addi si quid ad poenas potest
quod ipse custos carceris diri horreat,
quod maestus Acheron paveat, ad cuius metum
nos quoque tremamus, quaere: iam nostra subit
e stirpe turba quae suum vincat genus
ac me innocentem faciat et inausa audeat.
regione quidquid impia cessat loci
complebo — numquam stante Pelopea domo
Minos vacabit.

FVRIA

Perge, detestabilis
umbra, et penates impios furiis age.

---

scaenae inscribitur Tantali umbra. Furia *E* Tantalus. Megaera *A* (*sic per totam scaenam*) 1 Quis me furor nunc sede ab infausta abstrahit *A* 3 vivas *A*. — domo *E* 6 siscyphi nunquid *E* 9 a. p. T. semper accrescens iecur *A* (*cf. Phaedr. 1234*) 10 vulneribus *codd. correxit Avantius* 13 transscr. *E* 15 adde *codd. correxit Gronovius*. — potes *A* 18 n. q. t. *et* q. i. n. s. *singulis versibus E* 20 *sq. sic disponit E:* ac – faciat | et – regione | quicq. – complebo | numq. – domo

certetur omni scelere et alterna vice
stringatur ensis; ne sit irarum modus
pudorve, mentes caecus instiget furor,
rabies parentum duret et longum nefas
eat in nepotes; nec vacet cuiquam vetus
odisse crimen: semper oriatur novum,
nec unum in uno, dumque punitur scelus,
crescat. superbis fratribus regna excidant
repetantque profugos; dubia violentae domus
fortuna reges inter incertos labet:
miser ex potente fiat, ex misero potens
fluctuque regnum casus assiduo ferat.
ob scelera pulsi, cum dabit patriam deus
in scelera redeant, sintque tam invisi omnibus,
quam sibi; nihil sit ira quod vetitum putet:
fratrem expavescat frater et natum parens
natusque patrem, liberi pereant male,
peius tamen nascantur; immineat viro
infesta coniunx, bella trans pontum vehant,
effusus omnes irriget terras cruor,
supraque magnos gentium exultet duces
Libido victrix: impia stuprum in domo
levissimum sit; fratris et fas et fides
iusque omne pereat. non sit a vestris malis
immune caelum — cur micant stellae polo
flammaeque servant debitum mundo decus?
nox alia fiat, excidat caelo dies.
misce penates, odia caedes funera
arcesse et imple Tantalo totam domum.
ornetur altum columen et lauro fores
laetae virescant, dignus adventu tuo
splendescat ignis — Thracium fiat nefas
maiore numero. dextra cur patrui vacat?
nondum Thyestes liberos deflet suos —
et quando tollet? ignibus iam subditis
spument aena, membra per partes eant
discerpta, patrios polluat sanguis focos,
epulae instruantur — non novi sceleris tibi
conviva venies. liberum dedimus diem

---

26 stringantur enses *A* 33 repetatque ς 36 luctuque *E*
44 omnis *E* 48 a *om.* *E* 49 cum micant *A* 51 atra *A* alta ς
53 accerse *E*. — imple scelere Tantaleam domum *A* 56 slendescat *E*
60 spumante aheno *A*

tuamque ad istas solvimus mensas famem:
ieiunia exple, mixtus in Bacchum cruor
spectante te potetur; inveni dapes
quas ipse fugeres — siste, quo praeceps ruis?
TANT. Ad stagna et amnes et recedentes aquas
labrisque ab ipsis arboris plenae fugas.
abire in atrum carceris liceat mei
cubile, liceat, si parum videor miser,
mutare ripas: alveo medius tuo,
Phlegethon, relinquar igneo cinctus freto.
quicumque poenas lege fatorum datas
pati iuberis, quisquis exeso iaces
pavidus sub antro iamque venturi times
montis ruinam, quisquis avidorum feros
rictus leonum et dira Furiarum agmina
implicitus horres, quisquis immissas faces
semiustus abigis, Tantali vocem excipe
properantis ad vos: credite experto mihi,
amate poenas. quando continget mihi
effugere superos? FVR. Ante perturba domum
inferque tecum proelia et ferri malum
regibus amorem, concute insano ferum
pectus tumultu. TANT. Me pati poenas decet,
non esse poenam. mittor ut dirus vapor
tellure rupta vel gravem populis luem
sparsura pestis, ducam in horrendum nefas
avus nepotes — magne divorum parens
nosterque, quamvis pudeat, ingenti licet
taxata poena lingua crucietur loquax,
nec hoc tacebo: moneo, ne sacras manus
violate caede neve furiali malo
aspergite aras. stabo et arcebo scelus —
quid ora terres verbere et tortos ferox
minaris angues? quid famem infixam intimis
agitas medullis? flagrat incensum siti
cor et perustis flamma visceribus micat —
sequor.

67 preces ruis *E* 68 amnes] manes *E* 70 antrum *E* 72 mutare ipse *E* 76 quique v. t. *A* 77 feres *E* 82 *post v. 84 E (rectus ordo indicatus non prima manu)* 92 loquar *A* 93 sacra *A* 94 violata *A* 95 aspergat *A* 100 *proprio versu EA. delevit Richterus; fort. interciderunt aliquot versus pleni furoris*

FVR. Hunc, hunc furorem divide in totam domum!
sic, sic ferantur et suum infensi invicem
sitiant cruorem. sentit introitus tuos
domus et nefando tota contactu horruit.
actum est abunde. gradere ad infernos specus
amnemque notum; iam tuum maestae pedem
terrae gravantur: cernis ut fontes liquor
introrsus actus linquat, ut ripae vacent
ventusque raras igneus nubes ferat?
pallescit omnis arbor ac nudus stetit
fugiente pomo ramus, et qua fluctibus
illinc propinquis Isthmos atque illinc fremit
vicina gracili dividens terra vada,
longe remotos litus exaudit sonos.
iam Lerna retro cessit et Phoronides
latuere venae nec suas profert sacer
Alpheos undas et Cithaeronis iuga
stant parte nulla cana deposita nive
timentque veterem nobiles Argi sitim.
en ipse Titan dubitat an iubeat sequi
cogatque habenis ire periturum diem.

CHORVS

Argos de superis si quis Achaicum
Pisaeasque domos curribus inclitas,
Isthmi si quis amat regna Corinthii
et portus geminos et mare dissidens,
si quis Taygeti conspicuas nives,
quas cum Sarmaticus tempore frigido
in summis Boreas composuit iugis,
aestas veliferis solvit Etesiis,
quem tangit gelido flumine lucidus
Alpheos, stadio notus Olympico,
advertat placidum numen et arceat,
alternae scelerum ne redeant vices
nec succedat avo deterior nepos
et maior placeat culpa minoribus.
tandem lassa feros exuat impetus

---

101 nunc o f. *A* 103 sensit *A* 104 nefando: o *ex* a *1 m. E* 106 tuo m. pede *A* 107 fontis *E* 111 qui *codd. correxi* 114 latus *A* 115 iam terra *E* 116 sacras *codd. correxit Gronovius* 117 Alpheus *A* 123 Pisaeisque ς. — turribus *A* 124 chorinti *E* 132 placitum *E*

sicci progenies impia Tantali.
peccatum satis est; fas valuit nihil
aut commune nefas. proditus occidit
deceptor domini Myrtilus, et fide
vestus qua tulerat nobile reddidit
mutato pelagus nomine: notior
nulla est Ioniis fabula navibus.
exceptus gladio parvulus impio
dum currit patrium natus ad osculum,
immatura focis victima concidit
divisusque tua est, Tantale, dextera,
mensas ut strueres hospitibus deis.
hos aeterna fames persequitur cibos,
hos aeterna sitis; nec dapibus feris
decerni potuit poena decentior.
Stat lassus vacuo gutture Tantalus:
impendet capiti plurima noxio
Phineis avibus praeda fugacior;
hinc illinc gravidis frondibus incubat
et curvata suis fetibus ac tremens
alludit patulis arbor hiatibus.
haec, quamvis avidus nec patiens morae,
deceptus totiens tangere neglegit
obliquatque oculos oraque comprimit
inclusisque famem dentibus alligat.
sed tunc divitias omne nemus suas
demittit propius pomaque desuper
insultant foliis mitia languidis
accenduntque famem, quae iubet irritas
exercere manus — has ubi protulit
et falli libuit, totus in arduum
autumnus rapitur silvaque mobilis.
instat deinde sitis non levior fame;
qua cum percaluit sanguis et igneis
exarsit facibus, stat miser obvios
fluctus ore petens, quos profugus latex
avertit sterili deficiens vado
conantemque sequi deserit; hic bibit
altum de rapido gurgite pulverem.

137 progeniges *E* 140 dominae *A* 147 dextra *E* 148 mensas instrueres *E* 152 stat lusus *A* 155 gravibus *E* 164 insultat *E* 171 misero buos *E*

ATREVS

Ignave, iners, enervis et (quod maximum
probrum tyranno rebus in summis reor)
inulte, post tot scelera, post fratris dolos
fasque omne ruptum questibus vanis agis
iratus Atreus? fremere iam totus tuis
debebat armis orbis et geminum mare
utrimque classes agere, iam flammis agros
lucere et urbes decuit ac strictum undique
micare ferrum. tota sub nostro sonet
Argolica tellus equite; non silvae tegant
hostem nec altis montium structae iugis
arces; relictis bellicum totus canat
populus Mycenis, quisquis invisum caput
tegit ac tuetur, clade funesta occidat.
haec ipsa pollens incliti Pelopis domus
ruat vel in me, dummodo in fratrem ruat.
age, anime, fac quod nulla posteritas probet,
sed nulla taceat. aliquod audendum est nefas
atrox, cruentum, tale quod frater meus
suum esse mallet — scelera non ulcisceris,
nisi vincis. et quid esse tam saevum potest
quod superet illum? numquid abiectus iacet?
numquid secundis patitur in rebus modum,
fessis quietem? novi ego ingenium viri
indocile: flecti non potest — frangi potest.
proinde antequam se firmat aut vires parat,
petatur ultro, ne quiescentem petat.
aut perdet aut peribit: in medio est scelus
positum occupanti.

SATELLES

Fama te populi nihil
adversa terret? ATR. Maximum hoc regni bonum est,
quod facta domini cogitur populus sui
tam ferre quam laudare. SAT. Quos cogit metus
laudare, eosdem reddit inimicos metus.
at qui favoris gloriam veri petit,

---

scaenae titulus Atreus, Satelles *E* Atreus. Servus *A* (*sic per totam scaenam*) 177 probum *E* 180 iras, at (*vel* et) Argos f. i. totum t. *A* 181 d. a. omnis *A* 182 innare classis. iam tuis fl. a. *A* 195 malit *A* 201 firmet a. v. paret *A* 207 quam f. tam l. *A* *209 vere E*

animo magis quam voce laudari volet.
ATR. Laus vera et humili saepe contingit viro,
non nisi potenti falsa. quod nolunt velint.
SAT. Rex velit honesta: nemo non eadem volet.
ATR. Vbicumque tantum honesta dominanti licent,
precario regnatur. SAT. Vbi non est pudor
nec cura iuris sanctitas pietas fides,
instabile regnum est. ATR. Sanctitas pietas fides
privata bona sunt; qua iuvat reges eant.
SAT. Nefas nocere vel malo fratri puta.
ATR. Fas est in illo quidquid in fratre est nefas.
quid enim reliquit crimine intactum aut ubi
sceleri pepercit? coniugem stupro abstulit
regnumque furto: specimen antiquum imperi
fraude est adeptus, fraude turbavit domum.
est Pelopis altis nobile in stabulis pecus,
arcanus aries, ductor opulenti gregis.
huius per omne corpus effuso coma
dependet auro, cuius e † tergo novi
aurata reges sceptra Tantalici gerunt;
possessor huius regnat, hunc tantae domus
fortuna sequitur. tuta seposita sacer
in parte carpit prata, quae claudit lapis
fatale saxeo pascuum muro tegens.
hunc facinus ingens ausus assumpta in scelus
consorte nostri perfidus thalami avehit.
hinc omne cladis mutuae fluxit malum:
per regna trepidus exul erravi mea,
pars nulla generis tuta ab insidiis vacat,
corrupta coniunx, imperi quassa est fides,
domus aegra, dubius sanguis est — certi nihil
nisi frater hostis. quid stupes? tandem incipe
animosque sume: Tantalum et Pelopem aspice;
ad haec manus exempla poscuntur meae.
profare, dirum qua caput mactem via.

211—228 (*v. 229 incipit f. 122^{v}*) *litterae quaedam in versuum finibus cum scholiis detersae et 2 m. renovatae* (*211* viro, *213* -t, *214* -ent, *220* -fas, *228 in ora infima magis reliquis laesus; renovata* epend *et* cu *et* g, *ex* auro *factum* viro) 219 puto *E* 221 reliquit: t *ex* d *i. ras. 2 m. E.* 227 infuso *A* 228 *conieci* tracto (texto *de Wilamowitz*) tergore ex huius *Bothius* 233 sacro *A* 237 erravit *A* 238 p. n, nostri *A* 242 animoque sume T. *A cf. I, 39* 244 iactem *E*

SAT. Ferro peremptus spiritum inimicum expuat.
ATR. De fine poenae loqueris; ego poenam volo.
perimat tyrannus lenis: in regno meo
mors impetratur. SAT. Nulla te pietas movet?
ATR. Excede, Pietas, si modo in nostra domo
umquam fuisti. dira Furiarum cohors
discorsque Erinys veniat et geminas faces
Megaera quatiens: non satis magno meum
ardet furore pectus, impleri iuvat
maiore monstro. SAT. Quid novi rabidus struis?
ATR. Nil quod doloris capiat assueti modus;
nullum relinquam facinus et nullum est satis.
SAT. Ferrum? ATR. Parum est. SAT. Quid ignis? ATR. Etiamnunc parum est.
TAT. Quonam ergo telo tantus utetur dolor?
ATR. Ipso Thyeste. SAT. Maius hoc ira est malum.
ATR. Fateor. tumultus pectora attonitus quatit
penitusque volvit; rapior et quo nescio,
sed rapior. imo mugit e fundo solum,
tonat dies serenus ac totis domus
ut fracta tectis crepuit et moti lares
vertere vultum: fiat hoc, fiat nefas
quod, di, timetis. SAT. Facere quid tandem paras?
ATR. Nescio quid animo maius et solito amplius
supraque fines moris humani tumet
instatque pigris manibus — haud quid sit scio,
sed grande quiddam est. ita sit. hoc, anime, occupa.
dignum est Thyeste facinus et dignum Atreo:
uterque faciat. vidit infandas domus
Odrysia mensas — fateor, immane est scelus,
sed occupatum: maius hoc aliquid dolor
inveniat. animum Daulis inspira parens
sororque; causa est similis: assiste et manum
impelle nostram. liberos avidus pater
gaudensque laceret et suos artus edat.
bene est, abunde est. hic placet poenae modus
tantisper. ubinam est? tam diu cur innocens

246 ergo *E* 255 modum *codd. correxit Madvigius edv. II p. 114* 262 effundo *E* 265 vertere nullum *E* 267 animus *codd. correxi* 268 timet *A* 269 manimus *superscripta priore* m *1 m. E* 270 anime incipe *A* 272 quod uterque *E* 274 aliquit *E* 275 Daulis] nati *A* (*t. e.* Atthis?) filii ς 276 soror est c. ς 277 parens *A*

versatur Atreus? tota iam ante oculos meos
imago caedis errat, ingesta orbitas
in ora patris — anime, quid rursus times
et ante rem subsidis? audendum est, age:
quod est in isto scelere praecipuum nefas,
hoc ipse faciet. SAT. Sed quibus captus dolis
nostros dabit perductus in laqueos pedem?
inimica credit cuncta. ATR. Non poterat capi,
nisi capere vellet. regna nunc sperat mea:
hac spe minanti fulmen occurret Iovi,
hac spe subibit gurgitis tumidi minas
dubiumque Libycae Syrtis intrabit fretum,
hac spe, quod esse maximum retur malum,
fratrem videbit. SAT. Quis fidem pacis dabit?
cui tanta credet? ATR. Credula est spes improba.
natis tamen mandata quae patruo ferant
dabimus: relictis exul hospitiis vagus
regno ut miserias mutet atque Argos regat
ex parte dominus. si nimis durus preces
spernet Thyestes, liberos eius rudes
malisque fessos gravibus et faciles capi
prece commovebunt: hinc vetus regni furor,
illinc egestas tristis ac durus labor
quamvis rigentem tot malis subigent virum.
SAT. Iam tempus illi fecit aerumnas leves.
ATR. Erras: malorum sensus accrescit die.
leve est miserias ferre, perferre est grave.
SAT. Alios ministros consili tristis lege.
ATR. Peiora iuvenes facile praecepta audiunt.
SAT. In patre facient quidquid in patruo doces;
saepe in magistrum scelera rediérunt sua.
ATR. Vt nemo doceat fraudis et sceleris vias,
regnum docebit. ne mali fiant times?
nascuntur. istud quod vocas saevum asperum
agique dure credis et nimium impie,
fortasse et illic agitur. SAT. Hanc fraudem scient
nati parari? ATR. Tacita tam rudibus fides

---

282 ing. orb. | i. o. p. *om. A* 288 poterit ς 290 *post v. 293 E (ponendus fort. post v. 292)* 302 prece commovebo *E correxit Muellerus de re metr. p. 167* praecommovebunt *A* prece (preces *Avantius*) movebunt ς 303 hinc durus *codd. correxit Bothius* 306 accressit *E* 307 est *alterum om. A* 308 consiliis ς (consilii *E ut ubique*) 309 *servo continuatur A* 317—321 falles *servo* continuatur A

non est in annis; detegent forsan dolos:
tacere multis discitur vitae malis.
SAT. Ipsosque per quos fallere alium cogitas
falles? ATR. Vt ipsi crimine et culpa vacent.
quid enim necesse est liberos sceleri meos
inserere? per nos odia se nostra explicent. —
male agis, recedis, anime: si parcis tuis,
parces et illis. consili Agamemnon mei
sciens minister fiat et patri sciens
Menelaus assit. prolis incertae fides
ex hoc petatur scelere: si bella abnuunt
et gerere nolunt odia, si patruum vocant,
pater est. eatur. — multa sed trepidus solet
detegere vultus, magna nolentem quoque
consilia produnt: nesciant quantae rei
fiant ministri. nostra tu coepta occules.
SAT. Haud sum monendus: ista nostro in pectore
fides timorque, sed magis claudet fides.

CHORVS

Tandem regia nobilis,
antiqui genus Inachi,
fratrum composuit minas.
Quis vos exagitat furor,
alternis dare sanguinem
et sceptrum scelere aggredi?
nescitis, cupidi arcium,
regnum quo iaceat loco.
regem non faciunt opes,
non vestis Tyriae color,
non frontis nota regiae,
non auro nitidae fores:
rex est qui posuit metus
et diri mala pectoris,
quem non ambitio inpotens
et numquam stabilis favor

---

320 ipsosne *A* 321 *totus satelliti datur, sed* ut – vacent *proprium versum tenet E.* — ut] at *A* 322 *Atreus incipit E.* — meo *A* 325 illi *A.* — Agamennon *E* 326 insciens m. *E.* — patris cliens *A* 328 si] qui *E* 329 patrum *E* 333 occule *A* 335 claudit *A* 336—357 *versus binorum colorum initiis singulorum distinctis E* 344 reges *ς* 347 fores] trabes *A Lactantius ad Stat. Theb. IV, 530*

vulgi praecipitis movet,
non quidquid fodit Occidens
aut unda Tagus aurea
claro devehit alveo,
non quidquid Libycis terit
fervens area messibus,
quem non concutiet cadens
obliqui via fulminis,
non Eurus rapiens mare
aut saevo rabidus freto
ventosi tumor Hadriae,
quem non lancea militis,
non strictus domuit chalybs,
qui tuto positus loco
infra se videt omnia
occurritque suo libens
fato nec queritur mori.
Reges conveniant licet
qui sparsos agitant Dahas,
qui rubri vada litoris
et gemmis mare lucidis
late sanguineum tenent,
aut qui Caspia fortibus
recludunt iuga Sarmatis,
certet Danuvii vadum
audet qui pedes ingredi
et (quocumque loco iacent)
Seres vellere nobiles:
mens regnum bona possidet.
nil ullis opus est equis,
nil armis et inertibus
telis quae procul ingerit
Parthus, cum simulat fugas,
admotis nihil est opus
urbes sternere machinis,
longe saxa rotantibus:
hoc regnum sibi quisque dat.

ex est qui metuit nihil,
ex est qui cupiet nihil.

353—355 *om. E* 359 obliviqui *E* 361 rapidus *A* 363 lanea immitis *E* 370 dachos (dacos) *A* 372 aut g. ς. — lucidum *A* 376 danubii vadum *E* danubium licet *A* 383 talis *E* 388 *delevi* 389 *om. A*

Stet quicumque volet potens
aulae culmine lubrico:
me dulcis saturet quies;
obscuro positus loco
leni perfruar otio,
nullis nota Quiritibus
aetas per tacitum fluat.
sic cum transierint mei
nullo cum strepitu dies,
plebeius moriar senex.
illi mors gravis incubat
qui, notus nimis omnibus,
ignotus moritur sibi.

THYESTES

Optata patriae tecta et Argolicas opes
miserisque summum ac maximum exulibus bonum,
tractum soli natalis et patrios deos
(si sunt tamen di) cerno, Cyclopum sacras
turres, labore maius humano decus,
celebrata iuveni stadia, per quae nobilis
palmam paterno non semel curru tuli.
occurret Argos, populus occurret frequens —
sed nempe et Atreus. repete silvestres fugas
saltusque densos potius et mixtam feris
similemque vitam; clarus hic regni nitor
fulgore non est quod oculos falso auferat:
cum quod datur spectabis, et dantem aspice.
modo inter illa, quae putant cuncti aspera,
fortis fui laetusque; nunc contra in metus
revolvor: animus haeret ac retro cupit
corpus referre, moveo nolentem gradum.

TANTALVS

Pigro (quid hoc est?) genitor incessu stupet
vultumque versat seque in incerto tenet.
THY. Quid, anime, pendes quidve consilium diu
tam facile torques? rebus incertissimis,

401 nulli ς 401. 402 *inverso ordine E scaenae inscribitur* Thyestes. Tantalus. Plisthenes tacitus *E* Thyestes Phillistenes (*sic fere*) *A* 406 tactum *codd. correxit Bothius* 412 subnempe e. A. repetet *E* 415 qui ς 416 quo ς. — tandem asp. ς 421 *Plisthenes loquitur ut per totam scaenam A*

fratri atque regno, credis ac metuis mala
iam victa, iam mansueta et aerumnas fugis
bene collocatas? esse iam miserum iuvat.
reflecte gressum, dum licet, teque eripe.
TANT. Quae causa cogit, genitor, a patria gradum
referre visa? cur bonis tantis sinum
subducis? ira frater abiecta redit
partemque regni reddit et lacerae domus
componit artus teque restituit tibi.
THY. Causam timoris ipse quam ignoro exigis.
nihil timendum video, sed timeo tamen.
placet ire, pigris membra sed genibus labant
alioque quam quo nitor abductus feror.
sic concitatam remige et velo ratem
aestus resistens remigi et velo refert.
TANT. Evince quidquid obstat et mentem impedit
reducemque quanta praemia expectent vide.
pater, potes regnare. THY. Cum possim mori.
TANT. Summa est potestas — THY. Nulla: si cupias nihil.
TANT. Natis relinques. THY. Non capit regnum duos.
TANT. Miser esse mavult esse qui felix potest?
THY. Mihi crede, falsis magna nominibus placent,
frustra timentur dura. dum excelsus steti,
numquam pavere destiti atque ipsum mei
ferrum timere lateris. o quantum bonum est
obstare nulli, capere securas dapes
humi iacentem! scelera non intrant casas,
tutusque mensa capitur angusta cibus;
venenum in auro bibitur — expertus loquor:
malam bonae praeferre fortunam licet.
non vertice alti montis impositam domum
et eminentem civitas humilis tremit
nec fulget altis splendidum tectis ebur
somnosque non defendit excubitor meos;
non classibus piscamur et retro mare
iacta fugamus mole nec ventrem improbum
alimus tributo gentium, nullus mihi
ultra Getas metatur et Parthos ager;

---

425 fr. – cr. *et* ac m. m. *propriis versibus E* 428 deflecte *A* 436 sub genibus *E* (*sic*) 438 vento ratem *A* 439 aestus resurgens *A* 440 pervince *A* 452 totusque *E*. — c. a. c. *in extremo fol. 125ᵛ per scholiorum rasuram laesa et partim 2 manu renovata E* 460 non *A* 462 metitur *A*

non ture colimur nec meae excluso Iove
ornantur arae; nulla culminibus meis
imposita nutat silva nec fumant manu
succensa multa stagna nec somno dies
Bacchoque nox iungenda pervigili datur:
sed non timemur, tuta sine telo est domus
rebusque parvis magna praestatur quies —
immane regnum est posse sine regno pati.
TANT. Nec abnuendum, si dat imperium deus,
nec appetendum est: frater ut regnes rogat.
THY. Rogat? timendum est. errat hic aliquis dolus.
TANT. Redire pietas unde submota est solet
reparatque vires iustus amissas amor.
THY. Amat Thyesten frater? aetherias prius
perfundet Arctos pontus et Siculi rapax
consistet aestus unda et Ionio seges
matura pelago surget et lucem dabit
nox atra terris, ante cum flammis aquae,
cum morte vita, cum mari ventus fidem
foedusque iungent. TANT. Quam tamen fraudem times?
THY. Omnem: timori quem meo statuam modum?
tantum potest quantum odit. TANT. In te quid potest?
THY. Pro me nihil iam metuo: vos facitis mihi
Atrea timendum. TANT. Decipi cautus times?
THY. Serum est cavendi tempus in mediis malis:
patur. unum genitor hoc testor tamen:
ego vos sequor, non duco. TANT. Respiciet deus
bene cogitata. perge non dubio gradu.

ATREVS

Plagis tenetur clausa dispositis fera:
et ipsum et una generis invisi indolem
iunctam parenti cerno. iam tuto in loco
versantur odia. venit in nostras manus
tandem Thyestes, venit, et totus quidem.

---

467 ducenda *A* 469 r. p. alta *A* 471 abn. est *E* 472 n. a. *Thyesti datur A.* — est *om. A* 476 Thyestem *A* 486 decipi *ex* recipi *1 m. E.* — captus *codd. correxit Madvigius adv. II p. 112* 487 THY. *Gruterus, om. codd.* 488 *Thyesti datur E, Plistheni continuatur A.* — gen. hoc hortamen est *A* 489 ego – duco *Thyesti datur A* 490 b. c. *et* p. n. d. g. *propriis versibus E* 491 *scaenae titulus* Atreus. Thyestes. Tantalus. Plisthenes. taciti *E* Atreus Thyestes *A* 493 *in om. E*

vix tempero animo, vix dolor frenos capit.
sic, cum feras vestigat et longo sagax
loro tenetur Vmber ac presso vias
scrutatur ore, dum procul lento suem
odore sentit, paret et tacito locum
rostro pererrat; praeda cum propior fuit,
cervice tota pugnat et gemitu vocat
dominum morantem seque retinenti eripit:
cum sperat ira sanguinem, nescit tegi;
tamen tegatur. aspice, ut multo gravis
squalore vultus obruat maestos coma,
quam foeda iaceat barba. praestetur fides —
fratrem iuvat videre. complexus mihi
redde expetitos. quidquid irarum fuit
transierit; ex hoc sanguis ac pietas die
colantur, animis odia damnata excidant.
THY. Diluere possem cuncta, nisi talis fores.
sed fateor, Atreu, fateor, admisi omnia
quae credidisti. pessimam causam meam
hodierna pietas fecit. est prorsus nocens
quicumque visus tam bono fratri est nocens.
lacrimis agendum est: supplicem primus vides;
hae te precantur pedibus intactae manus:
ponatur omnis ira et ex animo tumor
erasus abeat. obsides fidei accipe
hos innocentes, frater. ATR. a genibus manum
aufer meosque potius amplexus pete.
vos quoque, senum praesidia, tot iuvenes, meo
pendete collo. squalidam vestem exue
oculisque nostris parce et ornatus cape
pares meis laetusque fraterni imperi
capesse partem. maior haec laus est mea,
fratri paternum reddere incolumi decus:
habere regnum casus est, virtus dare.
THY. Di paria, frater, pretia pro tantis tibi
meritis rependant. regiam capitis notam
squalor recusat noster et sceptrum manus

---

496 v. tempore a. v. frenos dolor c. *E* 497 feras: s *i. ras. ex* x *2 m. E.* — vestigat: *ult.* t *i. ras. 1 litterae 2 m. E* (feras vestigas *M* feras vestigās *N*) 498 loto *E* 504 spirat ς 507 iacet *E.* — praestatur ς 516 fratre *E* 518 iniunctae ς 521 manus *A* 524 pendente *E* 526 quales mei sunt laetusque frater imperi *A* (*deleto* sunt *interpolatoris manum restituit Poggius*)

infausta refugit. liceat in media mihi
latere turba. ATR. Recipit hoc regnum duos.
THY. Meum esse credo quidquid est, frater, tuum.
ATR. Quis influentis dona fortunae abnuit?
THY. Expertus est quicumque quam facile effluant.
ATR. Fratrem potiri gloria ingenti vetas?
THY. Tua iam peracta gloria est, restat mea:
respuere certum est regna consilium mihi.
ATR. Meam relinquam, nisi tuam partem accipis.
THY. Accipio: regni nomen impositi feram,
sed iura et arma servient mecum tibi.
ATR. Imposita capiti vincla venerando gere;
ego destinatas victimas superis dabo.

CHORVS

Credat hoc quisquam? ferus ille et acer
nec potens mentis truculentus Atreus
fratris aspectu stupefactus haesit.
nulla vis maior pietate vera est:
iurgia externis inimica durant,
quos amor verus tenuit tenebit.
ira cum magnis agitata causis
gratiam rupit cecinitque bellum,
cum leves frenis sonuere turmae,
fulsit hinc illinc agitatus ensis
quem movet crebro furibundus ictu
sanguinem Mavors cupiens recentem:
opprimet ferrum manibusque iunctis
ducet ad pacem Pietas negantes.
Otium tanto subitum e tumultu
quis deus fecit? modo per Mycenas
arma civilis crepuere belli:
pallidae natos tenuere matres;
uxor armato timuit marito,
cum manum invitus sequeretur ensis,
sordidus pacis vitio quietae;
ille labentes renovare muros,
hic situ quassas stabilire turres,
ferreis portas cohibere claustris

---

539 *Atreo continuatur* ς 544 ven. regem *E* 558 opprimit *A* 559 ducit *codd. correxi* 563 p. matres tenuere natos *A* 564 amato *E* 566 sordibus *E*

ille certabat, pavidusque pinnis
anxiae noctis vigil incubabat:
peior est bello timor ipse belli.
iam minae saevi cecidere ferri,
iam silet murmur grave classicorum,
iam tacet stridor litui strepentis:
alta pax urbi revocata laetae est.
sic, ubi ex alto tumuere fluctus
Bruttium Coro feriente pontum,
Scylla pulsatis resonat cavernis
ac mare in portu timuere nautae
quod rapax haustum revomit Charybdis,
et ferus Cyclops metuit parentem
rupe ferventis residens in Aetnae,
ne superfusis violetur undis
ignis aeternis resonans caminis,
et putat mergi sua posse pauper
regna Laertes Ithaca tremente:
si suae ventis cecidere vires,
mitius stagno pelagus recumbit;
alta, quae navis timuit secare,
hinc et hinc fusis speciosa velis
strata ludenti patuere cumbae,
et vacat mersos numerare pisces
hic ubi ingenti modo sub procella
Cyclades pontum timuere motae.
Nulla sors longa est: dolor ac voluptas
invicem cedunt; brevior voluptas.
ima permutat levis hora summis.
ille qui donat diadema fronti,
quem genu nixae tremuere gentes,
cuius ad nutum posuere bella
Medus et Phoebi propioris Indus
et Dahae Parthis equitem minati,
anxius sceptrum tenet et moventes
cuncta divinat metuitque casus
mobiles rerum dubiumque tempus.
vos quibus rector maris atque terrae

571 nocti *A* 576 urbis *A*. — est *om. E* 578 choro *E* Brutium ponto feriente corum *A* 579 pulsatus *E* 580 in totum *A* 581 auster *A* hausit ς 591 spatiosa *A* 597 *om. E, sed addit in marg. 1 m.* (*atramento nigriore*) 598 brevis ς 603 dacae ς 605 cuncta divitias *A*

ius dedit magnum necis atque vitae,
ponite inflatos tumidosque vultus:
quidquid a vobis minor expavescit,
maior hoc vobis dominus minatur;
omne sub regno graviore regnum est.
quem dies vidit veniens superbum,
hunc dies vidit fugiens iacentem.
nemo confidat nimium secundis,
nemo desperet meliora lapsis:
miscet haec illis prohibetque Clotho
stare Fortunam, rotat omne fatum.
nemo tam divos habuit faventes,
crastinum ut posset sibi polliceri:
res deus nostras celeri citatas
turbine versat.

NVNTIVS

Quis me per auras turbo praecipitem vehet
atraque nube involvet, ut tantum nefas
eripiat oculis? o domus Pelopi quoque
et Tantalo pudenda! CHOR. Quid portas novi?
NVNT. Quaenam ista regio est? Argos et Sparte, pios
sortita fratres, et maris gemini premens
fauces Corinthos, an feris Hister fugam
praebens Alanis, an sub aeterna nive
Hyrcana tellus an vagi passim Scythae?
quis hic nefandi est conscius monstri locus?
CHOR. Effare et istud pande, quodcumque est, malum.
NVNT. Si steterit animus, si metu corpus rigens
remittet artus. haeret in vultu trucis
imago facti. ferte me insanae procul,
illo, procellae, ferte quo fertur dies
hinc raptus. CHOR. Animos gravius incertos tenes.
quid sit quod horres ede et auctorem indica:
non quaero quis sit, sed uter. effare ocius.
NVNT. In arce summa Pelopiae pars est domus
conversa ad austros, cuius extremum latus

---

610 extimescit *A* 616 lassis *E* 620 possit ς *scaenae inscriptum* Nuntius. Chorus 623 vehit *E* 624 involvit *E* volvet *A* *correxit Avantius* 627 impios *A* 632 *choro tribuitur A* 639 ede et] effer *A* 640 quid *E* 641 pelopis *A* pelopaeae *E* *correxit Bothius*

aequale monti crescit atque urbem premit
et contumacem regibus populum suis
habet sub ictu; fulget hic turbae capax
immane tectum, cuius auratas trabes
variis columnae nobiles maculis ferunt.
post ista vulgo nota, quae populi colunt,
in multa dives spatia discedit domus;
arcana in imo regio secessu iacet,
alta vetustum valle compescens nemus,
penetrale regni, nulla qua laetos solet
praebere ramos arbor aut ferro coli,
sed taxus et cupressus et nigra ilice
obscura nutat silva, quam supra eminens
despectat alte quercus et vincit nemus.
hinc auspicari regna Tantalidae solent,
hinc petere lapsis rebus ac dubiis opem.
affixa inhaerent dona: vocales tubae
fractique currus, spolia Myrtoi maris,
victaeque falsis axibus pendent rotae
et omne gentis facinus; hoc Phrygius loco
fixus tiaras Pelopis, hic praeda hostium
et de triumpho picta barbarico chlamys.
fons stat sub umbra tristis et nigra piger
haeret palude: talis est dirae Stygis
deformis unda quae facit caelo fidem.
hinc nocte caeca gemere ferales deos
fama est, catenis lucus excussis sonat
ululantque manes. quidquid audire est metus
illic videtur: errat antiquis vetus
emissa bustis turba et insultant loco
maiora notis monstra; quin tota solet
micare silva flamma, et excelsae trabes
ardent sine igne. saepe latratu nemus
trino remugit, saepe simulacris domus
attonita magnis. nec dies sedat metum:
nox propria luco est et superstitio inferum
in luce media regnat. hinc orantibus
responsa dantur certa, cum ingenti sono

650 sec. patet *A* 652 quae *Eς* 655 supreminens *E* 658 lassis *EA corr.* ς. — ac] et *A* 661 vitaeque *E* 663 pelops *E* 664 chlamys *ex* clamus *1 m. E* 668 hic nocte tota *A*. — feralis *E* 672 ioco *E* 674 flamma silva *A*

laxantur adyto fata et inmugit specus
vocem deo solvente. quo postquam furens
intravit Atreus liberos fratris trahens,
ornantur arae — quis queat digne eloqui?
post terga iuvenum nobiles religat manus
et maesta vitta capita purpurea ligat;
non tura desunt, non sacer Bacchi liquor
tangensque salsa victimam culter mola.
servatur omnis ordo, ne tantum nefas
non rite fiat. CHOR. Quis manum ferro admovet?
NVNT. Ipse est sacerdos, ipse funesta prece
letale carmen ore violento canit,
stat ipse ad aras, ipse devotos neci
contrectat et componit et † ferro admovet;
attendit ipse: nulla pars sacri perit.
lucus tremescit, tota succusso solo
nutavit aula, dubia quo pondus daret
ac fluctuanti similis; e laevo aethere
atrum cucurrit limitem sidus trahens.
libata in ignes vina mutato fluunt
cruenta Baccho, regium capiti decus
bis terque lapsum est, flevit in templis ebur.
movere cunctos monstra, sed solus sibi
immotus Atreus constat atque ultro deos
terret minantes. iamque dimissa mora
adsistit aris, torvum et obliquum intuens.
ieiuna silvis qualis in Gangeticis
inter iuvencos tigris erravit duos,
utriusque praedae cupida quo primum ferat
incerta morsus (flectit huc rictus suos,
illo reflectit et famem dubiam tenet),
sic durus Atreus capita devota impiae
speculatur irae. quem prius mactet sibi
dubitat, secunda deinde quem caede immolet.
nec interest — sed dubitat et saevum scelus
iuvat ordinare. CHOR. Quem tamen ferro occupat?
NVNT. Primus locus (ne desse pietatem putes)
avo dicatur: Tantalus prima hostia est.

---

685 revocat manus *A* 688 tangensve *A*. — fusa ς 694 *cf. v. 690; genuina verba expulsa videntur* 706 assiluit aris *A* 710 hoc *E* 711 famen *E* 712 dirus *A* 713 speculator *E* 714 secundam *E* 715 tantum scelus *A*

CHOR. Quo iuvenis animo, quo tulit vultu necem?
NVNT. Stetit sui securus et non est preces
perire frustra passus; ast illi ferus
in vulnere ensem abscondit et penitus premens
iugulo manum commisit: educto stetit
ferro cadaver, cumque dubitasset diu,
hac parte an illa caderet, in patruum cadit.
tunc ille ad aras Plisthenem saevus trahit
adicitque fratri; colla percussa amputat;
cervice caesa truncus in pronum ruit,
querulum cucurrit murmure incerto caput.
CHOR. Quid deinde gemina caede perfunctus facit?
puerone parcit an scelus sceleri ingerit?
NVNT. Silva iubatus qualis Armenia leo
in caede multa victor armento incubat
(cruore rictus madidus et pulsa fame
non ponit iras: hinc et hinc tauros premens
vitulis minatur dente iam lasso piger),
non aliter Atreus saevit atque ira tumet,
ferrumque gemina caede perfusum tenens,
oblitus in quem fureret, infesta manu
exegit ultra corpus; ac pueri statim
pectore receptus ensis in tergo exstitit.
cadit ille et aras sanguine extinguens suo
per utrumque vulnus moritur. CHOR. O saevum scelus!
NVNT. Exhorruistis? hactenus si stat nefas,
pius est. CHOR. An ultra maius aut atrocius
natura recipit? NVNT. Sceleris hunc finem putas?
gradus est. CHOR. Quid ultra potuit? obiecit feris
lanianda forsan corpora atque igne arcuit?
NVNT. Vtinam arcuisset! ne tegat functos humus
nec solvat ignis! avibus epulandos licet
ferisque triste pabulum saevis trahat —
votum est sub hoc quod esse supplicium solet:
pater insepultos spectet! o nullo scelus
credibile in aevo quodque posteritas neget —
erepta vivis exta pectoribus tremunt
spirantque venae corque adhuc pavidum salit;
at ille fibras tractat ac fata inspicit

---

731 querone *E*. — scelere *E* 732 iuvatus *E* 739 rueret *A* 740 at *vulgo* 744 non stat *A* 745 plus est *A* 750 ne *A* 751 tradat *E* 757 incipit *E*

et adhuc calentes viscerum venas notat.
postquam hostiae placuere, securus vacat
iam fratris epulis: ipse divisum secat
in membra corpus, amputat trunco tenus
umeros patentes et lacertorum moras,
denudat artus durus atque ossa amputat;
tantum ora servat et datas fidei manus.
haec veribus haerent viscera et lentis data
stillant caminis, illa flammatus latex
candente aeno iactat. impositas dapes
transiluit ignis inque trepidantes focos
bis ter regestus et pati iussus moram
invitus ardet. stridet in veribus iecur;
nec facile dicam corpora an flammae magis
gemuere. piceos ignis in fumos abit;
et ipse fumus, tristis ac nebula gravis,
non rectus exit seque in excelsum levat:
ipsos penates nube deformi obsidet.
O Phoebe patiens, fugeris retro licet
medioque ruptum merseris caelo diem,
sero occidisti — lancinat natos pater
artusque mandit ore funesto suos;
nitet fluente madidus unguento comam
gravisque vino; saepe praeclusae cibum
tenuere fauces — in malis unum hoc tuis
bonum est, Thyesta, quod mala ignoras tua.
sed et hoc peribit. verterit currus licet
sibi ipse Titan obvium ducens iter
tenebrisque facinus obruat tetrum novis
nox missa ab ortu tempore alieno gravis,
tamen videndum est. tota patefient mala.

CHORVS

Quo terrarum superumque parens,
cuius ad ortus noctis opacae
decus omne fugit, quo vertis iter
medioque diem perdis Olympo?
cur, Phoebe, tuos rapis aspectus?

---

762 patentis *E* 763 dirus ς 765 verubus *A*, *ut v.* 770 767 querente aheno *A* 768 crepitantes ς 771 fl. gemant ς 772 piceus *A* 774 levans ς 780 coma *A* 781 reclusae *E* 788 nota *patefiant E* 791 cecus *E*

nondum serae nuntius horae
nocturna vocat lumina Vesper;
nondum Hesperiae, flexura rotae
iubet emeritos solvere currus;
nondum in noctem vergente die
tertia misit bucina signum:
stupet ad subitae tempora cenae
nondum fessis bubus arator —
quid te aetherio pepulit cursu?
quae causa tuos limite certo
deiecit equos? numquid aperto
carcere Ditis victi temptant
bella Gigantes? numquid Tityos
pectore fesso renovat veteres
saucius iras? num reiecto
latus explicuit monte Typhoeus?
numquid struitur via Phlegraeos
alta per hostes et Thessalicum
Thressa premitur Pelion Ossa?
solitae mundi periere vices:
nihil occasus, nihil ortus erit.
stupet Eoos assueta deo
tradere frenos genetrix primae
roscida lucis perversa sui
limina regni; nescit fessos
tinguere currus nec fumantes
sudore iubas mergere ponto.
ipse insueto novus hospitio
Sol Auroram videt occiduus,
tenebrasque iubet surgere nondum
nocte parata: non succedunt
astra nec ullo micat igne polus,
non Luna graves digerit umbras.
Sed quidquid id est, utinam nox sit!
trepidant, trepidant pectora magno
percussa metu:
ne fatali cuncta ruina
quassata labent iterumque deos
hominesque premat deforme chaos,

---

798 in nocentem *E* 810 fervitur *E* 814 hortus *E* 826 nec *A*. — gravis *E* 829. 830 *trimeter, deinde dimetri usque ad finem carminis E* 829—843 (sinum) *dimetri*, turb. deor. *monom. A*

iterum terras et mare cingens
et vaga picti sidera mundi
natura tegat. non aeternae
facis exortu dux astrorum
saecula ducens dabit aestatis
brumaeque notas, non Phoebeis
obvia flammis demet nocti
Luna timores vincetque sui
fratris habenas, curvo brevius
limite currens; ibit in unum
congesta sinum turba deorum.
hic qui sacris pervius astris
secat obliquo tramite zonas
flectens longos signifer annos,
lapsa videbit sidera labens;
hic qui nondum vere benigno
reddit Zephyro vela tepenti,
Aries praeceps ibit in undas,
per quas pavidam vexerat Hellen;
hic qui nitido Taurus cornu
praefert Hyadas, secum Geminos
trahet et curvi bracchia Cancri;
Leo flammiferis aestibus ardens
iterum e caelo cadet Herculeus,
cadet in terras Virgo relictas
iustaeque cadent pondera Librae
secumque trahent Scorpion acrem;
et qui nervo tenet Haemonio
pinnata senex spicula Chiron,
rupto perdet spicula nervo;
pigram referens hiemem gelidus
cadet Aegoceros frangetque tuam,
quisquis es, urnam; tecum excedent
ultima caeli sidera Pisces,
Plostraque numquam perfusa mari
merget condens omnia gurges;
et qui medias dividit Vrsas,
fluminis instar lubricus Anguis

---

833 mare et ignes *codd. correxi* 837 aestates *E* 851 vixerat *E.* — hellem *EA corr.* ς 861 pennata *A.* — spicula nervo *E* 862 *om. E, sed addit i. mg. 1 m. (ut v. 597)* 863 hiemen *E* 867 monstraque *codd. correxi cf. I, 221*

magnoque minor iuncta Draconi
frigida duro Cynosura gelu,
custosque sui tardus plaustri
iam non stabilis ruet Arctophylax.
Nos e tanto visi populo
digni premeret quos everso
cardine mundus?
in nos aetas ultima venit?
o nos dura sorte creatos,
seu perdidimus solem miseri,
sive expulimus!
abeant questus, discede, timor:
vitae est avidus quisquis non vult
mundo secum pereunte mori.

ATREVS

Aequalis astris gradior et cunctos super
altum superbo vertice attingens polum.
nunc decora regni teneo, nunc solium patris.
dimitto superos: summa votorum attigi.
bene est, abunde est, iam sat est etiam mihi.
sed cur satis sit? ne quid obstaret pudor,
dies recessit: perge dum caelum vacat.
utinam quidem tenere fugientes deos
possem et coactos trahere, ut ultricem dapem
omnes viderent — quod sat est, videat pater.
etiam die nolente discutiam tibi
tenebras, miseriae sub quibus latitant tuae.
nimis diu conviva securo iaces
hilarique vultu, iam satis mensis datum est
satisque Baccho: sobrio tanta ad mala
opus est Thyeste. turba famularis, fores
templi relaxa, festa patefiat domus.
libet videre, capita natorum intuens

---

pergam et implebo patrem | funere suorum 890b 891a

---

872 cynoscyra *E* 874 i. n. instabilis r. artophylax *E* 882 habeant *E* 890 sed c. s. sit? pergam e. i. patrem | fun. suor.: ne q. o. p. *codd.* pergam – suorum *ferri non posse docuit Schmidtius in Fleckeiseni annal. XCVII p. 875. qui admonuit etiam versus 979. delevi* 891 quit *E* 892 vocat *A* 893 quidaem *ex* quidam *incertum qua manu E* 894 ut] et *E* 900 bacho *E*

quos det colores, verba quae primus dolor
effundat aut ut spiritu expulso stupens
corpus rigescat. fructus hic operis mei est.
miserum videre nolo, sed dum fit miser.
aperta multa tecta conlucent face.
resupinus ipse purpurae atque auro incubat,
vino gravatum fulciens laeva caput.
eructat. o me caelitum excelsissimum,
regum atque regem! vota transcendi mea.
satur est, capaci ducit argento merum —
ne parce potu: restat etiamnunc cruor
tot hostiarum; veteris hunc Bacchi color
abscondet — hoc, hoc mensa cludatur scypho.
mixtum suorum sanguinem genitor bibat:
meum bibisset. ecce, iam cantus ciet
festasque voces nec satis menti imperat.

THYESTES

Pectora longis hebetata malis,
iam sollicitas ponite curas.
fugiat maeror fugiatque pavor,
fugiat trepidi comes exilii
tristis egestas rebusque gravis
pudor afflictis: magis unde cadas
quam quo refert. magnum, ex alto
culmine lapsum stabilem in plano
figere gressum; magnum, ingenti
strage malorum pressum fracti
pondera regni non inflexa
cervice pati nec degenerem
victumque malis rectum impositas
ferre ruinas. sed iam saevi
nubila fati pelle ac miseri
temporis omnes dimitte notas;
redeant vultus ad laeta boni,
veterem ex animo mitte Thyesten. —
proprium hoc miseros sequitur vitium,
numquam rebus credere laetis:

---

907 m. virum vid. n. *E* 909 purpura *A* 911 e. omne cael. *codd. correxit Avantius* 912 regumque r. *A* 916 hoc *alterum om.* ς 919 festaque *E* 920 Chorus. Thyestes *inscribitur E cf. l. 137* 930—932 *trimetri E* 935 tempore in omni *E* 936 adhlets *E* 938—941 *Thyestae adsignantur E*

redeat felix fortuna licet,
tamen afflictos gaudere piget.
quid me revocas festumque vetas
celebrare diem, quid flere iubes,
nulla surgens dolor ex causa?
quid me prohibes flore decenti
vincire comam? prohibet, prohibet!
vernae capiti fluxere rosae,
pingui madidus crinis amomo
inter subitos stetit horrores,
imber vultu nolente cadit,
venit in medias voces gemitus.
maeror lacrimas amat assuetas,
flendi miseris dira cupido est.
libet infaustos mittere questus,
libet et Tyrio saturas ostro
rumpere vestes, ululare libet.
mittit luctus signa futuri
mens, ante sui praesaga mali:
instat nautis fera tempestas,
cum sine vento tranquilla tument.
quos tibi luctus quosve tumultus
fingis, demens? credula praesta
pectora fratri: iam, quidquid id est,
vel sine causa vel sero times.
nolo infelix, sed vagus intra
terror oberrat, subitos fundunt
oculi fletus, nec causa subest.
dolor an metus est? an habet lacrimas
magna voluptas?

ATR. Festum diem, germane, consensu pari
celebremus: hic est, sceptra qui firmet mea
solidamque pacis alliget certae fidem.
THY. Satias dapis me nec minus Bacchi tenet.
augere cumulus hic voluptatem potest,
si cum meis gaudere felici datur.
ATR. Hic esse natos crede in amplexu patris.

942—944 *tribuuntur choro*, 945—960 *Thyestae*, 961—964 *choro*, 965—969 *Thyestae E* 945 quis me prohibet *codd. correxit N. Heinsius adv. p.* 44 946 vincere *E* 961 q. t. vultus *A* 970 *novae scaenae inscribitur* Atreus. Thyestes 973 saties *A.* — tenet: et *cum scholiis detersum*

hic sunt eruntque; nulla pars prolis tuae
tibi subtrahetur. ora: quae exoptas dabo
totumque turba iam sua implebo patrem.
satiaberis, ne metue. nunc mixti meis
iucunda mensae sacra iuvenilis colunt;
sed accientur. poculum infuso cape
gentile Bàccho. THY. Capio fraternae dapis
donum. paternis vina libentur deis,
tunc hauriantur. sed quid hoc? nolunt manus
parere, crescit pondus et dextram gravat;
admotus ipsis Bacchus a labris fugit
circaque rictus ore decepto fluit
et ipsa trepido mensa subsiluit solo.
vix lucet ignis; ipse quin aether gravis
inter diem noctemque desertus stupet.
quid hoc? magis magisque concussi labant
convexa caeli; spissior densis coit
caligo tenebris noxque se in noctem addidit;
fugit omne sidus. quidquid est, fratri precor
natisque parcat, omnis in vile hoc caput
abeat procella. redde iam natos mihi!
ATR. Reddam, et tibi illos nullus eripiet dies.
THY. Quis hic tumultus viscera exagitat mea?
quid tremuit intus? sentio impatiens onus
meumque gemitu non meo pectus gemit.
adeste, nati, genitor infelix vocat,
adeste. visis fugiet hic vobis dolor —
unde oblocuntur? ATR. Expedi amplexus pater:
venere. natos ecquid agnoscis tuos?
THY. Agnosco fratrem. sustines tantum nefas
gestare, Tellus? non ad infernam Styga
tenebrasque mergis rupta et ingenti via
ad chaos inane regna cum rege abripis?
non tota ab imo tecta convellens solo
vertis Mycenas? stare circa Tantalum
uterque iam debuimus: hinc compagibus
et hinc revulsis, si quid infra Tartara est

---

978 hora *E*. — quae: q *ex* g *1 m. E* 981 colant ς 985 non vult manus *A* 988 effluit *A* 994 abdidit *EA correxit Gronovius* (*item* ς) 999 quid *E* 1003 fugiat *E* 1005 et quid *E* 1008 te nosque mergis *codd. correxit B. Schmidtius observ. p. 9* 1011—1014 *sic turbavit A:* stare c. T. | avosque nostros, si quis intra T. est *uterq.* – *comp.* | et h. rev. huc tuam i. s.

avosque nostros, huc tuam inmani sinu
demitte vallem nosque defossos tege
Acheronte toto. noxiae supra caput
animae vagentur nostrum et ardenti freto
Phlegethon harenas igneus totas agens
exilia supra nostra violentus fluat —
immota tellus pondus ignavum iacet,
fugere superi. ATR. Iam accipe hos potius libens
diu expetitos — nulla per fratrem est mora:
fruere, osculare, divide amplexus tribus.
THY. Hoc foedus? haec est gratia, haec fratris fides?
sic odia ponis? non peto, incolumes pater
natos ut habeam; scelere quod salvo dari
odioque possit, frater hoc fratrem rogo:
sepelire liceat. redde quod cernas statim
uri; nihil te genitor habiturus rogo,
sed perditurus. ATR. Quidquid e natis tuis
superest habes, quodcumque non superest habes.
THY. Vtrumne saevis pabulum alitibus iacent,
an beluis servantur, an pascunt feras?
ATR. Epulatus ipse es impia natos dape.
THY. Hoc est deos quod puduit, hoc egit diem
aversum in ortus. quas miser voces dabo
questusque quos? quae verba sufficient mihi?
abscisa cerno capita et avulsas manus
et rupta fractis cruribus vestigia —
hoc est quod avidus capere non potuit pater.
volvuntur intus viscera et clusum nefas
sine exitu luctatur et quaerit fugam.
da, frater, ensem (sanguinis multum mei
habet ille): ferro liberis detur via.
negatur ensis? pectora inliso sonent
contusa planctu — sustine, infelix, manum,
parcamus umbris. tale quis vidit nefas?

1014 hoc tua in mani s. *E* 1015 dimitte *A*. — valle *f* ..
exitia *codd. correxit Gronovius* 1020 iaces *A* 1021 ...
addidit B. Schmidtius de em. Sen. tr. p. 20 recipe ...
tandem tuis *A* 1022 d. expetitis (n. – m.) fruere *A* 10...
notam om. E 1025 incolumis *E* 1031 s. habebis ...
feras an pascunt *E* 1036 adversum *EA corr.* ...
1041 volvuntur: o *ex* u *1—2 m. E.* — clausum ...
viam *A* 1044 demus viam *A* 1046 ...
e *1 m. E*

quis inhospitalis Caucasi rupem asperam
Heniochus habitans quisve Cecropiis metus
terris Procrustes? genitor en natos premo
premorque natis — sceleris est aliquis modus.
ATR. Sceleri modus debetur ubi facias scelus,
non ubi reponas. hoc quoque exiguum est mihi.
ex vulnere ipso sanguinem calidum in tua
defundere ora debui, ut viventium
biberes cruorem — verba sunt irae data
dum propero. ferro vulnera impresso dedi,
cecidi ad aras, caede votiva focos
placavi et artus, corpora exanima amputans,
in parva carpsi frusta et haec ferventibus
demersi aenis, illa lentis ignibus
stillare iussi; membra nervosque abscidi
viventibus, gracilique traiectas veru
mugire fibras vidi et agessi manu
mea ipse flammas — omnia haec melius pater
fecisse potuit, cecidit in cassum dolor:
scidit ore natos impio, sed nesciens,
sed nescientes. THY. Clausa litoribus vagis
audite maria, vos quoque audite hoc scelus,
quocumque, di, fugistis. audite inferi,
audite terrae, Noxque Tartarea gravis
et atra nube, vocibus nostris vaca
(tibi sum relictus, sola tu miserum vides,
tu quoque sine astris), vota non faciam improba,
pro me nihil precabor — et quid iam potest
pro me esse? vobis vota prospicient mea.
tu, summe caeli rector, aetheriae potens
dominator aulae, nubibus totum horridis
convolve mundum, bella ventorum undique
committe et omni parte violentum intona,
manumque non qua tecta et immeritas domos
telo petis minore, sed qua montium
tergemina moles cecidit et qui montibus
stabant pares Gigantes, haec arma expedi
ignesque torque. vindica amissum diem,

1054 callidum *E* 1055 diffundere *A* 1059 corpore exanimo ς 1063 traiecto *A* 1064 aggressi *E* 1065 ipsa *E* 1068 *post* clausa *erasa 1 lit. E* 1069 vosque di audite *A* 1070 q. diffugistis *EA correxit Gronovius* (ς) 1081 manuque *A cf. I, 40*

iaculare flammas, lumen ereptum polo
fulminibus exple. causa, ne dubites diu,
utriusque mala sit; si minus, mala sit mea:
me pete, trisulco flammeam telo facem
per pectus hoc transmitte — si natos pater
humare et igni tradere extremo volo,
ego sum cremandus. si nihil superos movet
nullumque telis impios numen petit,
aeterna nox permaneat et tenebris tegat
inmensa longis scelera. nil, Titan, queror,
si perseveras. ATR. Nunc meas laudo manus,
nunc parta vera est palma. perdideram scelus,
nisi sic doleres. liberos nasci mihi
nunc credo, castis nunc fidem reddi toris.
THY. Quid liberi meruere? ATR. Quod fuerant tui.
THY. Natos parenti — ATR. Fateor et, quod me iuvat,
certos. THY. Piorum praesides testor deos.
ATR. Quin coniugales? THY. Scelere quis pensat scelus?
ATR. Scio quid queraris: scelere praerepto doles,
nec quod nefandas hauseris angit dapes;
quod non pararis: fuerat hic animus tibi
instruere similes inscio fratri cibos
et adiuvante liberos matre aggredi
similique leto sternere — hoc unum obstitit:
tuos putasti. THY. Vindices aderunt dei;
his puniendum vota te tradunt mea.
ATR. Te puniendum liberis trado tuis.

1086 exemptum ς 1088 mala est *E* 1095 i. l. saecla ς 1103 quid c. *codd. correxit N. Heinsius adv. p. 44* 1105 tangit *A*

Thyestes explicit. incipit Hercules *E* *sequitur Thebais A*

HERCVLES [OETAEVS]

PERSONAE

HERCVLES
IOLE
NVTRIX
DEIANIRA
HYLLVS
ALCMENA
NVNTIVS
LICHAS tacitus
CHORVS duplex

HERCVLES

Sator deorum, cuius excussum manu
utraeque Phoebi sentiunt fulmen domus,
secure regna — protuli pacem tibi,
quacumque Nereus porrigi terras vetat.
non est tonandum: perfidi reges iacent,
saevi tyranni. fregimus quidquid fuit
tibi fulminandum. sed mihi caelum, parens,
adhuc negatur? parui certe Iove
ubique dignus teque testata est meum
patrem noverca. quid tamen nectis moras?
numquid timemur? numquid impositum sibi
non poterit Atlas ferre cum caelo Herculem?
quid astra, genitor, quid negas? mors me tibi
certe remisit, omne concessit malum
quod terra genuit, pontus aer inferi:
nullus per urbes errat Arcadias leo,
Stymphalis icta est, Maenali nulla est fera;
sparsit peremptus aureum serpens nemus
et hydra vires posuit et notos Hebro
cruore pingues hospitum fregi greges
hostisque traxi spolia Thermodontiae.
vidi silentum fata nec tantum redi,
sed trepidus atrum Cerberum vidit dies
et ille solem. nullus Antaeus Libys
animam resumit, cecidit ante aras suas
Busiris, una est Geryon sparsus manu
taurusque populis horridus centum pavor.
quodcumque tellus genuit infesta occidit
meaque fusum est dextera: iratis deis

HERCVLES *E* HERCVLES OETAEVS *A*

1 excelsum ς 14 cum cesset (cessit) *A* 15 quodcumque t. ς 20 fudi greges *A* 21 hostisque: o *ras. ex* h *1 m. E* 22 v. regentem *A* 26 est *om. E* 28 infestum ς 29 eratis dies *E*

non licuit esse. si negat mundus feras
† animum novercam, redde nunc nato patrem
vel astra forti. nec peto ut monstres iter;
permitte tantum, genitor: inveniam viam.
vel si times ne terra concipiat feras,
properet malum quodcumque, dum terra Herculem
habet videtque: nam quis invadet mala
aut quis per urbes rursus Argolicas erit
Iunonis odio dignus? in tutum meas
laudes redegi, nulla me tellus silet:
me sensit ursae frigidum Scythicae genus
Indusque Phoebo subditus, cancro Libys;
te, clare Titan, testor: occurri tibi
quacumque fulges, nec meos lux prosequi
potuit triumphos, solis excessi vices
intraque nostras substitit metas dies.
natura cessit, terra defecit gradum:
lassata prior est. nox et extremum chaos
in me incucurrit: inde ad hunc orbem redi,
nemo unde retro est. tulimus Oceani minas,
nec ulla valuit quatere tempestas ratem
quamcumque pressi — pars quota est Perseus mei?
iam vacuus aether non potest odio tuae
sufficere nuptae quasque devincam feras
tellus timet concipere nec monstra invenit.
ferae negantur: Hercules monstri loco
iam coepit esse; quanta enim fregi mala,
quot scelera nudus! quidquid immane obstitit,
solae manus stravere; nec iuvenis feras
timui nec infans. quidquid est iussum leve est,
nec ulla nobis segnis illuxit dies.
o quanta fudi monstra quae nullus mihi
rex imperavit! institit virtus mihi
Iunone peior. sed quid inpavidum genus
fecisse prodest? non habent pacem dei:
purgata tellus omnis in caelo videt

30 sic negat *A* 31 noverca *A* coercam *signo corruptelae addito E conieci* tandem novercae (nimium novercae *N. Heinsius adv. p. 434*) 39 recepi *A* 40 Scythiae ς 41 cancri *E* 43 fuges *E* 45 infraque *codd. correxit Gronovius* 47 laxata per me (est *add.* ς) nox *A* 48 cucurrit *A* 49 unde omne retro est *E* unde nemo retro *A correxit Ascensius* (*qui cum A omisit* est) 51 quacumque ς. — pressit *E*. — pars quota est quam prosequor *A* 52 vagus *E*. — potuit *E* 56 *quanta* nunc *codd. correxit Bothius* 64 fregisse *E*

quodcumque timuit: transtulit Iuno feras.
ambit peremptus cancer ardentem plagam
Libyaeque sidus fertur et messes alit;
annum fugacem tradit Astraeae leo,
at ille, iactans fervidam collo iubam,
austrum madentem siccat et nimbos rapit.
invasit omnis ecce iam caelum fera
meque antecessit: victor e terris meos
specto labores, astra portentis prius
ferisque Iuno tribuit, ut caelum mihi
faceret timendum — sparserit mundum licet
caelumque terris peius ac peius Styge
irata faciat, dabitur Alcidae locus.
si post feras, post bella, post Stygium canem
haud dum astra merui, Siculus Hesperium latus
tangat Pelorus, una iam tellus erit;
illinc fugabo maria: si iungi iubes,
committat undas Isthmos, et iuncto salo
nova ferantur Atticae puppes via.
mutetur orbis, vallibus currat novis
Hister novasque Tanais accipiat vias.
da, da tuendos, Iuppiter, saltem deos:
illa licebit fulmen a parte auferas,
ego quam tuebor. sive glacialem polum,
seu me tueri fervidam partem iubes,
hac esse superos parte securos puta.
Cirrhaea Paean templa et aetheriam domum
serpente caeso meruit — o quotiens iacet
Python in hydra! Bacchus et Perseus deis
iam se intulere — sed quota est mundi plaga
oriens subactus aut quota est Gorgon fera?
quis astra natus laudibus meruit suis
ex te et noverca? quem tuli mundum peto.
Sed tu, comes laboris Herculei, Licha,
perfer triumphos, Euryti victos lares
stratumque regnum. vos pecus rapite ocius
qua templa tollens acta Cenaei Iovis
austro timendum spectat Euboicum mare.

68 menses *E* 69 fugatae *A* 70 caelo iubam *codd. correxit Avantius* 71 nimbos trahit *A* 76 faciat *ς* 77 levius Styge *E* 80 haud dum: a *ex* u *1 m. E* nondum *A* 93 at quotiens *A* 100 labores, *sed* bo *induxit 1 m. ut vid. E* 102 pollens *E.* — ara *codd. correxit Rutgersius V. L. p. 92* (*Soph. Trach. 237 Aesch.* (rg. 29\ 103 astro *A*

CHORVS

Par ille est superis cui pariter dies
et fortuna fuit; mortis habet vices
lente cum trahitur vita gementibus.
quisquis sub pedibus fata rapacia
et puppem posuit fluminis ultimi,
non captiva dabit bracchia vinculis
nec pompae veniet nobile ferculum:
numquam est ille miser cui facile est mori.
illum si medio decipiat ratis
ponto, cum Borean expulit Africus
aut Eurus Zephyrum, cum mare dividunt,
non puppis lacerae fragmina conligit,
ut litus medio speret in aequore:
vitam qui poterit reddere protinus,
solus non poterit naufragium pati.
Nos turpis macies et lacrimae tenent
et crinis patrio pulvere sordidus.
nos non flamma rapax, non fragor obruit:
felices sequeris, mors, miseros fugis.
† stamus nec patriis messibus heu locus
et silvis dabitur lapsaque sordidae
fient templa casae; iam gelidus Dolops
hac ducet pecudes qua tepet obrutus
stratae qui superest Oechaliae cinis.
ipso Thessalicus pastor in oppido
indocta referens carmina fistula
cantu nostra canet tempora flebili;
et dum pauca deus saecula contrahet,
quaeretur patriae quis fuerit locus.
felix incolui non steriles focos
nec ieiuna soli iugera Thessali:
ad Trachina vocor, saxa rigentia
et dumeta iugis horrida torridis,
vix gratum pecori montivago nemus.
at si quas melior sors famulas vocat,

---

108 liminis *A* luminis ς 114 eurus z *i. ras. totidem litterar. 1 m. E* 116 medio: e *ex* o *1—2 m. E* 118 naufragium non poterit pati *A* 123 stamus nec (nunc ς) patriae moenibus h. l. *A* quo stamus, patriae messibus h. l. *N. Heinsius adv. p. 437 conieci:* stamus nec patria est: mess. h. l. 126 qua patet *E* 127 echęliae *E* ethoeliae ς 128 illo *codd. correxit de Wilamowitz* 131 contrahit *A 133 locos A* 135 trochina *E* (trechina Σ)

illas aut volucer transferet Inachus
aut Dircaea colent moenia, qua fluit
Ismenos tenui flumine languidus —
hic mater tumidi nupserat Herculis.
Falsa est de geminis fabula noctibus,
aether cum tenuit sidera longius
commisitque vices Lucifer Hespero
et Solem vetuit Delia tardior:
quae cautes Scythiae, quis genuit lapis?
num Titana ferum te Rhodope tulit,
te praeruptus Athos, te fera Caspias,
quae virgata tibi praebuit ubera?
nullis vulneribus pervia membra sunt:
ferrum sentit hebes, lentior est chalybs;
in nudo gladius corpore frangitur
et saxum resilit, fataque neglegit
et mortem indomito corpore provocat.
non illum poterant figere cuspides,
non arcus Scythica tensus harundine,
non quae tela gerit Sarmata frigidus
aut qui soliferae suppositus plagae
vicino Nabatae vulnera dirigit
Parthus Cnosiacis certior ictibus.
muros Oechaliae corpore propulit,
nil obstare valet; vincere quod parat
iam victum est — quota pars vulnere concidit?
pro fato patuit vultus iniquior
et vidisse sat est Herculeas minas.
quis vastus Briareus, quis tumidus Gyas,
supra Thessalicum cum stetit aggerem
caeloque inseruit vipereas manus,
hoc vultu riguit? commoda cladibus
magnis magna patent: nil superest mali —
iratum miserae vidimus Herculem.

---

140 colunt ς. — fugit ς 141 Ismenon *E* *post* 142 *traieci v. 147—150* 150 soles *A* 144 te rhodope: terho *i. ras. 6 litt. 1 m. E.* — ferunt? te *A* 145 caseta (caspia *Avantius*) *A* 151 monstra sunt *A* 152 sensit *A* 160 vicino, *sed* o *in* us *correct. 2—3 m. E* vicinus ς 161 gnos. *EA* 162 etholiae ς 165 potuit *EA corr.* ς 166 et vicisse sat est Herculeis minis *A* 167 qui – qui *A.* — gigans *E* gigas *A correxit Delrio* 168 subter Thessalicum stetit aggerem *E* supra Thessalicos constitit aggeres *A correxit Gronovius* (cum stetit Σ) 169 caeloque insereret vipereas minas *E* c. ut insereret v. manus *A correxit Gronovius* 172 miseri *E*

IOLE

At ego infelix non templa suis
conlapsa deis sparsosve focos,
natis mixtos arsisse patres
hominique deos, templa sepulchris,
nullum querimur communę malum:
alio nostras fortuna vocat
lacrimas, alias flere ruinas
me fata iubent. quae prima querar?
quae summa gemam? pariter cuncta
deflere iuvat * * nec plura dedit
pectora Tellus, ut digna sonent
verbera fatis.
me vel Sipylum flebile saxum
fingite, superi, vel in Eridani
ponite ripis, ubi maesta sonat
Phaetontiadum silva sororum;
me vel Siculis addite saxis,
ubi fata gemam Thessala Siren,
vel in Edonas tollite silvas
qualis natum Daulias ales
solet Ismaria flere sub umbra;
formam lacrimis aptate meis
resonetque malis aspera Trachin.
Cyprias lacrimas Myrrha tuetur,
raptum coniunx Ceyca gemit,
sibi Tantalis est facta superstes;
fugit vultus Philomela suos
natumque sonat flebilis Atthis:
cur mea nondum capiunt volucres
bracchia plumas? felix, felix,

---

175 n. m. | a. p. *duobus versibus E* 180 mea fata *codd. correxit Raphelengius* 181 *sic E:*

Quae summa gemam? pariter
Casusque tuos respicis amens?

quae intercedunt (182—225) 1 m. scripta continentur folio minore, a quaternione alieno, quod est intermissum inter f. 159 et 160: folio superscripsit Medea *manus quae solet* 182 *post* iuvat *lacunam agnovit D. Heinsius quam eius invento nisus Gronovius sic explendam censuit:* [cur non oculos plures nobis] 184 verbera planctu *A* 185 si syphum *E* sisyphi *A* (sipyli ς) *correxit Gronovius* 186 figat superi *A* 188 phoetontia dum. *E.* — turba sororum *A* 190 gemit *A.* — sirenę *E* 191 edonias *EA corr.* ς. — ponite *E* 192 daunias ς 196 cypria *E.* — myrtha *E* 199 fylomela *E* philomena *A* 200 flebilis Ityn *A*

cum silva domus nostra feretur
patrioque sedens ales in agro
referam querulo murmure casus
volucremque Iolen fama loquetur.
vidi, vidi miseranda mei
fata parentis, cum letifero
stipite pulsus tota iacuit
sparsus in aula:
a si tumulum fata dedissent,
quotiens, genitor, quaerendus eras?
potuine tuam spectare necem,
nondum teneras vestite genas
necdum forti sanguine, Toxeu?
quid vestra queror fata, parentes,
quos in tutum mors aequa tulit?
mea me lacrimas fortuna rogat.
iam iam dominae captiva colus
fusosque legam. pro saeve decor
formaque mortem paritura mihi,
tibi cuncta domus concidit uni,
dum me genitor negat Alcidae
atque Herculeus socer esse timet.
sed iam dominae tecta petantur.
CHOR. Quid regna tui clara parentis
casusque tuos respicis amens?
fugiat vultus fortuna prior.
felix quisquis novit famulum
regemque pati vultusque suos
variare potest. rapuit vires
pondusque malis casus animo
qui tulit aequo.

NVTRIX

O quam cruentus feminas stimulat furor,
cum patuit una paelici et nuptae domus!

---

205 m. questus *A* 206 Iolem turba l. *A* 207—209 *trimetri E* 208 fama *E*. — quin laetif. *E* 210—212 *duo dimetri et monometer E* 210 a *om. E addidit de Wilamowitz* pro *A* 214 fortis *A*. — textum *E* 215 querar *A* 218 colos *A* 219 pro saepe dolor *A* 221 concipit *E* contigit *A corr.* ς 226 proavosque tuos *A* 228 patiens quisquis *A* (sapiens *D. Heinsius*) 229 vultusque – potest *om.* ς 230 pepulit vires *A* 231 mali *codd. correxit Bothius* (malo *Gronovius*) 233 *scaenae inscribitur* Nutrix. Deianira (*E ubique* Delanira) 233 stim. dolor *A*

Scylla et Charybdis Sicula contorquens freta
minus timendae, nulla non melior fera est.
namque ut reluxit paelicis captae decus
et fulsit Iole qualis innubis dies
purisve clarum noctibus sidus micat,
stetit furenti similis ac torvum intuens
Herculea coniunx; feta ut Armenia iacens
sub rupe tigris hoste conspecto exilit
aut iussa thyrsum quatere conceptum ferens
Maenas Lyaeum, dubia quo gressus ferat
haesit parumper; tum per Herculeos lares
attonita fertur, tota vix satis est domus:
incurrit, errat, sistit, in voltus dolor
processit omnis, pectori paene intimo
nihil est relictum; fletus insequitur minas.
nec unus habitus durat aut uno furit
contenta voltu: nunc inardescunt genae,
pallor ruborem pellit et formas dolor
errat per omnes: queritur, implorat, gemit.
sonuere postes: ecce praecipiti gradu
secreta mentis ore confuso exerit.

DEIANIRA

Quamcumque partem sedis aetheriae premis,
coniunx Tonantis, mitte in Alciden feram
quae mihi satis sit. si qua fecundum caput
palude tota vastior serpens movet,
ignara vinci, si quid excessit feras
immane dirum horribile, quo viso Hercules
avertat oculos, hoc specu immenso exeat.
vel si ferae negantur, hanc animam precor
converte in aliquod — quodlibet possum malum
hac mente fieri. commoda effigiem mihi
parem dolori: non capit pectus minas.
quid excutis telluris extremae sinus
orbemque versas? quid rogas Ditem mala?
omnes in isto pectore invenies feras

---

236 m. est timenda *codd. correxi* 238 in nubes *E* 239 purumve claris *A* 241 armento iacens *A* 244 gressus agat *A* 246 lymphata rapitur, tota *A* 247 vultus *EA, cf I, 61* 248 omnes *E* 249 ins. genas *A* 251 vultu *A ut ubique* 255 exferit *E* 256 quacumque *E* 261 quod *E.* — hercules *ex* herculis *1 m. E* 262 sinu imm. *A* 264 aliquid ς 269 invenias *A*

quas timeat; odiis accipe hoc telum tuis:
ego sim noverca. perdere Alciden potes:
perfer manus quocumque; quid cessas, dea?
utere furente — quod iubes fieri nefas?
reperi, quid haeres? ipsa iam cesses licet,
haec ira satis est. NVT. Pectoris sani parum,
alumna, questus comprime et flammas doma;
frena dolorem. coniugem ostende Herculis.
DEI. Iole meis captiva germanos dabit
natis Iovisque fiet ex famula nurus?
non flamma cursus pariter et torrens feret
et ursa pontum sicca caeruleum bibet —
non ibo inulta: gesseris caelum licet
totusque pacem debeat mundus tibi,
est aliquid hydra peius: iratae dolor
nuptae. quis ignis tantus in caelum furit
ardentis Aetnae? quidquid est victum tibi
hic vincet animus — capta praeripiet toros?
adhuc timebam monstra, iam nullum est malum:
cessere pestes, in locum venit ferae
invisa paelex. summe pro rector deum
et clare Titan, Herculis tantum fui
coniunx timentis; vota quae superis tuli
cessere captae, paelici felix fui,
illi meas audistis, o superi, preces,
incolumis illi remeat — o nulla dolor
contente poena; quaere supplicia horrida,
incogitata, infanda, Iunonem doce
quid odia valeant: nescit irasci satis.
pro me gerebas bella, propter me vagas
Achelous undas sanguine infecit suo,
cum lenta serpens fieret, in taurum trucem
nunc flecteret serpente deposita minas,
et mille in hoste vinceres uno feras.
iam displicemus, capta praelata est mihi —
non praeferetur: qui dies thalami ultimus
nostri est futurus, hic erit vitae tuae.
quid hoc? recedit animus et ponit minas;

---

270 timuit *E* 271 sum *codd. correxit de Wilamowitz* 274 peperi *EA corr.* ς 275 i. fati est *E*. — NVN. *E* 280 num fl. *A*. — ferent *A* 283 mundus mihi *E* 284 h. potius ς 286 haethnae *E* 290 protector *codd. correxit Lipsius* 295 incolumes *E* 301 qum E

iam cessat ira — quid miser langues dolor?
perdis furorem, coniugis tacitae fidem
mihi reddis iterum — quid vetas flammas ali?
quid frangis ignes? hunc mihi serva impetum,
pares eamus — non erit votis opus:
aderit noverca quae manus nostras regat
nec invocata. NVT. quod paras demens scelus?
perimes maritum cuius extremus dies
primusque laudes novit et caelo tenus
erecta terras fama supposita habet?
Graiorum in istos terra consurget lares
domusque soceri prima et Aetolum genus
sternetur omne, saxa iam dudum ac faces
in te ferentur, vindicem tellus suum
defendet omnis: una quot poenas dabis?
effugere terras crede et humanum genus
te posse — fulmen genitor Alcidae gerit:
iam iam minaces ire per caelum faces
specta et tonantem fulmine excusso diem.
mortem quoque ipsam, quam putas tutam, time:
dominatur illic patruus Alcidae tui.
quocumque perges, misera, cognatos deos
illic videbis. DEI. Maximum fieri scelus
et ipsa fateor, sed dolor fieri iubet.
NVT. Moriere. DEI. Moriar Herculis nempe incluti
coniunx nec ullus nocte discussa dies
viduam notabit nec meos paelex toros
captiva capiet — ante ab occasu dies
nascetur, Indos ante glacialis polus
Scythasve tepida Phoebus inficiet rota,
quam me relictam Thessalae aspiciant nurus.
meo iugales sanguine extinguam faces.
aut pereat aut me perimat; elisis feris
et coniugem addat, inter Herculeos licet
me quoque labores numeret: Alcidae toros
moritura certe corpore amplectar meo.
ire, ire ad umbras Herculis nuptam libet,

308 cessit *codd. correxit Iortinus misc. obs. I p. 72* 309 coni. sanctae *A* 312 patres erimus *E* pares eramus *A correxit Madvigius adv. II p. 125* (*cf. Gronov.*) 318 Angor. in istos *E correxi cf. I, 3* rogos in i. t. c. parens *A* 320 sternetur omne, nam tuum gens Herculem | defendit omnis *omissis quae intercedunt A* 332 NVN. *E.* — nempe *om. E* 336 n. Indis, a. glacialem polum *A* 337 afficiet *A* 338 *inspiciant E* 344 Herculi iunctam *A.* — licet ς

sed non inultam: si quid ex nostro Hercule
concepit Iole, manibus evellam meis
ante et per ipsas paelicem invadam faces.
me nuptiali victimam feriat die
infestus, Iolen dum supra exanimem ruam —
felix iacet quicumque quos odit premit.
NVT. Quid ipsa flammas pascis et vastum foves
ultro dolorem? misera, quid cassum times?
dilexit Iolen: nempe cum staret parens
regisque natam peteret — in famulae locum
regina cecidit: perdidit vires amor
multumque ab illa traxit infelix status.
illicita amantur, excidit quidquid licet.
DEI. Fortuna amorem peior inflammat magis:
amat vel ipsum quod caret patrio lare,
quod nudus auro crinis et gemma iacet,
ipsas misericors forsan aerumnas amat;
hoc usitatum est Herculi: captas amat.
NVT. Dilecta Priami nempe Dardanii soror
concessa famula est; adice quot nuptas prius,
quot virgines dilexit: erravit vagus.
Arcadia nempe virgo, Palladios choros
dum nectit, Auge, vim stupri passa excidit,
nullamque amoris Hercules retinet notam.
referam quid alias? nempe Thespiades vacant
brevique in illas arsit Alcides face.
hospes Timoli Lydiam fovit nurum
et amore captus ad leves sedit colus,
udum feroci stamen intorquens manu.
nempe illa cervix spolia deposuit ferae
crinemque mitra pressit et famulus stetit,
hirtam Sabaea marcidus myrrha comam:
ubique caluit, sed levi caluit face.

---

346 avellam *Eς* 352 u. d. | m. q. c. t. *duobus versibus E.* — casum *codd. correxit Lipsius* (*Herbipolensis et Venetae edd. teste Delrio*) 353 dum starent lares *A* 354 in] enim *E* 356 vultumque *E.* — illo *codd. correxit N. Heinsius adv. p. 441* 359 ipsam *ς* 362 *om. E.* — *nutrici datur A correxit Delrius* 363 priamo *et* primo *ς* 364 famulo *ς* 366 archadia *E* 368 retinet Herculei notam *A* retinet Herculis notam *E correxi cf. I, 3* 369 Thespides *E* mene Thespiades vocant? *A* 371 h. tymolidiam f. n. *E* 372 colos *EA, cf. I, 61* 373 unum *A* colum f. *E correxit G. Canterus nov. lect. p. 137* — tamen *E*

DEI. Haerere amantes post vagos ignes solent.
NVT. Famulamne et hostis praeferet natam tibi?
DEI. Vt laeta silvas forma vernantes habet,
cum nemora nuda primus investit tepor,
at cum solutos expulit Boreas Notos
et saeva totas bruma discussit comas,
deforme solis aspicis truncis nemus:
sic nostra longum forma percurrens iter
deperdit aliquid semper et fulget minus.
haec illa Venus est — quidquid in nobis fuit
olim petitum cecidit, et pariter labor
materque multum rapuit ex illo mihi.
vides ut altum famula non perdat decus?
cessere cultus penitus et paedor sedet;
tamen per ipsas fulget aerumnas decor
nihilque ab illa casus et fatum grave
nisi regna traxit. hic meum pectus timor,
altrix, lacessit, hic rapit somnos pavor.
praeclara totis gentibus coniunx eram
thalamosque nostros invido voto nurus
optabat omnis, quaeve mens quicquam deos
orabat ullos: nuribus Argolicis fui
mensura voti. quem Iovi socerum parem,
altrix, habebo? quis sub hoc mundo mihi
dabitur maritus? ipse qui Alcidae imperat
facibus suis me iungat Eurystheus licet,
minus est. toris caruisse regnantis leve est:
alte illa cecidit quae viro caret Hercule.
NVT. Conciliat animos coniugum partus fere.
DEI. Sic ipse forsan dividet partus toros.
NVT. Famula illa trahitur interim donum tibi.

---

aetas citato senior eripuit gradu.

---

378 *praefixa*, 379 *omissa est nutricis nota E* 379 famulam nec h. *E*. — galatam *E* 380 *sq. cf. I, 194* 380 ut alta *codd. correxit Madvigius adv. II p. 126.* — vern. alit *A* 381 quas nemore nudo *codd. correxi* 382 extulit ς 383 decussit *A* 384 aspicit *E* 387 nec illa *E correxit A. Kiesslingius* malisque minus est *A* 388 et partu labat *A* et pariter labat *E correxi* 390 *dittographiam ad v. 388. 389 delevit Habruckerus* 392 vultus *codd. correxit D. Heinsius* 395 hinc *A* 396 hinc *A* 398 inv. fato *A* 399 obtabat *E*. — quae nimis quisquis deos *A* 400 fuit *E* 401 m. v. Iuno quem s. p. *E* 402 qui *E* 405 toros meruisse *A*. — regnante *E* 406 alte iam cec. *E* 407—439 *om. E, in mg.* deficit hic multum *accurate scripl. manu secundae simili*

DEI. Hic quem per urbes ire praeclarum vides
et fulva tergo spolia gestantem ferae,
qui regna miseris donat et celsis rapit,
vasta gravatus horridam clava manum,
cuius triumphos ultimi Seres canunt
et quisquis alius orbe † concepto iacet,
levis est nec illum gloriae stimulat decor;
errat per orbem, non ut aequetur Iovi
nec ut per urbes magnus Argolicas eat:
quod amet requirit, virginum thalamos petit.
si qua est negata, rapitur; in populos furit,
nuptas ruinis quaerit et vitium impotens
virtus vocatur. cecidit Oechalia inclita
unusque Titan vidit atque unus dies
stantem et cadentem; causa bellandi est amor.
totiens timebit Herculi natam parens
quotiens negabit, hostis est quotiens socer
fieri recusat: si gener non fit, ferit.
post haec quid istas innocens servo manus,
donec furentem simulet ac saeva manu
intendat arcus meque natumque opprimat?
sic coniuges expellit Alcides suas,
haec sunt repudia; nec potest fieri nocens:
terris videri sceleribus causam suis
fecit novercam. quid stupes, segnis furor?
scelus occupandum est: perage dum fervet manus.
NVT. Perimes maritum? DEI. Paelicis certe meae.
NVT. At Iove creatum. DEI. Nempe et Alcmena satum.
NVT. Ferrone? DEI. Ferro. NVT. Si nequis? DEI. Perimam dolo.
NVT. Quis iste furor est? DEI. Quem meus coniunx docet.
NVT. Quem nec noverca potuit, hunc perimes virum?
DEI. Caelestis ira quos premit, miseros facit:
humana nullos. NVT. Parce, miseranda, et time.
DEI. Contempsit omnes ille qui mortem prius;
libet ire in enses. NVT. Maior admisso tuus,

---

410 hunc ς. — perclarum *M* 411 et viva *codd. correxit N. Heinsius adv. p. 443* 412 ceu regna *M* 415 concepto ΣA(ς) consepto ς(*A*) consumpto *Grotius* confecto *Gronovius* 420 rapitur Σς capitur *A* 422 etholia Σς 427 non est *codd. correxit N. Heinsius adv. p. 444.* — furit ς 431 si Σ. — expellat *M* 435 perge *codd. correxit Peiperus* 442 parce *usque ad* enses (*v. 444*) *om. E* (deficit hic *ascripsit ead. man. quae ad v. 407*) 443 *nutrici continuatur A*

alumna, dolor est; culpa par odium exigat.
cur saeva modicis statuis? ut laesa es dole.
DEI. Leve esse credis paelicem nuptae malum?
quidquid dolorem pascit, hoc nimium puta.
NVT. Amorne clari fugit Alcidae tibi?
DEI. Non fugit, altrix, remanet et penitus sedet
fixus medullis, crede; sed magnus dolor
iratus amor est. NVT. Artibus magicis fere
coniugia nuptae precibus admixtis ligant.
vernare iussi frigore in medio nemus
missumque fulmen stare; concussi fretum
cessante vento, turbidum explicui mare
et sicca tellus fontibus patuit novis;
habuere motum saxa, discussi † fores;
umbrae stetistis et mea iussi prece
manes locuntur, tacuit infernus canis;
nox media solem vidit et noctem dies:
mare terra caelum et Tartarus servit mihi
nihilque leges ad meos cantus tenet:
flectemus illum, carmina invenient iter.
DEI. Quas Pontus herbas generat aut quas Thessala
sub rupe Pindus † aluit ubi inveniam malum
cui cedat ille? carmine in terras mago
descendat astris Luna desertis licet
et bruma messes videat et cantu fugax
stet deprehensum fulmen et versa vice
medius coactis ferveat stellis dies:
non flectet illum. NVT. Vicit et superos Amor.
DEI. Vincetur uni forsan et spolium dabit
Amorque summus fiet Alcidae labor. —
sed te per omne caelitum numen precor,
per hunc timorem: quidquid arcani apparo
penitus recondas et fide tacita premas.

---

445 culpa propius exigat *E* 446 ut passa es *A* 447 paelicis *codd. correxit Gronovius* 448 id nim. *A.* — *versus nutrici datur* ς 452 fare *E* 455 mixtumque flumen *E* 458 discussi arbores | undae stetistis *Birtius; conieci* discussi inferos 460 sonuit *A* novit *E correxi cf. I, 224* 461 *om. E* (deficit 1 versus *ut s.*), *post 462 posuit Bothius* 463 tenent *EA correxit Scaliger* (ς) 465 quae Th. ς 466 aut ubi *A* alit: ubi *Peiperus* tale ubi *Birtius* 467 terris *E* 468 descendat in astra luna discedat licet *E* 470 sit depr. *A.* — f. adversa v. *E* 471 m. c. fugerit *A* 472 n. f. unum *codd. correxit Richterus* (*et cod. Laur. 37, 6*). — *versus totus Deianirae est E* 477 *fidem* tacitam exprimas *E*

NVT. Quid istud est quod esse secretum petis?
DEI. Non tela sunt, non arma, non ignis minax.
NVT. Praestare fateor posse me tacitam fidem,
si scelere careat: interim scelus est fides.
DEI. Circumspice agedum, ne quis arcana occupet,
partemque in omnem vultus inquirens eat.
NVT. En locus ab omni tutus arbitrio vacat.
DEI. Est in remoto regiae sedis loco
arcana tacitus nostra defendens specus.
non ille primos accipit soles locus,
non ille seros, cum ferens Titan diem
* *
lassum rubenti mergit Oceano diem.
illic amoris pignus Herculei latet.
altrix, fatebor: auctor est Nessus mali
quem gravida Nephele Thessalo genuit duci,
qua † trepidus astris inserit Pindus caput
ultraque nubes Othrys eductus riget.
namque ut subactus Herculis clava horridi
Achelous omnes facilis in species dari
tandem peractis omnibus patuit feris
unoque turpe subdidit cornu caput,
me coniugem dum victor Alcides habet,
repetebat Argos. forte per campos vagus
Euenos altum gurgitem in pontum ferens
iam paene summis turbidus silvis erat.
transire Nessus verticem solitus vadis
pretium poposcit; meque iam dorso ferens
qua iungit hominem spina deficiens equo,
frangebat ipsas fluminis tumidi minas.
iam totus undis Nessus exierat ferox
medioque adhuc errabat Alcides vado,
vasto rapacem verticem scindens gradu;
at ille ut esse vidit Alciden procul:
'tu praeda nobis' inquit 'et coniunx eris;
prohibetur undis', meque complexus ferens

478 secr. iubes *A* 479 minae *A* 484 arbitro ς 485 sedis egregiae loco *A* 486 def. locus *A* *post* 488 *lacunam statui sic fere explendam:* [exurgit undis, cumque germanam vocans] 489 lassam – rotam *A* 490 illinc *E* 491 Nessus est auctor *A* 492 nefele *E* nubes *A* 493 qua celsus *A fort.* qua aetherius 494 eductus rubet *E* 496 omnis faciles inspicies *E* 498 turpis *A* 501 Euenus (*fere* hebenus) *A* 502 ripis erat *A* 503 solitus vagus *E* s. vagum *A corr.* ς 510 ast *A.* — Alcidem *EA correxit Bothius* 512 complexam *A*

gressum citabat; non tenent undae Herculem:
'infide vector' inquit 'immixti licet
Ganges et Hister vallibus iunctis eant,
vincemus ambos, consequar telo fugam.'
praecessit arcus verba; tum longum ferens
harundo vulnus tenuit haerentem fugam
mortemque fixit. ille, iam quaerens diem,
tabum fluente volneris dextra excipit
traditque nobis ungulae insertum suae,
quam forte saeva sciderat avolsam manu.
tunc verba moriens addit: 'hoc' inquit 'magae
dixere amorem posse defigi malo;
hoc docta Mycale Thessalas docuit nurus,
unam inter omnes Luna quam sequitur magas
astris relictis. inlitas vestes dabis
hac' inquit 'ipsa tabe, si paelex tuos
invisa thalamos tulerit et coniunx levis
aliam parenti dederit altisono nurum.
hoc nulla lux conspiciat, hoc tenebrae tegant
tantum remotae: sic potens vires suas
sanguis tenebit.' verba deprendit quies
mortemque lassis intulit membris sopor.
tu, quam meis admittit arcanis fides,
perge ut nitentem virus in vestem datum
mentem per artus adeat et tactu sinus
intret medullas. NVT. Ocius iussa exsequar,
alumna, precibus tu deum invictum advoca,
qui certa tenera tela dimittit manu.
DEI. Te deprecor, quem mundus et superi timent
et aequor et qui fulmen Aetnaeum quatit,
timende matri te aliger saevae puer:
intende certa spiculum velox manu,
non ex sagittis levibus: e numero precor
graviore prome quod tuae nondum manus
misere in aliquem; non levi telo est opus,

---

514 victor *E*. — immixtus *Eς* 516 consequitur *A* 520 tabem fluentis vuln. *A* tabum fluentem vuln. *E correxi* 521 ungula insertam sua *A* 523 tum *A* 525 monuit nurus *A* 526 omnis *E*. — magam *A* 534 impulit *E* 536 nitentes virus in vestes satum *A* 537 tactus sinus *A* tactus mas *corruptelae signo addito E correxit Gruterus* 538 i. ad med. *E* 541 te te precor *A* 543 t. m. teliger *A* 545 ex umero *E* e nervo *ς* 546 gravi deprome *E graviore* profer *A correxit N. Heinsius adv. p. 447 (et M i. mg.)*

ut amare possit Hercules. rigidas manus
intende et arcum cornibus iunctis para.
nunc, nunc sagittam prome qua quondam horridum
Iovem petisti, fulmine abiecto deus
cum fronte subita tumuit et rabidum mare
taurus puellae vector Assyriae scidit;
immitte amorem, vincat exempla omnia:
amare discat coniugem. si quas decor
Ioles inussit pectori Herculeo faces,
extingue totas, perbibat formam mei.
tu fulminantem saepe domuisti Iovem,
tu furva nigri sceptra gestantem poli,
turbae ducem maioris et dominum Stygis,
tuque o noverca gravior irata deus,
cape hunc triumphum solus et vince Herculem.
NVT. Prolata vis est quaeque Palladia colu
lassavit omnem texta famularum manum.
nunc congeratur virus et vestis bibat
Herculea pestem; precibus augebo malum.
in tempore ipso navus occurrit Lichas:
celanda vis est dira, ne pateant doli.
DEI. O quod superbae non habent umquam domus,
fidele semper regibus nomen Licha,
cape hos amictus, nostra quos nevit manus,
dum vagus in orbe fertur et victus mero
tenet feroci Lydiam gremio nurum,
dum poscit Iolen. sed iecur fors horridum
flectam merendo: merita vicerunt malos.
non ante coniunx induat vestes iube
quam ture flammas pascat et placet deos,
cana rigentem populo cinctus comam.
ipsa in penates regios gressus feram

---

550 condam *E*. — horridus *A* 552 tumuit: muit *i. ras. 1 m. E* timuit ς. — rapidum *A* 553 excidit *E* 555 coniuges *A* 556 immisit Ioles *A* 557 flammas mei *A* 559 fulva *EA corr.* ς 561 tu qui nov. *A* 562 solus evince *A* 563 colis *E* colus *A corr.* ς 564 tela ς. — fabularum manus *E* famularem manum *A correxit N. Heinsius adv. p. 448 (et cod. Laur. 37, 6)* 565 congregetur v. ut *A* 567 novus *E* gnavus *A* 568 pateat *E correxit N. Heinsius l. s. (et cod. Laur. 37, 6)* illa ne pateant mala *A* 572 orbem *codd. correxit N. Heinsius p. 449* 574 nunc posc. *A*. — forsan *E* 575 f. emerendo. merita vincunt et malos *A* 576 vestes induat coniunx *A* 577 fl. spargat et poscat deos *A* 578 vinctus *A* 579 ad pen. *A*

precibusque Amoris horridi matrem colam.
vos, quas paternis extuli comites focis,
Calydoniae lugete deflendam vicem.

CHORVS

Flemus casus, Oenei, tuos
comitum primos turba per annos,
flemus dubios, veneranda, toros.
nos Acheloi tecum solitae
pulsare vadum, cum iam tumidas
vere peracto poneret undas
gracilisque gradu serperet aequo
nec praecipitem volveret amnem
flavus rupto fonte Lycormas;
nos Palladias ire per aras
et virgineos celebrare choros,
nos Cadmeis orgia ferre
tecum solitae condita cistis,
cum iam pulso sidere brumae
tertia soles evocat aestas
et spiciferae concessa deae
Attica mystas cludit Eleusin.
nunc quoque casum quemcumque times,
fidas comites accipe fatis:
nam rara fides ubi iam melior
fortuna ruit.
Tu quicumque es qui sceptra tenes,
licet omne tua vulgus in aula
centum pariter limina pulset:
cum tot populis stipatus eas,
in tot populis vix una fides.
tenet auratum limen Erinys,
et cum magnae patuere fores,
intrant fraudes cautique doli

---

581 expulit *E* 582 deflete lugendas vices *A* 583 oenee *E* 584 miseranda *A* venerande *E* *correxit Gronovius* 587 quum *E* (*sic* 596; quem 607; quom 610: *quod his 4 locis restituit Peiperus*) 588 *om. et i. mg. add. 1 m., sed post scriptum librum E.* — peractos *E* 589 vado *A.* — sĕper et *compendio litterae r alias non usitato E* 591 f. rapido *A.* — Lycornas *E* 592 palladas *E* 598 spicę fere *E* 599 claudit Eleusis *A* 600 fatum quodcumque *A* 605 auia *corruptelae signo addito E* 607 stipatus eas *i. ras. 1 m. E.* — stipatus – populis *om.* ς 608 populos *E* 609 teneat *E.* — herinis *E*

ferrumque latens; cumque in populos
prodire paras, comes invidia est:
noctem quotiens summovet Eos,
regem totiens credite nasci.
pauci reges, non regna colunt:
plures fulgor concitat aulae;
cupit hic regi proximus ipsi
clarus latas ire per urbes:
urit miserum gloria pectus;
cupit hic gazis implere famem,
nec tamen omnis plaga gemmiferi
sufficit Histri nec tota sitim
Lydia vincit nec quae Zephyro
subdita tellus stupet aurato
flumine clarum radiare Tagum;
nec si totus serviat Hebrus
ruraque dives iungat Hydaspes
intraque suos currere fines
spectet toto flumine Gangen:
avidis, avidis natura parum est.
colit hic reges regumque lares,
non ut presso vomere semper
numquam cesset curvus arator
vel mille secent arva coloni:
solas optat quas ponat opes.
colit hic reges, calcet ut omnes
perdatque aliquos nullumque levet:
tantum ut noceat, cupit esse potens.
quota pars moritur tempore fati?
quos felices Cynthia vidit,
vidit miseros enata dies.
rarum est felix idemque senex:
caespes Tyrio mollior ostro
solet inpavidos ducere somnos;
aurea rumpunt tecta quietem
vigilesque trahit purpura noctes.
o si pateant pectora ditum!

---

613 parant *codd. correxit Richterus* 614 eous *E* 617 convocat *A* 619 clarus totas *E* clarusque datas ς 623—625 *trimetri E* 628 cingat *A* 629 extraque *E* 630 spectent ς 635 mille se centauraia *sic 1 m. E* (*cf. I, 21*) 636 donet *A* ponit *E correxit Gronovius* 638 alios *E* 642 abitura dies *A*

quantos intus sublimis agit
fortuna metus! Bruttia Coro
pulsante fretum lenior unda est;
pectora pauper secura gerit.
tenet e patula pocula fago,
sed non trepida tenet illa manu;
carpit faciles vilesque cibos,
sed non strictos respicit enses:
aurea miscet pocula sanguis.
coniunx modico nupta marito
non disposito clara monili
gestat pelagi dona rubentis,
nec gemmiferas detrahit aures
lapis Eoa lectus in unda,
nec Sidonio mollis aeno
repetita bibit lana rubores,
nec Maeonia distinguit acu
quae Phoebeis subditus euris
legit Eois Ser arboribus.
quaelibet herbae tinxere colus
quas indoctae nevere manus:
sed non dubios fovet illa toros.
sequitur dira lampade Erinys
quarum populi coluere diem,
nec sibi felix pauper habetur
nisi felices cecidisse videt.
Quisquis medium defugit iter
stabili numquam tramite currit:
dum petit unum praebere diem
patrioque puer constitit axe,
nec per solitum decurrit iter,
sed Phoebeis ignota petens
sidera flammis errante rota,
secum pariter perdidit orbem.
medium caeli dum sulcat iter,
tenuit placitas Daedalus oras
nullique dedit nomina ponto;

650 choro *E* 651 mitior *A* 653 e *om.* *E* et ς 654 ipsa *A* 664 rubores *ex* ruboris *1 m.* *E* 667 seres ς arboribus ser *E* 668 colus *ex* colos *1 m.* *E* colos *A* 676 curret *A* 678 patriosque puer concitat axes *A* 679 percurrit *A* 680 ign. secat *A* 683 cum pergit (peregerat *et similia* ς) *A* 684 latias *A* placidas *E* *correxit Gronovius*

sed dum volucres vincere veras
Icarus audet patriosque puer
despicit alas Phoeboque volat
proxumus ipsi, dedit ignoto
nomina ponto: male pensantur
magna ruinis.
felix alius magnusque sonet;
me nulla vocet turba potentem.
stringat tenuis litora puppis
nec magna meas aura phaselos
iubeat medium scindere pontum:
transit tutos Fortuna sinus
medioque rates quaerit in alto,
quarum feriunt sipara nubes.
Sed quid pavido territa vultu,
qualis Baccho saucia maenas,
fertur † medio regina gradu?
quae te rursus fortuna rotat?
miseranda, refer: licet ipsa neges,
vultus loquitur quodcumque tegis.

DEIANIRA

Vagus per artus errat excussos tremor,
erectus horret crinis, impulsis adhuc
stat terror animis et cor attonitum salit
pavidumque trepidis palpitat venis iecur.
ut fractus austro pontus etiamnum tumet,
quamvis quiescat languidis ventis dies,
ita mens adhuc vexatur excusso metu.
semel profecto premere felices deus
cum coepit, urget. hos habent magna exitus.

NVTRIX

Quis tam impotens, miseranda, te casus rotat?
DEI. Vt missa palla est tabe Nessea inlita
thalamisque maerens intuli gressum meis,

---

692 magn. volet *A* 693 vocent verba *E*. — potentum ς 695 meos *A* 699 suppara *A* 701 saucia thyas *A* 702 fertur rapido *A* dubio *I. Gronovius* 705 quodc. negas *A* *scaenae inscribitur* Deianira. Nutrix *E* Deianira. Chorus *A* 710 etiamnunc *A* 711 languidus *E* 713—715 *nutrix loquitur E* 713 simul *A*. — promere f. deos *E* 714 c. c.] concepit *E* 715 *chorus loquitur A* 717 thalamisqne amens (thalamis et amens *Poggius* demens ς) *A*

nescio quid animus timuit * * et fraudem struit.
libet experiri. solibus dirus ferum
flammisque Nessus sanguinem ostendi arcuit:
hic ipse fraudes esse praemonuit dolus.
et forte, nulla nube respersus iubar,
laxabat ardens fervidum Titan diem.
vix ora solvi patitur etiam nunc timor.
medios in ignes solis † eiceram facem
quo tincta fuerat palla vestisque inlita;
abiectus horret sanguis et Phoebi † comam
tepefactus † astris vix quoque est. monstrum elocor.
nives ut Eurus solvit aut tepidus Notus,
quas vere primo lucidus perdit Mimas,
utque evolutos frangit Ionio salo
opposita fluctus Leucas et lassus tumor
in litore ipso spumat, aut caelestibus
aspersa tepidis tura laxantur focis,
sic languet omne vellus et perdit comas.
dumque ista miror, causa mirandi perit;
quin ipsa tellus spumeos motus agit
et quidquid illa tabe contactum est labat.
* *
tumensque tacita
quassat caput
* *

HYLLVS

I, profuge, quaere si quid ulterius patet

---

natum paventem cerno et ardenti pede
gressus ferentem. prome quid portes novi.

---

718 *sic fere sententia supplenda videtur:* [an moriens viro | poenas parat Centaurus] et fraudem struit? 719 sedibus *E*. — virus *codd. correxit de Wilamowitz* 720 arguit *EA corr.* ς 721 praem. deus *A* 722 respersum *E* 725 solis et claram facem *A conieci:* medios in ignes vellus eieci madens *cf. Soph. Trach. 672 sq. et infra v. 735* 727 abiectum h. virus ς. — coma ς 728 t. ardet *A* arsit *Peiperus.* — vix queo monstrum eloqui *A* vix quod est monstrum eloquor *Kaibelius; conieci* tumque (vix monstrum eloquor) 729 n. et – et t. *E* 730 lubricus *A*. — minas *E*ς 731 evolutus *E* 732 lapsus ς 734 tepido *E* 735 virus e. p. comam *A* 736 ipsa *codd. correxit N. Heinsius adv. p. 451* 739 tumensque tacita sequitur et quassat caput *A aliquot versus desiderari Avantius vidit f. 208. vel imago loci in E, qualis supra indicata est, maiorem lacunam arguit. cui sarciendae vv. 740. 741 in A interpolati videntur.* 740. 41 *om. E* 742 *scaenae inscribitur* Hyllus et idem *E* Hyllus Deianira Nutrix *A*

terris freto sideribus Oceano inferis,
ultra labores, mater, Alcidae fuge.
DEI. Nescio quod animus grande praesagit malum.
HYL. † Regna triumphi, templa Iunonis pete:
haec tibi patent, delubra praeclusa omnia.
DEI. Effare quis me casus insontem premat.
HYL. Decus illud orbis atque praesidium unicum,
quem fata terris in locum dederant Iovis,
o mater, abiit: membra et Herculeos toros
urit lues nescio quae; qui domuit feras,
ille ille victor vincitur maeret dolet.
quid quaeris ultra? DEI. Miserias properant suas
audire miseri; fare, quo posita in statu
iam nostra domus est? o lares, miseri lares!
nunc vidua, nunc expulsa, nunc ferar obruta.
HYL. Non sola maeres Herculem, toto iacet
mundo gemendus; fata nec, mater, tua
privata credas: iam genus totum obstrepit.
hunc ecce luctu quem gemis cuncti gemunt,
commune terris omnibus pateris malum.
luctum occupasti: prima, non sola Herculem,
miseranda, maeres. DEI. Quam prope a leto tamen
ede, ede quaeso iaceat Alcides meus.
HYL. Mors refugit illum victa quae in regno suo
semel est nec audent fata tam vastum nefas
admittere. ipsas forsitan trepida colus
Clotho manu proiecit et fata Herculis
timet peragere. pro diem, infandum diem!
hocne ille summo magnus Alcides erit?
DEI. Ad fata et umbras adque peiorem polum
praecedere illum dicis? an possum prior
mortem occupare? fare, si nondum occidit.
HYL. Euboica tellus vertice immenso tumens
pulsatur omni latere: Phrixeum mare
scindit Caphereus, servit hoc Austro latus;

743 oceano *E* 746. 47 *om. A extant Eς Deianirae continuantur ς Hyllo dantur E* 746 regna triumpha *Lipsius; conieci:* regnat triumphat (*scil. Iuno*) 751 habiit *E* obiit *ς* 752 quae *A*(*ς*) 753 ille *semel om. E* 756 o laris *E* 757 feror *A* 758 Hercules *A.* — totoque iacet *E* 759 ne *ς* 760 credis *E* 761 nunc ecce luctu *E* hunc eiulatu *A.* — cuncta *E* 768 colos *A* 769 fatum *A* 771 hoccine *E.* — illo *ς* 772 *Hyllo continuatur A.* — atque *codd. correxit Birtius* 773 pr. tu ill. *A* 776 omni parte *A.* — frixeum *E* 777 Caphareus *A*

at qua nivosi patitur Aquilonis minas,
Euripus undas flectit instabilis vagas
septemque cursus volvit et totidem refert,
dum lassa Titan mergat Oceano iuga.
hic rupe celsa, multa quam nubes ferit,
annosa fulgent templa Cenaei Iovis.
ut stetit ad aras omne votivum pecus
totumque tauris gemuit auratis nemus,
spolium leonis sordidum tabo exuit
posuitque clavae pondus et pharetra graves
laxavit umeros. veste tum fulgens tua,
cana revinctus populo horrentem comam,
succendit aras: 'accipe has' inquit 'focis
non false messes genitor et largo sacer
splendescat ignis ture, quod Phoebum colens
dives Sabaeis colligit truncis Arabs.
pacata tellus' inquit 'et caelum et freta,
feris subactis omnibus victor redi:
depone fulmen.' gemitus in medias preces
stupente et ipso cecidit; hinc caelum horrido
clamore complet: qualis impressa fugax
taurus bipenni volnus et telum ferens
delubra vasto trepida mugitu replet,
aut quale mundo fulmen emissum tonat,
sic ille gemitu sidera et pontum ferit,
et vasta Chalcis sonuit et voces Cyclas
excepit omnis; hinc petrae Capherides,
hinc omne voces reddit Herculeas nemus.
flentem videmus. volgus antiquam putat
rabiem redisse; tum fugam famuli petunt.
at ille voltus ignea torquens face
unum inter omnes sequitur et quaerit Lichan.
complexus aras ille tremibunda manu

779 instabiles vagus *A* 780 cursus flectit *A* 781 occeano *E*. — iubar *A* 782 nulla *codd. correxi* 783 caenae Iovis *E* 785 totumque tantis gemuit armentis nemus *A* 787 gravis *et* gravi ς 788 tunc *A* dum *E corr.* ς 791 messis *E* 793 truncus *E puncto sup.* s *addito 1 m.* 794 *om. E* 797 hic *A* 798 fugax: x *i. ras. 2 m. E* fugas Σ 799 bipenne *A*. — vulnus, *sed prior* u *i. ras. E* (*cum A*) volnus Σ 800 tepida *E* 802 gemitus *A* 803 Calchis *E* Calpe *A* 804 excipit *E*. — Capharides *A* 806 vulgus *codd.* 807 tunc *codd. correxit Bothius* 808 vultus, *sed prior* u *i. ras. 2 m. E* (*cum A*) voltus Σ 809 quaerit et sequitur *A*. — licam *A* (*ut v. 815*) lycham *E* (*815* lichan)

mortem metu consumpsit et parvum sui
poenae reliquit. dumque † tremibundum manu
tenuit cadaver: 'hac manu, hac' inquit 'ferar,
o fata, victus? Herculem vicit Lichas?
ecce alia clades: Hercules perimit Lichan.
facta inquinentur: fiat hic summus labor.'
in astra missus fertur et nubes vago
spargit cruore; talis in caelum exilit
harundo Getica visa dimitti manu
aut quam Cydon excussit: inferius tamen
et tela fugient. truncus in pontum cadit,
in saxa vertex: unus ambobus iacet.
'resistite' inquit 'non furor mentem abstulit,
furore gravius istud atque ira malum est:
in me iuvat saevire.' vix pestem indicat
et saevit: artus ipse dilacerat suos
et membra vasta carpit avellens manu.
exuere amictus quaerit: hoc solum Herculem
non posse vidi; trahere conatus tamen
et membra traxit: corporis palla horridi
pars est et ipsam † vestis immiscet cutem.
nec causa dirae cladis in medio patet,
sed causa tamen est; vixque sufficiens malo
nunc ore terram languidus prono premit,
nunc poscit undas — unda non vincit malum;
fluctisona quaerit litora et pontum occupat:
famularis illum retinet errantem manus —
o sortem acerbam! fuimus Alcidae pares.
nunc puppis illum litore Euboico refert
Austerque lenis pondus Herculeum rapit;
destituit animus membra, nox oculos premit.
DEI. Quid, anime, cessas? quid stupes? factum est scelus,

811. 12 *omissos in margine supplevit 1 m. ut v. 588 E (cultro ablatae sunt* M *et* P *in versuum initiis)* 811 parum *A*. — sui *1 m. i. ras. 7—8 litterarum quarum ultimae fuere* sui *E* 812 *conieci* semianimum parens 813 ac m. ac *E* hac manu inquit te feram (te inquit ς) *A* 814 vinctus *E*. — vicit lychas *E* perimit licas *A* 815 cladis. Herculis peremit *E* 816 fata inquinantur. fiet *A* 819 iussa *EA corr.* ς 821 fugiente trunco corpus i. p. c. *A* 822 i. s. versus *E* i. s. cervix *A correxit Gronovius.* — funus *codd. correxit N. Heinsius adv. p. 404* 827 capit *E* 828 exsuere *E* 831 parum est *E*. — ipsa *A*. — pars est et ipsa: vestis increscit cuti *de Wilamowitz; conieci:* ipsam pestis immiscet cutem (*scil. pallae*) 834 prono ferit *A* 836 et nota quaerit *A* 839 Eub. ferit *E* 841 *Deianirae datur A* 842 est *om. A*

natum reposcit Iuppiter, Iuno aemulum?
reddendus orbi est; quod potes redde exhibe:
eat per artus ensis exactus meos.
sic, sic agendum est. tam levis poenas manus
tantas reposcit? perde fulminibus, socer,
nurum scelestam. nec levi telo manus
armetur: illud fulmen exiliat polo,
quo, nisi fuisset genitus Alcides tibi,
hydram cremasses: pestem ut insolitam feri
et ut noverca potius irata malum.
emitte telum quale in errantem prius
Phaethonta missum est: perdidi in solo Hercule
et ipsa populos. quid rogas telum deos?
iam parce socero: coniugem Alcidae necem
optare pudeat: haec erit voto manus,
a me petatur; occupa ferrum ocius.
cur deinde ferrum? quidquid ad mortem trahit
telum est abunde: rupe ab aetheria ferar.
haec, haec renatum prima quae poscit diem,
Oeta eligatur, corpus hinc mitti placet;
abrupta cautes scindat et partem mei
ferat omne saxum, pendeant lacerae manus
totumque rubeat asperi montis latus.
levis una mors est — levis? at extendi potest.
eligere nescis, anime, cui telo incubes;
utinam esset, utinam fixus in thalamis meis
Herculeus ensis: huic decet ferro inmori.
una perire dextera nobis sat est?
coite, gentes, saxa et immensas faces
iaculetur orbis, nulla nunc cesset manus,
corripite tela, vindicem vestrum abstuli:
impune saevi sceptra iam reges gerent,
impune iam nascetur indomitum malum;
repetentur arae cernere assuetae hostiam
similem colenti: sceleribus feci viam,

---

844 potest *codd. correxit Gronovius.* — reddi *A* 845 exactos *E* 847 redde *EA correxit Raphelengius* tolle ς. — f. precor *E* 850 ni *A* 851 cremas.sis *E* 852 et tu *E.* — nov. peius *A* 854 perdidi sola Herculem *E* p. erepto Hercule *A correxit N. Heinsius adv. p. 406* 856 coniugi *E* 857 hoc ς. — votum *A.* — maius ς 858 occupata, *sed* ta *expunct. 1 m. E* 859 cur? deme ς. — in mortem *A* 862 Oceano eligatur *E* 865 ponti latus *A* 866 at] et *E* 868 thalamos meos *E* 871 incensas faces *A* 872 non cesset *E* 874 gerunt *A* gerant *E corr.* ς 876 reddentur *codd. correxi*

ego vos tyrannis regibus monstris feris
saevisque rapto vindice opposui deis.
cessas, Tonantis socia? non spargis facem
imitata fratrem et mittis ereptam Iovi
meque ipsa perdis? laus tibi erepta incluta est,
ingens triumphus: aemuli, Iuno, tui
mortem occupavi. HYL. Quid domum impulsam trahis?
erroris est hic omne quodcumque est nefas.
haut est nocens quicumque non sponte est nocens.
DEI. Quicumque fato ignoscit et parcit sibi,
errare meruit: morte damnari placet.
HYL. Nocens videri qui mori quaerit cupit.
DEI. Mors innocentes sola deceptos facit.
HYL. Titana fugiens — DEI. Ipse me Titan fugit.
HYL. Vitam relinques? DEI. Miseram, ut Alciden sequar.
HYL. Superest et auras ille caelestes trahit.
DEI. Vinci Hercules cum potuit, hinc coepit mori.
HYL. Natum relinques fataque abrumpes tua?
DEI. Quamcumque natus sepelit haec vixit diu.
HYL. Virum sequeris. DEI. Praegredi castae solent.
HYL. Si te ipsa damnas, scelere te misera arguis.
DEI. Nemo nocens sibi ipse poenas abrogat.
HYL. Multis remissa est vita quorum error nocens,
non dextra fuerat. fata quis damnat sua?
DEI. Quicumque fata iniqua sortitus fuit.
HYL. Hic ipse Megaram nempe confixam suis
stravit sagittis atque natorum indolem
Lernaea figens tela furibunda manu;
ter parricida factus ignovit tamen
sibi, non furori: fonte Cinyphio scelus
sub axe Libyco tersit et dextram abluit.
quo, misera, pergis? cur tuas damnas manus?
DEI. Damnat meas devictus Alcides manus:

---

878 feris: s *ex* t *1 m. E* 881 eretam *E* 884—982 *Hylli partes nutrici tribuuntur A* 885 erroris istic (istuc) *A* 889 qui petit mortem cupit *A* 891 fugies *A*. — DEL. (*ut ubique*) thiestem Titan fugit *E* 892 relinquens *E*. — miseram? D. ut Alcidem *E* misera? D. at Alcidem *A correxit Gronovius* 893 ut *E* 896 quacumque natus *E* quaecumque natum *A correxit Scaliger* 898 sceleris ς 899 irrogat *A* 902 fugit *A* 903 h. i. Megere *E* ipse hic Megeram *A*. — conphiniam *1 m.* ophiniam *2 m. E* (Σ *cum A*) 904 indoles *A* 905 L. flectens *A* 907 sibi. nam furoris *A* 908 sub axi libico torsit et drextram a. *E* 909 quid tuas *A*

placet scelus punire. HYL. Si novi Herculem,
aderit cruenti forsitan victor mali
dolorque fractus cedet Alcidae tuo.
DEI. Exedit artus virus ut fama est hydrae;
immensa pestis coniugis membra abstulit.
HYL. Serpentis illi virus enectae autumas
haut posse vinci qui malum vivum tulit?
elisit hydram dente † cum fixo tenens
media palude victor, effuso obrutus
artus veneno. sanguis hunc Nessi opprimet,
qui vicit ipsas horridi Nessi manus?
DEI. Frustra tenetur ille qui statuit mori:
proinde lucem fugere decretum est mihi.
vixit satis quicumque cum Alcide occidit.
NVT. Per has aniles ecce te supplex comas
atque ubera ista paene materna obsecro:
depone tumidas pectoris laesi minas
mortisque dirae expelle decretum horridum.
DEI. Quicumque misero forte dissuadet mori,
crudelis ille est: interim poena est mori,
sed saepe donum; pluribus veniae fuit.
NVT. Defende saltem dexteram, infelix, tuam
fraudisque facinus esse, non nuptae, sciat.
DEI. Defendar illic: inferi absolvent ream,
a me ipsa damnor; purget has Pluton manus.
stabo ante ripas immemor, Lethe, tuas
et umbra tristis coniugem excipiam meum.
sed tu, nigrantis regna qui torques poli,
para laborem (scelera quae quisquam ausus est,
hic vincet error: Iuno non ausa Herculem est
eripere terris) horridam poenam para.
Sisyphia cervix cesset et nostros lapis
impellat umeros; me vagus fugiat latex
meamque fallax unda deludat sitim;
merui manus praebere turbinibus tuis,

911 p. s. puniri *E* fraudem placet punire *A* 915. 16 *om. E, sed in marg. 1 m. (ut v. 588) ascripsit:* HYL. Serpentis illud | virus. ut fam | est ydrae (a *cultro desecta*) 917 qua *E*. — m. et vivum *A* 918 cum infixo stetit *A conieci:* dente dum infecto tumet 921 horridas ς 922 tenentur *E* 925 HYL. *E* 927 lassi *E* 929 suadet *E* 931 *nutrix loquitur A*. — d. in pl. *A* 932 NVN. *E* (*hic om. A*) 933 sciant *E* 934 solvent *A* 935 Pluto *A* 939 quisque *codd. correxit Madvigius adv. II p. 126* 940 vicit *A*. — est *om. E*ς 942 sisyphea *E* 944 *decipiat sitim A*

quaecumque regem Thessalum torques rota;
effodiat avidus hinc et hinc vultur fibras;
vacet una Danais, has ego explebo vices:
laxate manes. recipe me comitem tibi,
Phasiaca coniunx: peior haec, peior tuo
utroque dextra est scelere, seu mater nocens
seu dira soror es; adde me comitem tuis,
Threicia coniunx, sceleribus; natam tuam,
Althaea mater, recipe, nunc veram tui
agnosce prolem — quid tamen tantum manus
vestrae abstulerunt? claudite Elysium mihi
quaecumque fidae coniuges nemoris sacri
lucos tenetis; si qua respersit manus
viri cruore nec memor castae facis
stricto cruenta Belias ferro stetit,
in me suas agnoscat et laudet manus.
in hanc abire coniugum turbam libet;
sed et illa fugiet turba tam diras manus.
invicte coniunx, innocens animus mihi,
scelesta manus est. pro nimis mens credula,
pro Nesse fallax atque semiferi doli!
auferre cupiens paelici eripui mihi.
recede, Titan, tuque quae blanda tenes
in luce miseros vita: caritura Hercule
lux viſis ista est. exigam poenas tibi
reddamque vitam. fata an extendo mea
mortemque, coniunx, ad tuas servo manus?
virtusne superest aliqua et armatae manus
intendere arcum tela missurum valent?
an arma cessant teque languenti manu
non audit arcus? si potes letum dare,
animose coniunx, dexteram expecto tuam.
mors differatur: frange ut insontem Lichan,

---

949 comitem tui *A* 950 hac *E*. — tua *A* 951 utraque *A*. — dextera *E*. — scelere – es *om.* ς(*A*) *cf. ad v. 973* 954 Altheam *E*. — tuam *A* 959 c. fides ς 960 s. c. bella cum ferro *E* (*Peiperus contulit Hf. 261*) 961 cognoscat *A* 962 in hac abire coniugem turba l. *E* 963 sed *om. E* 965 res cred. *E* 966 namque semiferi dolis *A* 969 cariturae *A* 970 lux illa sistat. exigat penas sibi *E* 971 fatane ext. *A* 972 in tuas *A*. — servem ς 973 armata *E correxit Lipsius* aliqua Sarmatica et manus *A* *post* 973 *inseritur hic versus:* seu dira soror est. adde me comitem tuis ς(*A*) *cf. ad v. 951* 974 miserorum valent *E* missurum valet *A* 976 arcu *E*. — potest telum dare *A* 977 animosa *A* 978 Lycham *E* licam *A*

alias in urbes sparge et ignotum tibi
inmitte in orbem; perde ut Arcadiae nefas
et quidquid aliud † cessit: ab illis tamen,
coniunx, redisti. HYL. Parce iam, mater, precor,
ignosce fatis; error a culpa vacat.
DEI. Si vera pietas, Hylle, quaerenda est tibi,
iam perime matrem — trepida quid tremuit manus?
quid ora flectis? hoc erit pietas scelus.
ignave dubitas? Herculem eripuit tibi
haec, haec peremit dextra cui debes patri
avum Tonantem. maius eripui decus,
quam in luce tribui. si tibi ignotum est nefas,
a matre disce. seu tibi iugulo placet
mersisse ferrum sive maternum libet
invadere uterum, mater intrepidum tibi
praebebit animum. non erit tantum scelus
a te peractum: dextera sternar tua,
sed mente nostra. natus Alcidae, times?
ita nulla perages iussa nec franges mala
referens parentem? dexteram intrepidam para.
patet ecce plenum pectus aerumnis: feri.
scelus remitto, dexterae parcent tuae
Eumenides ipsae — verberum crepuit sonus.
quaenam ista torquens angue † vipereo comam
temporibus † hastas squalidis pinnas quatit?
quid me flagranti dira persequeris face,
Megaera? poenas poscis Alcidae? dabo.
iamne inferorum, dira, sedere arbitri?
† sed ecce diras carceris video fores.
quis iste saxum immane detritis gerit
iam senior umeris? ecce iam victus lapis

---

erres per orbem. si qua nascetur fera

---

980 emitte *A*. — archadiae *E* 981 aliud restitit *A*. — imbellis tamen *Birtius* 982 parce – precor *om. E* 985 pavida quid *A* 986 haec *E* 987 eripui *A* 988 dextera *E* 994 totum scelus *A* 995 *om. E* 996 Alc. tibi *E* 997 peragas i. n. peragens mala *A* 998 *om. E cf. I, 211* 999 referas *A* referes *E correxi* 1001 parcant *A* parcam ς 1003 angui *E* igne vipereo *N. Heinsius adv. p. 411* angue vibrato *Peiperus* 1004 atras *A* aptas *Madvigius adv. II p. 126.* — pennas *A* 1005 flagrante *A* 1006 poscit Alcides *A* 1007 diva *A* dira sede sedere *E* 1008 dira *E* apertas *Gronovius* sedent. reclusas *Muellerus de re metr. p. 171* (*praestaret* sedere, apertas) Stygiique, *dira, c. v.* fores? *Birtius* 1009 detritus ς 1010 vectus *A*

quaerit relabi? membra quis quatitur rota?
hic ecce pallens dira Tisiphone stetit,
causam reposcit; parce verberibus precor,
Megaera, parce, sustine Stygias faces:
scelus est amoris. sed quid hoc? tellus labat
et aula tectis crepuit excussis — minax
unde iste coetus? totus in voltus meos
decurrit orbis, hinc et hinc populi fremunt
totusque poscit vindicem mundus suum.
iam parcite, urbes. quo fugam praeceps agam?
mors sola portus dabitur aerumnis meis.
testor nitentis flammeam Phoebi rotam
superosque testor: Herculem in terris adhuc
moritura linquo. HYL. Fugit attonita, ei mihi.
peracta iam pars matris est: statuit mori;
nunc nostra superest, mortis auferre impetum.
o misera pietas: si mori matrem vetas,
patri es scelestus; si mori pateris, tamen
in matre peccas — urget hinc illinc scelus.
inhibenda tamen est, verum ut eripiam scelus.

CHORVS

Verum est quod cecinit sacer
Thressae sub Rhodopes iugis
aptans Pieriam chelyn
Orpheus Calliopae genus,
aeternum fieri nihil.
illius stetit ad modos
torrentis rapidi fragor,
oblitusque sequi fugam
amisit liquor impetum;
et dum fluminibus mora est,
defecisse putant Getae

1011 praebet rotae *A* queritur rotae *E* *correxit Peiperus* (teritur rota *N. Heinsius adv. p. 414*) 1012 ecce patiens diratis siphone *E.* — tesiphone ς 1013 poposcit *A* 1016 creuit *E.* — excessit minax *A* 1017 vultus *codd.* 1018 premunt ς 1021 labitur E. — aerumnis locus *A* 1023 in *om. A* 1024 hei *A* 1025 est] et *E* 1029 peccas. surgit *A* peccas. urget *ex* pecca. surget *corr. 1 m. E.* — i. nefas *A* 1030 pergam et *A* verum et *E* *correxit B. Schmidtius obs. crit. p. 10* 1031 *ad finem cantici binos glyconeos coniungit singulorum initiis distinctis E* 1032 Rodope *E* (*cf. 1538*) 1033 a. pierian *E* tangens Threiciam *A.* — chelym *codd. correxit Gronovius* 1034 caliopae *E* 1038 fugas *A* 1041 Geten *A* (Getae *dativus*)

Hebrum Bistones ultimi.
advexit volucrem nemus
et silva residens venit:
aut si qua aera pervolat,
auditis vaga cantibus
ales deficiens cadit;
abrumpit scopulos Athos
Centauros obiter ferens
et iuxta Rhodopen stetit
laxata nive cantibus;
et quercum fugiens suam
ad vatem properat Dryas;
ad cantus veniunt tuos
ipsis cum latebris ferae,
iuxtaque inpavidum pecus
sedit Marmaricus leo
nec dammae trepidant lupos
et serpens latebras fugit,
tunc oblita veneni.
Quin per Taenarias fores
manes cum tacitos adit
maerentem feriens chelyn,
cantu Tartara flebili
et tristes Erebi deos
vicit nec timuit Stygis
iuratos superis lacus.
haesit non stabilis rota
victo languida turbine,
increvit Tityi iecur,
dum cantu volucres tenet;
audis tu quoque, navita:
inferni ratis aequoris
nullo remigio venit.
tunc primum Phrygius senex
undis stantibus immemor
excussit rabidam sitim
nec pomis adhibet manus.

1043 voluere *E* 1045 aere *E* 1048 abrupit *A* 1049 centaurus *E* 1050 Rhodope *A* 1051 lassatam *E* 1054 suos *A* suis ς 1055 ipsae *A* 1062 manes commonitos *A* 1063 chelym *codd. correxit Gronovius* 1066 movit *A* vidit *E* *correxit Bothius* 1071 cantus *A* 1072 audito quoque *codd. correxit Birtius Mus. Rhen. XXXIV p. 29* 1075 Stygius senex *E* 1077 excessit *E*

sic cum † inquirens inferos
Orpheus carmina funderet
et vinci lapis improbus
et vatem potuit sequi,
consumptos iterum deae
supplent Eurydices colus;
sed dum respicit immemor
nec credens sibi redditam
Orpheus Eurydicen sequi,
cantus praemia perdidit:
quae nata est iterum perit.
tunc, solamina cantibus
quaerens, flebilibus modis
haec Orpheus cecinit Getis:
* *
leges in superos datas,
et qui tempora digerit
quattuor praecipites deus
anni disposuit vices
* *
Nulli non avidi colus
Parcas stamina nectere,
quod natum est, quod erit, mori
vati credere Thracio
devictus iubet Hercules.
iam, iam legibus obrutis
mundo cum veniet dies,
australis polus obruet
quidquid per Libyam iacet
et sparsus Garamas tenet;
arctous polus obruet
quidquid subiacet axibus
et siccus Boreas ferit.
amisso trepidus polo
Titan excutiet diem.

1079 sed cum linqueret inferos | Orpheus carmina fundens *A*. *coniecí:* sic cum novit et inferos | Orpheus carmine figere (*ut apodosis a* consumptos *incipiat*) 1083 consumptas *A* 1085 et dum ς 1089 quonam est *E* 1092 *cantus Orphei et initium et finis intercidisse videtur* 1094—1096 *post v. 1109 posuit Rutgersius V. L. p. 93 sq.* 1094 digerens *A* 1095 quatuor praecipitis *A* *post* 1096 *lacunam agnovit Peiperus* 1097—1099 *cum sequentibus coniunxi* 1097 avidas polo *A* 1098 parcat *E*. — poterit mori *codd. correxit Birtius* 1102 regibus *E* 1104 obruit *E* 1107 arctos *E* 1110 amissum *A*

caeli regia concidens
ortus atque obitus trahet
atque omnes pariter deos
perdet mors aliqua et chaos,
et mors fata novissima
in se constituet sibi;
quis mundum capiet locus?
discedet via Tartari,
fractis ut pateat polis?
an quod dividit aethera
a terris spatium sat est
et mundi nimium malis?
quis tantum capiet (nefas)
fatum, quis superos locus?
pontum Tartara sidera
regna unus capiet tria.
Sed quis non modicus fragor
aures attonitas movet?
est est Herculeus sonus.

HERCVLES

Converte, Titan clare, anhelantes equos,
emitte noctem: pereat hic mundo dies
quo morior, atra nube inhorrescat polus;
obsta novercae. nunc, pater, caecum chaos
reddi decebat, hinc et hinc compagibus
ruptis uterque debuit frangi polus;
quid parcis astris? Herculem amittis, pater.
nunc partem in omnem, Iuppiter, specta poli,
ne quis Gyas Thessalica iaculetur iuga
et fiat Othrys pondus Encelado leve.
laxabit atri carceris iam iam fores
Pluton superbus, vincula excutiet patri
caelumque reddet. ille qui pro fulmine
tuisque facibus natus in terris eram,

1112 concidet *A* 1113 certos atque *A* 1114 omnis *E* 1117 constituit *E* 1119 discede *E* 1120 stratis ut *A* 1123 niveum est malis *E* 1125 fati ς fratrum qui *E*. — superis *codd. correxi* 1126 sidera tartara *A* 1133 moriar *A* 1134 noverca *E*. — caelo *E* tetrum ς 1135 et *om. E* 1137 austris *E*. — amittit *E* 1138 parte in omni *A*. — spectat *E* 1139 nec *E*. — gigas *codd. correxi* 1140 leve *i. ras. 1 m. E* levo *M* 1141 laxavit ς 1143 *om. E*. — caeloque ς 1144 erat *E*

ad Styga revertor: surget Enceladus ferox
mittetque quo nunc premitur in superos onus;
regnum omne, genitor, aetheris dubium tibi
mors nostra faciet — antequam spolium tui
caelum omne fiat, conde me tota, pater,
mundi ruina, frange quem perdis polum.

CHOR. Non vana times, nate Tonantis:
nunc Thessalicam Pelion Ossam
premet et Pindo congestus Athos
nemus aetheriis inseret astris;
vincet scopulos inde Typhoeus
et Tyrrhenam feret Inarimen;
feret Aetnaeos inde caminos
scindetque latus montis aperti
nondum Enceladus fulmine victus:
iam te caeli regna secuntur.

HERC. Ego qui relicta morte, contempta Styge
per media Lethes stagna cum spolio redi
quo paene lapsis excidit Titan equis,
ego quem deorum regna senserunt tria,
morior nec ullus per meum stridet latus
transmissus ensis, haut meae telum necis
est totus Othrys, non truci rictu gigans
Pindo cadaver obruit toto meum:
sine hoste vincor, quodque me torquet magis
(o misera virtus!) summus Alcidae dies
nullum malum prosternit, inpendo, ei mihi,
in nulla vitam facta. pro mundi arbiter
superique quondam dexterae testes meae,
pro cuncta tellus, Herculem vestrum placet
† morte ferire? dirus o nobis pudor,

saxum est nec instar montis abrupti latus 1167

1146 montemque quo *E* 1148 spolium tibi *E* 1149 c. o. faciat *E* 1150 premis polum *E* 1151 non una *E* 1152 iam Thessalica P. Ossa *A* 1156 tyrrheam *E* 1160 signa *A*. — sequuntur *E* sequentur *A* 1162 stadia ς 1163 quo poenae lassis *E* cum paene trepidis *A corr.* ς 1166 aut *EA corr.* ς 1167 *om. E* (lapis *Gronovii correctio est*) 1168 aut totus Othrys *A* est totus Athos *E*. — vultu gigas *A* 1172 inpende ei mihi *E* impendo male *A* 1173 vita *E* 1174 quondam dexterae quondam meae *E* 1175 Herculis vestri *A* 1176 mortem perire *A* morte hac perire *N. Heinsius adv. p. 453* morbo perire *Birtius* inertem obire *conieci* (perire inertem *Muellerus de re metr. p. 170*)

o turpe fatum — femina Herculeae necis
auctor feretur! morior Alcides quibus?
invicta si me cadere feminea manu
voluere fata perque tam turpes colus
mea mors cucurrit, cadere potuissem, ei mihi,
Iunonis odio: feminae caderem manu,
sed caelum habentis. si nimis, superi, fuit,
Scythico sub axe genita domuisset meas
vires Amazon — feminae cuius manu
Iunonis hostis vincor? hinc gravior tibi,
noverca, pudor est. quid diem hunc laetum vocas?
quid tale tellus genuit iratae tibi?
mortalis odia femina excessit tua.
adhuc ferebas esse te Alcidae imparem:
victa es duobus — pudeat irarum deos.
utinam meo cruore satiasset suos
Nemeaea rictus pestis aut centum anguibus
vallatus hydram tabe pavissem mea,
utinam fuissem praeda Centauris datus
aut inter umbras vinctus aeterno miser
saxo sederem! spolia nunc traxi ultima
Fato stupente, nunc ab inferna Styge
lucem recepi, Ditis evici moras —
ubique mors me fugit, ut leto inclitae
sortis carerem. pro ferae, victae ferae!
non me triformis sole conspecto canis
ad Styga revexit, non sub Hesperio polo
Hibera vicit turba pastoris feri,
non gemina serpens — perdidi mortem, ei mihi,
totiens honestam: titulus extremus quis est?

CHOR. Viden ut laudis conscia virtus
non Lethaeos horreat amnes?

1178 a. f. auctor A. q. *A* 1180 quodque *E* terque *A corr. ς.* — turpe scelus *E* turpes colos *A* 1181 potuissem mihi *A* potuisset mihi *E correxit Lipsius* 1182 feminae caderem minis *A correxit N. Heinsius p. 454* l. o. cadere potuissetm (*sic*) nimis *E* 1183 sed nimis *ς.* — superis *A* 1186 gravior tui *codd. correxit Gronovius* 1187 talem vocas *E* 1193 Nemea *codd. correxit Avantius* 1194 ydrae tabe patuisset meas *E* 1196 victus *EA corr. ς* 1197 cum traxi *codd. correxi* 1198 facto *E* 1199 lucis erui moras *E* 1200 me mors *A.* — inclito *A* 1201 mortis *E* fortis *A correxi.* — o ferae *codd. correxit Avantius.* — f. v. o ferae *A* 1202 iole conspectu *E* 1203 a stiga *E.* — reduxit *codd. correxi.* — esperio *E* 1205 perdidi *et mortem* michi *E* (hei *A*) 1207 videt ut laudes *E*

pudet auctoris, non morte dolet:
cupit extremum finire diem
vasta tumidi mole gigantis
et montiferum Titana pati
rabidaeque necem debere ferae.
sed tua causa est, miserande, manus,
quod nulla fera est nullusque gigas:
nam quis dignus necis Herculeae
superest auctor nisi dextra tui?

HERC. Heu qualis intus scorpios, quis fervida
plaga revulsus cancer infixus meas
urit medullas? sanguinis quondam capax
tumidi † iecur pulmonis arentes fibras
distendit, ardet felle siccato iecur
totumque lentus sanguinem avexit vapor.
primam cutem consumpsit, hinc aditum nefas
in membra fecit, abstulit pestis latus,
exedit artus penitus et costas malum,
hausit medullas: ossibus vacuis sedet;
nec ossa durant ipsa, sed compagibus
discussa ruptis mole conlapsa fluunt.
defecit ingens corpus et pesti satis
Herculea non sunt membra — pro quantum est malum
quod esse vastum fateor, o dirum nefas!
en cernite, urbes, cernite ex illo Hercule
quid iam supersit. Herculem agnoscis, pater?
hisne ego lacertis colla Nemeaei mali
elisa pressi? 'tensus hac arcus manu
astris ab ipsis detulit Stymphalidas?
his ego citatam gressibus vici feram
radiante clarum fronte gestantem caput?
his fracta Calpe manibus emisit fretum?

1211 v. t. morte g. *E* vasta pressus mole gigantum *A* 1212 mortiferum *E* monstriferum ς 1214 si tua *A*. — miseranda *codd. correxi* (venerande *Gronovius*). — maius *E* necis *A correxit Gronovius* 1215 est *om. E* 1216 iam *A* 1218 heu quis intus scorpius *A* 1219 p. reversus *A* 1221 tumidi cor en *N. Heinsius adv. p. 275 coniecit:* tumet igne cor, p. 1223 sanguine vexat *E* 1224 aditus *A* 1225 abstulit costis iecur *A* 1226 totas malum *A* 1228 ossa d. ossa sed *E* 1230 pestis at est *E* 1233 incernite *E* 1234 iam *om. E.* — agnoscit *E* 1235 colla nemeae mala *E* spolia nemei mali *A corr.* ς 1237 depulit *E* 1239 radiata *E* 1240 h. f. carpent *E.* — elisit *A* elisi *E correxit Gronovius.* — fretum *ex* ferum *1 m. E*

his tot ferae, tot scelera, tot reges iacent?
his mundus umeris sedit? haec moles mea est,
haecne illa cervix? hasne ego opposui manus
caelo ruenti? quis mea custos manu
trahetur ultra Stygius? ubi vires prius
memet sepultae? quid patrem appello Iovem?
quid per Tonantem vindico caelum miser?
iam, iam meus credetur Amphitryon pater.
quaecumque pestis viscere in nostro lates,
procede — quid me vulnere occulto petis?
quis te sub axe frigido pontus Scythes,
quae pigra Tethys genuit aut Maurum premens
Hibera Calpe litus? o dirum malum!
utrumne serpens squalidum crista caput
vibrans an aliquod et mihi ignotum malum,
numquid cruore es genita Lernaeae ferae
an te reliquit Stygius in terris canis?
omne es malum nullumque — quis voltus tibi est?
concede saltem scire quo peream malo;
quaecumque pestis sive quaecumque es fera,
palam timere! quis tibi in medias locum
fecit medullas? ecce direpta cute
viscera manus detexit; ulterior tamen
inventa latebra est — o malum simile Herculi!
unde iste fletus? unde in has lacrimae genas?
invictus olim voltus et numquam malis
lacrimas suis praebere consuetus (pudet)
iam flere didicit. quis dies fletum Herculis,
quae terra vidit? siccus aerumnas tuli.
tibi illa virtus, quae tot elisit mala,
tibi cessit uni; prima et ante omnes mihi
fletum abstulisti: durior saxo horrido
et chalybe voltus et vaga Symplegade

1242 mei est *A* 1243 has ego *A* 1244 cuius o custos *A* 1245 ubi] o *A* 1246 in me sepultae *codd. correxit Gronovius* 1247 caelum mihi *A* 1249 visceribus in nostris *E* 1251 quis me *E* 1252 meruit aut M. trahens *E* 1253 eraclia penitus? o *E* 1254 virumne serpens squalido cristam caput *E* 1255 *om. E.* — est mihi *A correxit Gruterus* 1256 cruoris genita L. ferens *E* 1257 requirit *E* 1258 o. est *EA corr.* ς 1259 concede saltem scire me malum *sic E* 1260 pestis saeva *A* 1261 timeri *E* timeres *A correxit de Wilamowitz* 1264 latebra est. esto malum. simul et herculi *E* 1265 unde has lacrimas gerit *E* 1266 magis *E* 1267 consuerit pudis *E* 1270 *om. E* 1273 vagas tymphalida *E*

rictus meos infregit et lacrimam expulit.
flentem gementem, summe pro rector poli,
me terra vidit, quodque me torquet magis,
noverca vidit. urit ecce iterum fibras,
incaluit ardor — unde nunc fulmen mihi?

CHOR. Quid non possit superare dolor?
quondam Getico durior Haemo
nec Parrhasio lenior axe
saevo cessit membra dolori
fessumque movens per colla caput
latus alterno pondere flectit,
fletum virtus saepe resorbet.
sic arctoas laxare nives
quamvis tepido sidere Titan
non tamen audet vincitque faces
solis adusti glaciale iubar.

HERC. Converte voltus ad meas clades, pater:
numquam ad tuas confugit Alcides manus,
non cum per artus hydra fecundum meos
caput explicaret; inter infernos lacus
possessus atra nocte cum Fato steti
nec invocavi; tot feras vici horridas,
reges, tyrannos, nec tamen voltus meos
in astra torsi: semper haec nobis manus
votum spopondit; nulla propter me sacro
micuere caelo fulmina — hic aliquid dies
optare iussit. primus audierit preces
idemque summus: unicum fulmen peto;
giganta crede: non minus caelum mihi
asserere potui — dum patrem verum puto,
caelo peperci. sive crudelis, pater,
sive es misericors, commoda nato manum
properante morte et occupa hanc laudem tibi.
vel si piget manusque detrectat nefas,
emitte Siculo vertice ardentes, pater,
Titanas in me, qui manu Pindon ferant

1274 lacrimas *E*. — extulit *A* 1275 protector *A* prospector *ς* 1281 parnasio *Eς*. — lentior *codd. correxit D. Heinsius* 1282 laevo *E* 1283 movet *E* 1285 resolvit *A* 1290 *scaenae inscribitur* Hercules. Alcmena 1296 non tamen *A* 1300 audieris *E* 1302 verum mihi *A* 1306 propera ante mortem *A* 1309 qui manu Pindum ferant *A* qui manus Pindo ferat *E*

† aut Ossa qui me monte proiecto opprimat.
abrumpat Erebi claustra, me stricto petat
Bellona ferro; mitte Gradivum trucem,
armetur in me dirus: est frater quidem,
sed ex noverca. tu quoque, Alcidae soror
tantum ex parente, cuspidem in fratrem tuum
iaculare, Pallas. supplices tendo manus
ad te, noverca: sparge tu saltem, precor,
telum (perire feminae possum manu)
iam fracta, iam satiata — quid pascis minas?
quid quaeris ultra? supplicem Alciden vides,
et nulla tellus, nulla me vidit fera
te deprecantem. nunc mihi irata † pater
opus est noverca — nunc tuus cessat dolor?
nunc odia ponis? parcis ubi votum est mori.
o terra et urbes, non facem quisquam Herculi,
non arma tradet? tela subtrahitis mihi?
ita nulla saevas terra concipiat feras
post me sepultum nec meas umquam manus
imploret orbis, si qua nascentur mala,
† nascetur odium: undique infelix caput
mactate saxis, vincite aerumnas meas.
ingrate cessas orbis? excidimus tibi?
adhuc malis ferisque suppositus fores,
ni me tulisses. vindicem vestrum malis
eripite, populi: tempus hoc vobis datur
pensare merita — mors erit pretium omnium.

ALCMENA

Quas misera terras mater Alcidae petam?
ubi natus, ubinam? certa si visus notat,
reclinis ecce corde anhelante aestuat;
gemit: peractum est. membra conplecti ultima,
o nate, liceat, spiritus fugiens meo

1310 aut te Ossa *A*. — proscripto opprimat *E* proiecto opprimant *A*. Otonve qui me *de Wilamowitz; conieci:* Ossamque, ut in me m. p. opprimar 1311 abrumpe et Erebi *A* 1318 possim ς 1320 Alcidem *EA corr.* ς 1322 te te precantem *A* te de precante *E*. — irata quidem *A conieci:* irata ac fera 1323 num *E* 1324 num *ex* nom *1 m. E* 1325 terrae *A* 1328 sepulto *E* 1329 nascetur fera *A* 1330 nascatur alius *A conieci:* nascatur opifer 1331 mactare *E* 1334 vestris *E* 1335 excipite *A* 1336 pensate *A* 1338 ubi intus *E*. — *ubinam* est *A* 1339 reclivis ς. — anhelanti *A*

legatur ore: bracchia, amplexus cape.
ubi membra sunt? ubi illa quae mundum tulit
stelligera cervix? quis tibi exiguam tui
partem reliquit? HERC. Herculem spectas quidem,
mater, sed umbram et vile nescio quid mei.
agnosce, mater — ora quid flectis retro
voltumque mergis? Herculem dici tuum
partum erubescis? ALCM. Quis feram mundus novam,
quae terra genuit? quodve tam dirum nefas
de te triumphat? victor Herculeus quis est?
HERC. Nuptae iacentem cernis Alciden dolis.
ALCM. Quis tantus est qui vincat Alciden dolus?
HERC. Quicumque, mater, feminae iratae sat est.
ALCM. Et unde in artus pestis aut ossa incidit?
HERC. Aditum venenis palla femineis dedit.
ALCM. Vbinam ista palla est? membra nudata intuor.
HERC. Consumpta mecum est. ALCM. Tantane inventa est lues?
HERC. Errare mediis crede visceribus meis,
o mater, hydram et mille cum Lerna feras.
quae tanta nubes flamma Sicanias secat,
quae Lemnos ardens, quae plaga igniferi poli
vetans flagranti currere in zona diem?
in ipsa me iactate, pro comites, freta
mediosque in amnes — quis sat est Hister mihi?
non ipse terris maior Oceanus meos
franget vapores, omnis in nostris malis
deficiet umor, omnis arescet latex.
quid, rector Erebi, me remittebas Iovi?
decuit tenere; redde me tenebris tuis,
talem subactis Herculem ostende inferis.
nil inde ducam, quid times iterum Herculem?
invade, mors, non trepida: iam possum mori.
ALCM. Compesce lacrimas saltem et aerumnas doma

1342 brachia et amplexus *E* bracchia in amplexus *A* *correxit Richterus* 1344 tui: i *ex* a *1 m. E* 1345 *inter* reliquid *et* HERC. *proprio versu legitur* quis feram mundus novam? *E* (*v. 1349*) 1346 umbrae simile n. q. m. *A* 1348 vultumque mergis *E* vultumque maerens *A* 1349 *sic E* (*cf. ad v. 1345*) 1350 quodque *E* 1354 cuicumque mater femina irata sat est *E* 1355 at unde *A* 1356 feminea *E* 1357 ipsa *A* 1359 credo *A* 1361 Sicania secat *E* Sicanias bibit *A* 1362 inferni poli *A* 1363 vetat *E* 1365 qui *E* 1370 teneri *E* 1371 qualem s. h. ostendes *E* 1372 nichil inducam *E* 1373 ne trepida *E* 1374 erumpna *E*

malisque tantis Herculem indomitum refer
mortemque differ: quos soles vince inferos.
HERC. Si me catenis horridus vinctum suis
praeberet avidae Caucasus volucri dapem,
Scythia gemente flebilis gemitus mihi
non extitisset; si vagae Symplegades
utraque premerent rupe, redeuntes † minas
ferrem ruinas; Pindus incumbat mihi
atque Haemus et qui Thracios fluctus Athos
frangit Iovisque fulmen excipiens Mimas:
non ipse si in me, mater, hic mundus ruat
superque nostros flagret incensus toros
Phoebeus axis, degener mentem Herculis
clamor domaret; mille decurrant ferae
pariterque lacerent, hinc feris clangoribus
aetheria me Stymphalis, hinc taurus minax
cervice tota pulset et quidquid fuit
solum quoque ingens; surgat hinc illinc nemus
artusque nostros durus immittat Sinis:
sparsus silebo — non ferae excutient mihi,
non arma gemitus, nil quod impelli potest.
ALCM. Non virus artus, nate, femineum coquit,
sed dura series operis et longus tibi
pavit cruentos forsitan morbos labor.
HERC. Vbi morbus, ubinam est? estne adhuc aliquid mali
in orbe mecum? veniat, huc aliquis mihi
intendat arcus — nuda sufficiet manus.
procedat agedum huc. ALCM. Ei mihi, sensum quoque
excussit ille nimius impulsans dolor.
removete quaeso tela et infestas precor
rapite hinc sagittas: igne suffuso genae

1376 m. vince *A*. — quod *EA corr.* ς 1378 p. alique casus *E* 1379 Scithe gementem *E* 1381 utreque *E* utrimque *A corr.* ς. — rupes ς. — redeuntis *A*. — minas] *fort.* silens 1382 ruinae *A* 1384 frangit tonantis fulmen excipiens Iovis *A* f. Iovisque fulmen excutiens minas *E correxit Lipsius* 1386 rogos *A* 1389 fera *E* 1392 illinc fremens *A* solum quoque urgeat hinc et illinc nemus *E* 1393 cinis *E correxit Gronovius* a. n. dirus imminuat dolor *A* 1395 nichil *E* 1396 quoquit *E* 1397 s. durus serpens ς. — tibi *om. E* 1398 cruentis *E correxit Gronovius* favet cruentis forsitan morbis dolor *A* 1399 desine adhuc aliquod mali *E correxit Gronovius* ubi mors, ubi illa? testis est aliquis mali? *A* 1400. 1401 *inverso ordine A* 1400 mecum *om.* ς 1402 huc *addidit Avantius, om. codd.* — et mihi ς. — sensus *A* 1403 *excussus* ς. — impulsus *A* 1405 suffusae ς

scelus minantur; quas petam latebras anus?
dolor iste furor est: Herculem solus domat.
cur deinde latebras aut fugam vaecors petam?
obire forti meruit Alcmene manu:
vel scelere pereat, antequam letum mihi
ignavus aliquis mandat ac turpis manus
de me triumphat. ecce lassatus malis
sopore fessas alligat venas dolor
gravique anhelum pectus impulsu quatit.
favete, superi. si mihi natum inclutum
miserae negastis, vindicem saltem precor
servate terris. abeat excussus dolor
corpusque vires reparet Herculeum suas.

HYLLVS

Pro lux acerba, pro capax scelerum dies!
nurus Tonantis occidit, natus iacet,
nepos supersum; scelere materno hic perit,
fraude illa capta est — quis per annorum vices
totoque in aevo poterit aerumnas senex
referre tantas? unus eripuit dies
parentem utrumque; cetera ut sileam mala
parcamque fatis: Herculem amitto patrem.
ALCM. Compesce voces, inclutum Alcidae genus
miseraeque fato similis Alcmenae nepos:
longus dolorem forsitan vincet sopor.
sed ecce, lassam deserit mentem quies
redditque morbo corpus et luctum mihi.
HERC. Quid hoc? rigenti cernitur Trachin iugo
aut inter astra positus evasi genus
mortale tandem? quis mihi caelum parat?
te te, pater, iam video, placatam quoque
specto novercam. quis sonus nostras ferit
caelestis aures? Iuno me generum vocat.

1406 quas etiam *E* ***correxit Gronovius*** s. m. qua fuga latebras petam *A* 1407 solus Herculem *EA corr.* ς 1408 c. d. lacrimas *A* 1409 meminit *A*. — Alcmena *E* 1410 ut sc. *E* 1411 mandet *A* 1412 triumphet *A* 1413 sopor *E* 1414 g. anhelo p. impulsum q. *A* 1415 inclutae *E* 1416 negatis *A* 1417 *om. E* 1418 H. nefas *E* ***scaenae inscribitur*** Hyllus Alcmena Hercules (***addendum erat*** Philoctetes tacitus ***sic Peiperus***) 1419 scelerum dolor *A* 1424 tanta se unus *E*. — eripiet *A* 1428 m. nato ς 1431 reditque ς. — luctus *A* 1432 trachio *E* 1433 aut *vel* at *vel* et ς(*A*) *om. E*

video nitentem regiam clari aetheris
Phoebique tritam flammea zonam rota.
quid hoc? quis arcem cludit et ab ipsis, pater,
deducit astris? ora Phoebeus modo
afflabat axis, iam prope a caelo fui —
Trachina video; quis mihi terras dedit?
cubile video Noctis; hinc tenebrae vocant.
Oete modo infra steterat ac totus fuit
suppositus orbis; quam bene excideras, dolor!
cogis fateri — parce et hanc vocem occupa.
hoc, Hylle, dona matris hoc munus parant.
utinam liceret stipite ingesto impiam
effringere animam quale Amazonium malum
circa nivalis Caucasi domui latus.
o cara Megara, tune cum furerem mihi
coniunx fuisti? stipitem atque arcus date,
dextra inquinetur, laudibus maculam imprimam,
summus legatur femina Herculeus labor.
HYL. Compesce diras, genitor, irarum minas;
habet, peractum est, quas petis poenas dedit:
sua perempta dextera mater iacet.
HERC. Relicte dolor es: manibus irati Herculis
occidere meruit; perdidit comitem Lichas.
saevire in ipsum corpus exanime impetus
atque ira cogit. cur minis nostris caret
ipsum cadaver? pabulum accipiant ferae.
HYL. Plus misera laeso doluit: hinc aliquid quoque
detrahere velles; occidit dextra sua,
tuo dolore: plura quam poscis tulit.
sed non cruentae sceleribus nuptae iaces
nec fraude matris: Nessus hos struxit dolos
ictus sagittis qui tuis vitam expuit.

1438. 39 *om. E* 1440 *post v. 1444 collocavi.* — tenebras vocat *A* 1441 quis hoc ς. — axem cludit *codd. correxit Peiperus.* — et *om. E* 1442 deducor *A* 1443 afflavat *E.* — tam prope a leto fui *A* 1445 modo nempe me infra steterat ac totus mihi (me *om.* ς) *A* Oetee modo inferas te peracto. tutus fuit *E correxit Gronovius* 1446 tam *codd. correxit Peiperus* 1448 haec *A.* — ille *E.* — parat *codd. correxi* 1450 malo *E* 1451 nivales *E* 1452 clara *codd. correxit N. Heinsius adv. p. 285.* — megera *EA corr.* ς. — tum cum *E* 1454 laudibus macula menbris *E* 1459 caeci dolores *A* recte dolor es *E correxi* 1460 perdidi comitem Licha *E* 1464 huic ς. — quodque *E* 1465 dextera *E* 1466 dolori *E* 1469 *om. E.* — extulit *A* expulit ς *correxit Delrio*

cruore tincta est palla semiferi, pater,
Nessusque nunc has exigit poenas sibi.
HERC. Habet, peractum est, fata se nostra explicant;
lux ista summa est: quercus hanc sortem mihi
fatidica quondam dederat et Parnassio
Cirrhaea quatiens templa mugitu specus:
'dextra perempti victor, Alcide, viri
olim iacebis; hic tibi emenso freta
terrasque et umbras finis extremus datur.'
nil querimur ultra: decuit hunc finem dari,
ne quis superstes Herculis victor foret.
nunc mors legatur clara memoranda incluta,
me digna prorsus. nobilem hunc faciam diem.
caedatur omnis silva et Oetaeum nemus
conripite, ut ingens Herculem accipiat rogus,
sed ante mortem. tu, genus Poeantium,
hoc triste nobis, iuvenis, officium appara;
Herculea totum flamma succendat diem.
ad te preces nunc, Hylle, supremas fero.
est clara captas inter, in voltu genus
regnumque referens, Euryto virgo edita
Iole: tuis hanc facibus et thalamis para.
victor cruentus abstuli patriam lares
nihilque miserae praeter Alciden dedi:
et ipse rapitur. penset aerumnas suas,
Iovis nepotem foveat et natum Herculis;
tibi illa pariat quidquid ex nobis habet.
tuque ipsa planctus pone funereos, precor,
o clara genetrix: vivit Alcides tibi.
virtute nostra paelicem feci tuam
credi novercam. sive nascente Hercule
nox illa certa est sive mortalis meus
pater est — licet sit falsa progenies mei,

materna culpa cesset et crimen Iovis

1471 *Herculi datur* ς 1472 habet pater. actum est *E*. — nostra se *A* 1473 summam mihi *E* 1475 patiens *E*. — mugitu nemus *codd. correxit N. Heinsius adv. p. 286* 1476 dextera perhemptus v. Alcides *E* 1479 nichil *E*. — dare *E* 1480 Herculi *E* 1484 concipiat ignes *E* suscipiat ignem *A correxi*. — acc. nemus *E* 1485 te *E* 1488—1491 *Alcmenae tribuit E* 1488 ioles suppremas *E* 1489 incultum genus *A* incultas g. ς 1491 flammis para *A* 1492 patrio a lare *A* 1494 ipsa *E* iste *A corr.* ς 1497 funebres *A* 1498 vivet Alcides tuus *A* 1500 nascentem Herculem *E* 1501 non illa *A* 1502 progenies mihi *A* 1503 *om. E*

merui parentem: contuli caelo decus
materque me concepit in laudes Iovis.
quin ipse, quamquam Iuppiter, credi meus
pater esse gaudet; parce iam lacrimis, parens:
superba matres inter Argolicas eris.
quid tale Iuno genuit aetherium gerens
sceptrum et Tonanti nupta? mortali tamen
caelum tenens invidit, Alciden suum
dici esse voluit. perage nunc, Titan, vices
solus relictus: ille qui vester comes
ubique fueram, Tartara et manes peto.
hanc tamen ad imos perferam laudem inclutam,
quod nulla pestis fudit Alciden palam
omnemque pestem vicit Alcides palam.

CHORVS

O decus mundi, radiate Titan,
cuius ad primos Hecate vapores
lassa nocturnae levat ora bigae:
dic sub Aurora positis Sabaeis,
dic sub occasu positis Hiberis,
quique sub plaustro patiuntur ursae
quique ferventi quatiuntur axe,
dic sub aeternos properare manes
Herculem et regnum canis inquieti,
† unde non numquam remeavit inde.
sume quos nubes radios sequantur,
pallidus maestas speculare terras
et caput turpes nebulae pererrent.
quando, pro Titan, ubi, quo sub axe
Herculem in terris alium sequeris?
quas manus orbis miser invocabit,
si qua sub Lerna numerosa pestis
sparget in centum rabiem dracones,
Arcadum si quis populis vetustis
fecerit silvas aper inquietas,

1505 natumque me *E* natura me *A* *correxi* 1506 quam Iuppiter *E* 1507 lacrimis meis *A* 1509 Iuno peperit *A* 1516 pestis vicit *A* 1517 omemque *E* 1520 laxa n. flebat *E* 1523. 1524 *inverso ordine A* 1524 quique ferventem patiuntur axem *A* 1525 dic ad a. *A* 1527 u. non umquam r. ullus *A*; *conieci:* denuo numquam remeabit inde 1531 ubi quove summe *A* 1533 invocabis *A* 1534 sub terra *A* 1535 sparget intentam rabiem draconis *A* 1536 populi *vetusti A* populis vetustas *E* *correxit Gronovius*

Thraciae si quis Rhodopes alumnus
durior terris Helices nivosae
sparget humano stabulum cruore?
quis dabit pacem populo timenti,
si quid irati superi per orbem
iusserint nasci? iacet omnibus par,
quem parem tellus genuit Tonanti.
planctus immensas resonet per urbes
et comas nullo cohibente nodo
feminae exertos feriant lacertos,
solaque obductis foribus deorum
templa securae pateant novercae.
Vadis ad Lethen Stygiumque litus,
unde te nullae referent carinae;
vadis ad manes miserandus, unde
Morte devicta tuleras triumphum,
umbra nudatis veniens lacertis
languido vultu tenuique collo;
teque non solum feret illa puppis
* *
non tamen viles eris inter umbras:
Aeacos inter geminosque Cretas
facta discernens, feriens tyrannos.
parcite, o dites, inhibete dextras:
laudis est purum tenuisse ferrum,
cumque regnabas, minus in procellis
in tuas urbes licuisse fatis.
Sed locum virtus habet inter astra.
sedis arctoae spatium tenebis
an graves Titan ubi promit aestus?
an sub occasu tepido nitebis,
unde commisso resonare ponto
audies Calpen? loca quae sereni
deprimes caeli? quis erit recepto
tutus Alcide locus inter astra?

1540 spargit *A* 1542 per urbes *codd. correxi* 1543 iusserunt *E* 1545 intensas *vel* intensus ς 1547 femina e. feriat *A* 1554 venies *A* 1555 trepidoque *A* *post* 1556 *lacunam notavit Peiperus. quae tali sententia suppleatur:* [quae tulit solum metuitque mergi] *cf. Hf.* 775 1557 vilis *E* 1558 Aeacosque *A* Aeacumque ς 1559 fata discernes. fieri tyranni *A* 1560 o duces *E* 1562 dumque regnabas minimum cruentis *A* 1563 factis ς 1564—1606 *om. E; locus fort. spurius* (*cf. v. 1564* sed, *v. 1578, 1586* quiescant, *1592* impensum, *1600* magis, *1604* tulit) 1566 gravis Σ*A corr.* ς 1568 resonante Σ 1570 recepti Σ*A* corr. ς

horrido tantum procul a leone
det pater sedes calidoque cancro,
ne tuo vultu tremefacta leges
astra conturbent trepidetque Titan.
vere dum flores venient tepenti
et comam silvis hiemes recident,
vel comam silvis revocabit aestas
pomaque autumno fugiente cedent,
nulla te terris rapiet vetustas:
tu comes Phoebo, comes ibis astris.
ante nascetur seges in profundo
vel fretum dulci resonabit unda,
ante descendet glacialis ursae
sidus et ponto vetito fruetur,
quam tuas laudes populi quiescant.
te, pater rerum, miseri precamur:
nulla nascatur fera, nulla pestis,
non duces saevos miseranda tellus
horreat, nulla dominetur aula
qui putet solum decus esse regni
semper impensum tenuisse ferrum;
si quid in terris iterum timetur,
vindicem terrae petimus relictae.
Heu quid hoc? mundus sonat. ecce maeret,
maeret Alciden pater; an deorum
clamor, an vox est timidae novercae?
Hercule an viso fugit astra Iuno?
passus an pondus titubavit Atlas?
an magis diri tremuere manes
Herculem et visum canis inferorum
fugit abruptis trepidus catenis?
fallimur: laeto venit ecce voltu
quem tulit Poeans umerisque tela
gestat et notas populis pharetras,
Herculis heres.

Effare casus, iuvenis, Herculeos precor
voltuque quonam tulerit Alcides necem.

1576 veniunt *Mς* veniet *N* 1577 recidunt ς 1578. 1579 *om. M* 1584 discedet *ΣA corr.* ς 1590 habeat nec ulla *A* habeatne ulla *Σ correxit Lipsius* 1591 qui potest *ΣA corr.* ς 1595 en ς. — maeret *om. Σς* 1599 lassus *ΣA corr.* ς 1604 humilisque *Σς* 1607 *scaenae inscribitur* Chorus Nuntius *E* Nutrix Philoctetes *A* (*sic per totam scaenam*) 1608 voltune *E*

NVNTIVS

Quo nemo vitam.
CHOR. Laetus adeone ultimos
invasit ignes? NVNT. Esse iam flammas nihil
ostendit ille. quid sub hoc mundo Hercules
immune vinci liquit? en domita omnia.
CHOR. Inter vapores quis fuit forti locus?
NVNT. Quod unum in orbe vicerat nondum malum,
et flamma victa est; haec quoque accessit feris:
inter labores ignis Herculeos abit.
CHOR. Edissere agedum, flamma quo victa est modo?
NVNT. Vt omnis Oeten maesta corripuit manus,
huic fagus umbras perdit et toto iacet
succissa trunco, flectit hic pinum ferox
astris minantem et nube de media vocat:
ruitura cautem movit et silvam tulit
secum minorem. Chaonis qualis loquax
stat vasta late quercus et Phoebum vetat
ultraque totos porrigit ramos manus;
gemit illa multo volnere impresso minax
frangitque cuneos, resilit incussus chalybs
volnusque ferrum patitur et rigidum est parum.
commota tandem cum cadens latam sui
duxit ruinam, protinus radios locus
admisit omnes: sedibus pulsae suis
volucres pererrant nemore succiso diem
quaeruntque lassis garrulae pinnis domus.
iamque omnis arbor sonuit et sacrae quoque
sensere quercus horridam ferro manum
nullique priscum profuit luco nemus;
aggeritur omnis silva et alternae trabes
in astra tollunt Herculi angustum rogum:

1610 tam *E* 1611 qui sub occasu Hercules *A* qui sub hoc mundo Herculis *E* *correxi* 1612 virtute vinci indomita docuit omnia *A* 1614 orbem *E*. — venerat *A* 1619 hic *E* hinc *A* *correxit Gronovius*. — tota ς 1620 flexit hinc *A* 1622 cautes movit et silvam trahit *A* 1623 quondam loquax *codd. correxi* 1624 stat lata vasti *A*. — et poenas vocat *E* 1625 ramos nemus *A* 1626 vulnere *EA* 1627 excussus *A* 1628 patitur et truncum fugit *A* patitur frigidus parum *E* *correxit Bothius* (ut rigidum parum *Gronovius*) 1629 tandem est tum (tunc) *A* tandem tum *E* *correxi*. — candens l. s. *E* cadens lenta mora *A* 1631 omnis *E* 1632 succiso domus *A* 1633 pinnis nemus *AE* *corr.* ς 1636 ligno nemus *A* 1637 aeternae *E* 1638 augustum *A* anguste *E* *corr.* ς

raptura flammas pinus et robur tenax
et brevior ilex silva; sed complet rogum
populea silva, frontis Herculeae decus.
at ille, ut ingens nemore sub Nasamonio
aegro reclinis pectore immugit leo,
fertur — quis illum credat ad flammas rapi?
voltus petentis astra, non ignes erat,
ut pressit Oeten ac suis oculis rogum
lustravit omnem. fregit impositus trabes.
arcus poposcit. 'accipe haec' inquit, 'sate
Poeante, dona et munus Alcidae cape.
has hydra sensit, his iacent Stymphalides
et quidquid aliud eminus vici malum.
† victrice felix, iuvenis, has numquam irritas
mittes in hostem; sive de media voles
auferre volucres nube, descendent aves
et certa praedae tela de caelo fluent,
nec fallet umquam dexteram hic arcus tuam:
librare tela didicit et certam dare
fugam sagittis, ipsa non fallunt iter
emissa nervo tela; tu tantum precor
accommoda ignes et facem extremam mihi.
hic nodus' inquit 'nulla quem cepit manus,
mecum per ignes flagret; hoc telum Herculem
tantum sequetur. hoc quoque acciperes' ait
'si ferre posses. adiuvet domini rogum.'
tum rigida secum spolia Nemeaei mali
arsura poscit; latuit in spolio rogus.
ingemuit omnis turba nec lacrimas dolor
cuiquam remisit. mater in luctum furens
diduxit avidum pectus atque utero tenus

1639 rapit alta flammas *A* rapitque fl. ς rapitura fl. *E* *correxit N. Heinsius adv. p. 299* 1640 silva contexit pyram *A* silva se complet rogo *E* *correxit Bothius* (*qui scripsit* rogos) 1641 frondis herculeae (esculeae ς) nemus *AE* *correxit N. Heinsius l. s.* 1642 nassa monio *E* 1643 agere reclinis *E* aeger reclivi *A* *correxi.* — admugit *A* 1645 erant *A* 1647 omnes *A* 1648 arcumque poscit *A* 1650 sensit *ex* sentit *1 m. E* 1652 victrice f. *E* victure felix. has enim numquam irritas *A* virtute f. ς *sententia videtur per* sive *incohata fuisse* (*e. g.* sive eris in acie) 1653 hostes *A.* — si de *E* si vel e *Birtius* 1655 praeda *E* praedam *A* *correxit Gronovius.* — ferent *A* 1659 tela nervo *E* 1660 accomoda ignem *E* 1661 capiet *A* 1662 per ignem ς periacet ς. — hoc telum sequar (sequax) *A* 1663 nam cur sequatur (sequetur) *A.* — hunc *A* 1664 regum *E* 1665 nemaei *EA* *correxit Avantius* 1669 deduxit *E.* — avidum *ex* avido *1 m. E*

exerta vastos ubera in planctus ferit,
superosque et ipsum vocibus pulsans Iovem
implevit omnem voce feminea locum.
'deforme letum, mater, Herculeum facis,
compesce lacrimas' inquit, 'introrsus dolor
femineus abeat; Iuno cur laetum diem
te flente ducat? paelicis gaudet suae
spectare lacrimas. comprime infirmum iecur,
mater: nefas est ubera atque uterum tibi
laniare, qui me genuit.' et dirum fremens,
qualis per urbes duxit Argolicas canem,
cum victor Erebi Dite contempto redit
tremente fato, talis incubuit rogo.
quis sic triumphans laetus in curru stetit
victor? quis illo gentibus voltu dedit
leges tyrannus? quanta pax habitum tulit!
haesere lacrimae, cecidit impulsus dolor
nobis quoque ipsis, nemo periturum ingemit:
iam flere pudor est; ipsa quam sexus iubet
maerere, siccis haesit Alcmene genis
stetitque nato paene iam similis parens.
CHOR. Nullasne in astra misit ad superos preces
arsurus aut in vota respexit Iovem?
NVNT. Iacuit sui securus et caelum intuens
quaesivit oculis, parte an ex aliqua pater
despiceret illum. tum manus tendens ait:
'quacumque parte prospicis natum pater
(iste est pater, cui nocte commissa dies
quievit unus), si meas laudes canit
utrumque Phoebi litus et Scythiae genus
et omnis ardens ora quam torret dies,
si pace tellus plena, si nullae gemunt
urbes nec aras impias quisquam inquinat,
si scelera desunt, spiritum admitte hunc precor
in astra. non me mortis infernae locus

1670 vasto verbera in plactus furit *E* 1677 contine firmum ς 1679 me *om. E* 1680 urbem *E* 1682 tremente *ex* tremento *1 m. E* 1684 vultu *EA* 1685 obitus *A* obitum ς 1686 expulsus *A* 1687 morituro ingemit *A* puerum ingemit *E correxit N. Heinsius adv. p. 302* 1691 aut sup. *A* 1692 arsurus *om. E.* 1694 arce *codd. correxi* 1696 *om. E* 1697 te te pater *E.* — quem n. c. d. | quaesivit unus *codd. correxi* 1698 canis *E* 1699 *om. E* 1700 omnis amens ore qui *E* 1701 parce *E* 1703 admitti *A* amitte *E correxit Gronovius* 1704 nec me *A*

nec maesta nigri regna conterrent Iovis,
sed ire ad illos umbra, quos vici, deos,
pater, erubesco. nube discussa diem
pande, ut deorum voltus ardentem Herculem
spectet; licet tu sidera et mundum neges,
ultro, pater, cogere: si voces dolor
abstulerit ullas, pande tum Stygios lacus
et redde fatis; approba natum prius:
ut dignus astris videar, hic faciet dies.
leve est quod actum est; Herculem hic, genitor, dies
inveniet aut damnabit.' haec postquam edidit,
flammas poposcit. 'hoc age, Alcidae comes
non segnis' inquit 'corripe Oetaeam facem.
quid dextra tremuit? num manus pavida impium
scelus refugit? redde iam pharetras mihi,
ignave iners inermis — en nostros manus
quae tendat arcus! quid sedet pallor genis?
animo faces invade quo Alciden vides
voltu iacere. respice arsurum, miser.
vocat ecce iam me genitor et pandit polos;
venio, pater.' voltusque non idem fuit.
tremente pinum dextera ardentem impulit.
refugit ignis et reluctantur faces
et membra vitant, sed recedentem Hercules
insequitur ignem. Caucasum aut Pindum aut Athon
ardere credas: nullus erumpit sonus,
tantum ingemescit ignis. o durum iecur!
Typhon in illo positus immanis rogo

---

noverca cernat quo feram flammas modo

1708 pa ut *5 litterar. spatio relicto E 1 m.; spatium sic:* parere ut *explevit manus vetustatis speciem adfectans eadem quae scholia nunc detersa adscripsit (s. XIV)* 1709 licet *om. E* 1710 V cogere *vacuo 12 litt. spatio E* 1711 At it (*vacuo 10 litterar. spatio*) ulla tange tunc *E 1 m.; unde idem corrector effecit:* abstulerit ullas pande tamen 1714 Herculem genitor prius *A* 1715 invenit an damnavit. hoc postquam (postque ς) addidit *A* 1716 *om. E* (*post v. 1718 posuit Gronovius*) 1718 oetaean *E* 1719 pavidum et impium *E* 1721 en] est *A* 1722 quis *A* 1724 iacere: m *scr. sup.* r *1 m. E.* — respice – genitor *om. E* 1725 rogat ecce *A.* — pandit deos *E. in mg. 1 m. ascripsit:* vocat ecce me genitor et pandit deos *E* 1726 venio venio p. vultusque *E* 1727 trementem *E.* — impuli *A* 1728 luctantur *E* 1729 vitat *E* 1730 athom *E* 1731 ardere cernas *n. irrumpit E* 1732 o dirum it *E* ad (*i. e.* ah) durum iecur *A*

gemuisset ipse quique convulsam solo
imposuit umeris Ossan Enceladus ferox;
at ille medias inter exurgens faces,
semiustus ac laniatus, intrepidum tuens:
'nunc es parens Herculea: sic stare ad rogum
te, mater' inquit, 'sic decet fleri Herculem.'
inter vapores positus et flammae minas
immotus, inconcussus, in neutrum latus
correpta torquens membra adhortatur, monet,
gerit aliquid ardens. omnibus fortem addidit
animum ministris; urere ardentem putes.
stupet omne volgus, vix habent flammae fidem,
tam placida frons est, tanta maiestas viro.
nec properat uri; cumque iam forti datum
leto satis pensavit, igniferas trabes
hinc inde traxit, minima quas flamma occupat,
totasque in ignes vertit et quis plurimus
exundat ignis repetit intrepidus ferox.
tunc ora flammis implet: ast illi graves
luxere barbae; cumque iam voltum minax
appeteret ignis, lamberent flammae caput,

* * *

crinemque iactans squalidum Alcmene gemit.

ALCMENE

Timete, superi, fata: tam parvus cinis
Herculeus, huc huc ille decrevit gigans!
o quanta, Titan, ad nihil moles abit;

---

non pressit oculos. sed quid hoc? maestam intuor
sinu gerentem reliquias magni Herculis

1734 concussam *E* 1735 encelladus *E* 1736 ast ille *E*. — exurens *E* 1737 intrepidus rubens *A* intrepidus ruens *E correxit N. Heinsius adv. p. 304* 1738 nunc o parens *A* n. est p. *E corr. N. Heinsius l. s.* (*sic M mg. N*). — herculem *E* 1739 stare h. *E* 1740 vaporem *E* 1742 flectens *A* torrens *E correxit Gronovius*. — movet *E* 1743 forte *E* 1744 ardente *E* 1745 vulgus *EA* 1747 nec poterat uticumque *E cf. I, 212* 1748 pensavit *ex* pensavis *1 m. E* 1749 nimia *EA correxit Lipsius* (*M*). — quis *E* 1750 ignem *A*. — qua *A* quas *E correxit Gronovius*. — pluribus *E* 1751 recipit *A* repedit *E correxit Gronovius* (*Σ*) 1752 nunc *A*. — atque *ς* 1753 *om. E* 1755 *om. E narrationis extrema intercidisse videntur*. — hanc *ς om. ς* 1756 *delevi*. — gementem *E* 1757 gemuit *E* *scaenae inscribitur* Alcmena Hyllus *E* Alcmena Philoctetes *A* 1759 H. est huc *A* 1760 in nihil *A*

anilis, heu me, recipit Alciden sinus,
hic tumulus illi est: ecce vix totam Hercules
complevit urnam; quam leve est pondus mihi,
cui totus aether pondus incubuit leve.
ad Tartara olim regnaque, o nate, ultima
rediturus ibas — quando ab inferna Styge
remeabis iterum? non ut et spolium trahas
rursusque Theseus debeat lucem tibi —
sed quando solus? mundus impositus tuas
compescet umbras teque Tartareus canis
inhibere poterit? quando Taenarias fores
pulsabis, aut quas mater ad fauces agar
qua mors aditur? vadis ad manes iter
habiturus unum. quid diem questu tero?
quid misera duras vita? quid lucem tenes?
quem parere rursus Herculem possum Iovi?
quis me parentem natus Alcmenen suam
tantus vocabit? o nimis felix nimis,
Thebane coniunx, Tartari intrasti loca
florente nato teque venientem inferi
timuere forsan, quod pater tantum Herculis,
vel falsus, aderas: quas petam terras anus,
invisa saevis regibus (si quis tamen
rex est relictus saevus)? ei miserae mihi!
quicumque caesos ingemit natus patres,
a me petet supplicia, me cuncti obruent:
si quis minor Busiris aut si quis minor
Antaeus orbem fervidae terret plagae,
ego praeda ducar; si quis Ismarius greges
Thracis cruenti vindicat, carpent greges
mea membra diri; forsitan poenas petet
irata Iuno: totus † uretur dolor;

1761 cepit Alciden *A* 1762 ille *E*. — toton *E* 1763 est *om. E* 1767 et *om. A* (uti *Avantius*). — solitum tr. *E* 1768 rursumque *A* 1769 ignis impositus *A* 1772 pulsabit *E*. — ah quas *A*. — faces *E* 1775 lucem hanc tenes *A* 1776 quem parare possum H. p. I. *E* 1777 Alcmenam *A* 1779 tartarea *E* 1780 veniente ς 1784 hei *A* 1785 ingemunt nati *A* ingemuit natus *E* *correxit N. Heinsius adv. p. 316* 1786 petunt *A* petent ς petit *E* *correxit N. Heinsius l. s.* 1788 urbes *A* urbem *E* *correxit N. Heinsius l. s.* — perfide terrent *A* fervidae terrae *E* *correxit Gronovius* 1789 Ismarios *A*. — gregis *E* 1790 *om. E, in mg. adscripsit 1 m.:* Trhaces cruenti vindicant partem gregis. — vindicans ς 1791 uri *E* duri ς. — petit *E* 1792 huc vertet *vel* verget dolor *N. Heinsius l. s.; conieci:* exurget dolor

secura victo tandem ab Alcide vacat,
paelex supersum — a quanta supplicia expetet
ne parere possim! fecit hic natus mihi
uterum timendum. quae petam Alcmene loca?
quis me locus, quae regio, quae mundi plaga
defendet aut quas mater in latebras agar
ubique per te nota? sic patriam petam
laresque miseros? Argos Eurystheus tenet;
marita Thebas regna et Ismenon petam
thalamosque nostros, in quibus quondam Iovem
dilecta vidi? pro nimis felix, nimis,
si fulminantem et ipsa sensissem Iovem!
utinam meis visceribus Alcides foret
exectus infans! nunc datum est tempus: datum est
videre natum laude certantem Iovi,
ut et hoc daretur, scire quid fatum mihi
eripere posset. quis memor vivet tui,
o nate, populus? omne iam ingratum est genus.
petam Cleonas? Arcadum populos petam
meritisque terras nobiles quaeram tuis?
hic dira serpens cecidit, hic ales fera,
hic rex cruentus, hic tua fractus manu
qui te sepulto possidet caelum leo:
si grata terra est, populus Alcmenen tuam
defendat omnis. Thracias gentes petam
Hebrique populos? haec quoque est meritis tuis
defensa tellus: stabula cum regno iacent.
hic pax cruento rege prostrato data est:
ubi enim negata est? quod tibi infelix anus
quaeram sepulchrum? de tuis totus rogis
contendat orbis. reliquias magni Herculis
quis populus aut quae templa, quae gentes rogant?

1794 supersum de qua suppl. exigat (suppl. de qua *Avantius*) *A* supersum a qua suppl. expetet *E correxi* (antiqua s. *Peiperus*) 1795 possem *A* 1796 utero timenda *E* 1799 u. certe n. *A.* — si *A* sed *E correxi* 1800 Argos *om. E.* 1801 orbata Thebas regnum et Ismenum p. *A* marita Thebae regnat Ismenon p. *E correxit Gronovius* 1803 *prius* nimis *om. E* 1806 exceptus *E.* — datum est miserae mihi *A* 1807—1810 *om. E* 1808 et hoc *ΣA correxit Gronovius* (ut hoc *Gruterus*). — quod *ΣA correxit N. Heinsius adv. p. 317* 1809 vivi *Σ* 1810 nam *A corr. Σ* 1811 Arc. an *A* 1812 que *om. E.* — terram nobilem *A* 1816 Alcmenam *A* Alcmenae *E corr. Σ* 1820 cavendo rege rostrato *E* 1821 est *om. ς* 1822 rogus *E* 1823 urbis *E* 1824 quae gentes *om. E.* — colent *A*

quis, quis petit, quis poscit Alcmenes onus?
quae tibi sepulchra, nate, quis tumulus sat est?
hic totus orbis; fama erit titulus tibi.
quid, anime, trepidas? Herculis cineres tenes;
complectere ossa: reliquiae auxilium dabunt,
erunt satis praesidia, terrebunt tuae
reges vel umbrae.

HYLLVS

Debitos nato quidem
compesce fletus, mater Alcidae incluti.
non est gemendus nec gravi urgendus prece,
virtute quisquis abstulit fatis iter:
aeterna virtus Herculem fleri vetat.
ALCM. Sedabo questus vindice amisso parens?
HYL. Terra atque pelagus quaque purpureus dies
utrumque clara spectat Oceanum rota
* *
ALCM. Quot misera in uno condidi natos parens?
regno carebam, regna sed poteram dare.
una inter omnes terra quas matres gerit
votis peperci, nil ego a superis peti
incolume nato: quid dare Herculeus mihi
non poterat ardor? quis deus quicquam mihi
negare poterat? vota in hac fuerant manu:
quidquid negaret Iuppiter, daret Hercules.
quid tale genetrix ulla mortalis tulit?
deriguit aliqua mater ut toto stetit
succisa fetu bisque septenos gregem
deplanxit una: gregibus aequari meus

---

fortes vetant maerere, degeneres iubent.

1825 quis iam petet quis poscet *A* 1827 tumulus tibi *A* 1831 *Philoctetes loquitur A.* — nati *E* 1832 mater Alcmenae *E* 1833 urgendus nece *codd. correxit Peerlkampius (Muellerus de re metr. p. 171)* 1836 *delevi cf. p. 210.* — vetat m. d. iubet *A* 1837 vindicem amisi *A* 1838. 1839 *Alcmenae sunt A* 1838 terrae atque pelagi *A.* — quaeque *E* 1839 oceano *E.* — *lacuna fort. post v. 1837; sententia sic fere suppleatur:* (non sola maeres) vindice amisso dolent 1840 *Hyllo continuatur E.* — quod misera tu nunc condidit *E.* — nato *A* 1843 nichil *E* 1844 quod *E* 1845 n. p. a. quisquam mihi *E* (*om.* quis deus) 1848 genetrix *om. E.* — una *E* 1849 deflevit a. m. et *codd. correxit Gronovius (qui scripsit* diriguit) 1850 fletu vixque *E.* — greges *codd. correxi* 1851 declausit *E.* — aequare *E.* — meis ς

quot ille poterat? matribus miseris adhuc
exemplar ingens derat: Alcmene dabo.
cessate, matres, pertinax si quas dolor
adhuc iubet lugere, quas luctus gravis
in saxa vertit; cedite his cunctae malis.
agedum senile pectus, o miserae manus,
pulsate — et una funeri tanto sat es,
grandaeva anus defecta, quam totus brevi
† iam quaeret orbis? expedi in planctus tamen
defessa quamquam bracchia: invidiam ut deis
lugendo facias, advoca in planctus genus.

Ite Alcmenae magnique Iovis
plangite natum, cui concepto
lux una perit noctesque duas
contulit Eos: ipsa quiddam
plus luce perit.
totae pariter plangite gentes,
quarum saevos ille tyrannos
iussit Stygias penetrare domos
populisque madens ponere ferrum.
fletum meritis reddite tantis,
totus, totus personet orbis:
fleat Alciden caerula Crete,
magno tellus cara Tonanti:
centum populi bracchia pulsent;
nunc Curetes, nunc Corybantes
arma Idaea quassate manu:
armis illum lugere decet;
nunc, nunc funus plangite verum:
iacet Alcides non minor ipso,
Creta, Tonante.
flete Herculeos, Arcades, obitus,
nondum Phoebe nascente genus:
iuga Parthenii † Nemeaeque sonent

1852 quid *E* 1853 dabit *A* 1858 est *codd. correxit Peiperus* 1859 manus *E.* — quod t. brevis *A* 1860 sequetur orbis *N. Heinsius adv. p. 319 coniecit:* iam t. b. | concurret orbis (iam t. b. queretur o. *Richterus*) 1861 ut invidiam *codd. correxit Gruterus* 1862 in] ut in *E.* — planctum *A* 1863—1873 *chorus canit E* 1863 flete Alcmenen *A* flete Alcmenae *E correxi* 1866 eous *E*ς. — ipsa quid amplius | luce perit *E* 1875 clara tonante *A* 1880 p. vestrum *E* 1884 Phoebo *codd. correxit D. Heinsius* 1885 partheni *E* spartem *et similia* ς(*A*). — Tegeaeque *de Wilamowitz; fort.* Pholoaeque (cf. v. 1891).

feriatque graves Maenala planctus.
magno Alcidae poscit gemitum
stratus vestris saetiger agris
alesque sequi iussa sagittas
totum pinna velante diem.
flete Argolicae, flete, Cleonae:
hic terrentem moenia quondam
vestra leonem fregit nostri
dextera nati; date Bistoniae
verbera matres gelidusque sonet
planctibus Hebrus: flete Alciden,
quod non stabulis nascitur infans
nec vestra greges viscera carpunt;
fleat Antaeo libera tellus
et rapta fero plaga Geryonae:
mecum miserae plangite gentes,
audiat ictus utraque Tethys.
vos quoque, mundi turba citati,
flete Herculeos, numina, casus:
vestrum Alcides cervice meus
mundum, superi, caelumque tulit,
cum stelligeri vector Olympi
pondere liber spiravit Atlans:
ubi nunc vestrae, Iuppiter, arces?
ubi promissi regia mundi?
nempe Alcides mortalis obit,
nempe sepultus. quotiens telis
facibusque tuis ille pepercit,
quotiens ignis spargendus erat!
in me saltem iaculare facem
Semelenque puta.
iamne Elysias, o nate, domus,
iam litus habes ad quod populos
natura vocat?
an post raptum Styx atra canem
praeclusit iter teque in primo

1886 gravis *A*. — maenela *E* 1887 m. poscite Alcidem gemitu (m. A. p. g. ς) *A* 1888 oris *A* 1890 pinnis velata *E* pennis velata *A* *correxit N. Heinsius adv. p. 320* 1894 Sithoniae *A* 1895 v. natis *E* 1897 vescitur infans *EA corr.* ς 1899 f. aethnaeo *E*. — tellus et | rapta *E*. 1906 mundi *E* 1908 stravit *E*. — atlas *A* 1909 arcis *E* 1910 *om. E* 1911 abit *E* 1912 stellis *E* 1915 Semelemque tuam *E* 1917 iam litus habes? | at quos populos? | an post *raptum.* | natura vacat? | St. a. c. p. i. *E* 1919 Styx—1927 *dimetri EA*

limine Ditis fata morantur?
quis nunc umbras, nate, tumultus
manesque tenet?
fugit abducta navita cumba
et Centauris Thessala motis
ferit attonitos ungula manes
anguesque suos hydra sub undas
territa mersit teque labores,
o nate, timent?
fallor, fallor vaesana furens,
nec te manes umbraeque timent,
non Argolico rapta leoni
fulva pellis contecta iuba
laevos operit dira lacertos
vallantque ferae tempora dentes:
donum pharetrae cessere tuae
telaque mittet iam dextra minor;
vadis inermis, nate, per umbras,
ad quas semper mansurus eris.

VOX HERCVLIS

Quid me tenentem regna siderei poli
caeloque tandem redditum planctu iubes
sentire fatum? parce: iam virtus mihi
in astra et ipsos fecit ad superos iter.

ALCM. Vnde, unde sonus trepidas aures
ferit? unde meas inhibet lacrimas
fragor? agnosco victum esse chaos.

A Styge, nate, redis iterum mihi
fractaque non semel est mors horrida?
vicisti rursus mortis loca
puppis et infernae vada tristia?
pervius est Acheron iam languidus
et remeare licet soli tibi

1928—1931 manes *trimetri*, u. t. *monometer E* 1930 fallor *semel E.* — v. parens *A* 1931 tenent *E* 1933 contempta *E* 1934 saevos *E.* — dura *codd. correxi* 1935 feri *A.* — gentes *E* 1936 fecere *E* *scaenae titulus:* Vox Herculis et idem *E* Hercules Alcmena *A* 1941 reditum tantum i. *E* 1942 nam *A* 1944 unde sonus trepidas aures ferit? | unde meas inhibet lacrimas fragor? | agnosco agnosco victum est chaos *A* 1946 fragor *priore versu E cf. I, 142* 1949 noctis loca *A* 1951 *om. E*

nec te fata tenent post funera?
an tibi praeclusit Pluton iter
et pavidus regni metuit sibi?
certe ego te vidi flagrantibus
impositum silvis, cum plurimus
in caelum fureret flammae metus:
arsisti — cur te, cur ultima.
non tenuere tuas umbras loca?
quid timuere tui manes precor?
umbra quoque es Diti nimis horrida?

HERC. Non me gementis stagna Cocyti tenent
nec puppis umbras furva transvexit meas;
iam parce, mater, questibus: manes semel
umbrasque vidi; quidquid in nobis tui
mortale fuerat, ignis evictus tulit:
paterna caelo, pars data est flammis tua.
proinde planctus pone, quos nato paret
genetrix inerti; luctus in turpes eat:
virtus in astra tendit, in mortem timor.
praesens ab astris, mater, Alcides cano:
poenas cruentus iam tibi Eurystheus dabit;
curru superbum vecta transcendes caput.
me iam decet subire caelestem plagam:
inferna vici rursus Alcides loca.
ALCM. Mane parumper — cessit ex oculis, abit,
in astra fertur. fallor an voltus putat
vidisse natum? misera mens incredula est.
es numen et te mundus aeternum tenet,
credo triumphis. regna Thebarum petam
novumque templis additum numen canam.

CHORVS

Numquam Stygias fertur ad umbras
inclita virtus: vivunt fortes

1954 Pluto niger *E* 1957 pluribus *A* 1958 furerent flammae minis *A* 1959 arsisti certe, verum ultima *A* 1962 est *codd. correxit Gronovius.* — ditis *E* 1963 rigentis *A* 1964 non *A.* — fulva *codd. correxit Avantius.* — meas *om. E* 1967 invictus *A* 1968 pars – tua *om. E* 1969. 1970 *om.* ς 1969 nato pater *codd. correxit Lipsius* 1970 eas ς 1974 transcendens *A* 1975 discet *E* 1976 interna *E.* — vito *A* vinco ς 1977 precessit *E* 1978 vultus *E* (*ut 1992*) 1980 is numen (*sed* is nu *1 m. ex* ixi) et te numen a. t. *E.* — aeternus *A* 1981 crede *E* 1984 vivite *A*

nec Lethaeos saeva per amnes
vos fata trahent, sed cum summas
exiget horas consumpta dies,
iter ad superos gloria pandet.
sed tu, domitor magne ferarum
orbisque simul pacator, ades;
nunc quoque nostras respice terras,
et si qua novo belua voltu
quatiet populos terrore gravi,
tu fulminibus frange trisulcis:
fortius ipso genitore tuo
fulmina mitte.

1985 sola per annos amnes (annos *induct.*) *E* 1988 gl. pagens *E* 1990 *om. E* 1991 aspice *E* 1993 quatiens oculos *E* 1996 mittes *A*

MARCI · LVCII | ANNAEI · SENECAE | HERCVLES | EXPLICIT *E*
finis tragoediarum EA

OCTAVIA

Octaviae recensendae ex codicum a me excussorum numero hosce adhibui:[1])

Σ { *M* cod. Ambros. D 276 inf. memb. fol. saec. XIV
{ *N* cod. Vatican. lat. 1769 m. f. s. XIV

Φ { *Q* cod. Ambros. H. 77 inf. m. 4°. an. 1380
{ *R* cod. Riccard. lat. 526 m. 4°. s. XIV

L cod. Laurent. plut. 37, 6 m. a. 1368

l cod. Vatican. lat. 1647 m. f. a. 1391

Π { *T* cod. Neapolit. IV. D. 47 chart. f. a. 1376
{ *D* cod. Malatest. Caesen. I, 26, 5 m. f. s. XIV
{ *H* cod. Regin. 1500 m. f. a. 1389
{ *O* cod. Mutin. G G 2 m. 4°. s. XV

de singulis pauca adnotabimus.

M et *N*. de his codicibus et Σ archetypo eorum satis dictum est vol. I p. 6 sqq.

Q ut reliqui continet decem tragoedias vulgari ordine dispositas cum scholiis et varia lectione prima manu ascriptis. titulus nullus. in subscriptione libri erasa sunt quae post haec verba legebantur: *iste liber tragediarum Senece est domini.* quae scire refert suppeditat Herculis furentis subscriptio: *explicit tragedia Senece de Herculis furia per me Iohannem de Gudio Cremonensem MCCCLXXX die (XV?) novembris in Verona tunc officialem.* *Q* et *R* uno eodemque archetypo oriundi librum reprae-

1) Quos praeter istos aut totos aut maximam partem contuli hoc loco enumerabo, quamquam vix veremur ne quis acta agere animum inducturus sit: cod. Mutin. V. D. 10 s. XV; Malatest. XI, 20, 1 s. XV; Regin. 1874 a. 1395; 1952 s. XV; Vatican. lat. 1650 s. XV; Neapol. IV. E. 3; Lugdun. No. 101 s. XV; No. 45 A a. 1427; XXIV in de Betouw 2 a. 1444. inter Richteri codices, ut quisquis rem examinabit intelleget, nullus erat quo prae novis subsidiis non posset careri (valde enim et sine fructu interpolatus est cod. Rehdigeranus 13); quare meis oculis quam alienis credere malui.

sentant codicis Σ aequalem itemque varia lectione instructum quam subinde aut receperunt scribae codicum Q et R aut pristinae exemplaris lectioni in margine adiunxerunt.

L codice nullum interpolatae recensionis antiquiorem originis anno notatum nobis innotuisse monuimus l. s. p. 42. ex quo transcriptum[2]) codicem l contuleram antequam archetypum invenissem; ubicumque igitur accidit ut apographi lectionem enotaverim, exemplaris neglexerim, codicis l scripturas afferam; qui quaecumque prae L propria habet ea, nisi forte ex coniectura l locum emendarit, silentio premam.

T[3]) D[4]) H[5]) O[6]) quattuor libri, quorum consensum potius quam communem archetypum littera Π notavi, satis puram et incolumem vulgaris lectionis imaginem reddunt. codex O medium quendam inter Φ et Π locum tenet.

Octaviae codices omnes quos tenemus uni libro satis recenti originem debere corruptelae communes docent quales v. 90. 153. 317. 850 invenimus, ut locos gravius et fortasse antiquitus corruptos praeteream. archetypi illius lectionem novem codicum quos recensuimus consensu repraesentari certum est; propius vero, ubi dissentiunt, ad illam libros reliquis vetustiores $\Sigma\Phi L$ accedere quolibet loco apparet. proxime accedit Σ, fere immunis ille noviciorum codicum et sordibus et coniecturis. qui cum non immunis sit interpolationibus non multis quidem

---

2) e. g. v. 83 *afflicte tibi meliora L affl. tibi meliora l* v. 143 *hinc est orta series facinorum L hinc orta est series f. l* v. 191 *in venere turpi, ceu L i. v. turpis ceu l* cum lineolam distinctivam solito altius subductam librarius proclivi errore pro *s* littera haberet.

3) subscr.: *decem tragediarum Senece liber explicit. scriptus per me Franciscum* (2 m. sup. scr.: *petrutii*) *de Camerino in civitate Lucana anno domini MCCCLXXVI mense decembri etc.* cum commentario Nicolai Trevethi.

4) in Muccioli indice codd. bibl. Malatestianae Caesenatis I p. 92 saeculo XII temere ascriptus.

5) incipit Hf. 219; subscr.: *Lucii Annei Senece liber tragediarum explicit. quem scripsi ego Bartholomeus de Macincholis de Beluisino notarius* et erasis 2 versibus et dimidio: *in MCCCLXXXIX.*

6) abscissa prima fabula incipit in Thy. 173.

sed quae suspectam reddant librarii fidem (cf. v. 36. 249. 331. 376), scripturas eius, ut genuinae habeantur, fulciri oportet reliquorum unius alteriusve testimonio. hoc igitur in recensenda fabula fundamento nitemur. tum quaecumque in *Σ* depravata et obruta sunt, *Φ* vel *L* suppeditabit. quod si contra *ΣΦL* in *Π* vel singulis libris praeter novem istos (*ς*) verum extabit, id utique Italorum coniecturis deberi iudicabimus.

Hac ratione si fabulam recensebimus, lectionem constituemus traditam quidem, sed per antiqui interpolatoris manus traditam. ad cuius temptamina coarguenda quoniam hic destituimur Etrusci codicis ope et auctoritate, difficillima est et periculosa huius fabulae emendatio.

In adnotatione ne quid obscurum sit, haec monenda videntur. codicis nota uncis inclusa, e. g. (*M*), significat ex silentio meo de scriptura iudicandum fuisse; ubi tantum prior vel secunda manus sic indicatur: M^1 M^2, alteram cum recepta lectione consentire intellegitur; discrepanti scripturae additum *vulg. v. l.* vulgarem pro varia lectione adiectam esse declarat. — Buecheleri emendationes pleraeque in Mus. Rhen. vol. XXVII p. 474 editae sunt.

Novem codicum lectionem ita enotabo ut *ΣΦLΠ* aut in adnotatione aut in poetae verbis compareant, omittantur ut par est propriae librorum non praecipuorum corruptelae.

PERSONAE

OCTAVIA
NVTRIX OCTAVIAE
SENECA
NERO
PRAEFECTVS
AGRIPPINA
NVTRIX POPPAEAE
POPPAEA
NVNTIVS
CHORVS

OCTAVIA

Iam vaga caelo sidera fulgens
Aurora fugat, surgit Titan
radiante coma mundoque diem
reddit clarum.
age, tot tantis onerata malis,
repete assuetos iam tibi questus
atque aequoreas vince Alcyonas,
vince et volucres Pandionias:
gravior namque his fortuna tua est.
semper, genetrix, deflenda mihi,
prima meorum causa malorum,
tristes questus natae exaudi,
si quis remanet sensus in umbris.
utinam ante manu grandaeva sua
mea rupisset stamina Clotho,
tua quam maerens vulnera vidi
oraque foedo sparsa cruore!
o lux semper funesta mihi,
tempore ab illo
lux es tenebris invisa magis:
tulimus saevae iussa novercae,
hostilem animum vultusque truces.
illa illa meis tristis Erinys
thalamis Stygios praetulit ignes
teque extinxit, miserande pater,
modo cui totus paruit orbis
ultra Oceanum

Octaviam Senecae ascribunt codd. intercedit inter Agamemnonem et Herculem Oetaeum praeterquam quod in Σ novissimo loco post H. O. collocata est.

4—6 *duo dimetri et monometer codd.* 4 redit *Σ* 7 alchionias *ML* alcionias *Q* 9 est tua *ΦO* 10 genitrix *codd. ut solent* 13 manet *Σ.* — umbras *N* 19 *post* 20 *Φ* temp. – teu. | i. m. *ΣLΠ* 20 lux *ΣLDHT*^{2}] nox *QT*^{1}, *om. RO.* — est *ΣLΠ*] *om. Φ correxit Bothius* 21 suae *N* 24 pertulit *M*

cuique Britanni terga dedere,
ducibus nostris ante ignoti
iurisque sui.
coniugis, heu me, pater, insidiis
oppresse iaces servitque domus
cum prole tua capta tyranno.

NVTRIX

Fulgore primo captus et facie nova
fallacis aulae quisquis attonitus stupet,
† sub uno latentis ecce Fortunae impetu
modo praepotentem cernat eversam domum
stirpemque Claudi, cuius imperio fuit
subiectus orbis, paruit liber diu
Oceanus et recepit invitus rates.
en qui Britannis primus imposuit iugum,
ignota tantis classibus texit freta
interque gentes barbaras tutus fuit
et saeva maria, coniugis scelere occidit;
mox illa nati: cuius extinctus iacet
frater venenis. maeret infelix soror
eademque coniunx nec graves luctus valet
ira coacta tegere crudelis viri;
quem sancta refugit semper, atque odio pari
ardens maritus impia flagrat face.
animum dolentis nostra solatur fides
pietasque frustra: vincit immitis dolor
consilia nostra nec regi mentis potest
generosus ardor, sed malis vires capit.
heu quam nefandum prospicit noster timor
scelus, quod utinam numen avertat deum.

OCT. O mea nullis aequanda malis
fortuna, licet
repetam luctus, Electra tuos:

---

34 *inscriptum* nutrix. Otavia *M* nutrix vel chorus *R*. — facili *ΣQLΠ* fragili (*R*)ς *correxit Buechelerus*. — bono *codd. correxi* 35 facilis N^1. — aurae *L* (*vulg. v. l.*) 36 sub uno *ΠΦ*] uno *Σ* subito *L* *conieci* subito involantis 41 e. q. ora tanais *codd. correxit Scaliger castig. in Tibull.* (*IV, 1, 149*) *p. 182*. — iugo *ΣΦLΠ corr.* ς (iuga *Scaliger*) 49 quem *HOD*] quam *QT* qui *Σ om. RL*. — secreta refugit *codd. correxi* 50 amens *Φ*. — mariti mutua flagrat face *codd. correxi* (maritus *Gronovius*) 52 mittit *MTHO* mitit *N* mutat *RLD* muttat *Q* *correxit Buechelerus* 57 *inscriptum* Octavia. nutrix *NR* nutrix. Ottavia *M*

tibi maerenti caesum licuit
flere parentem,
scelus ulcisci vindice fratre,
tua quem pietas hosti rapuit
texitque fides:
me crudeli sorte parentes
raptos prohibet lugere timor
fratrisque necem deflere vetat,
in quo fuerat spes una mihi
totque malorum breve solamen.
nunc in luctus servata meos
magni resto nominis umbra.
NVTR. Vox en nostras perculit aures
tristis alumnae; cesset thalamis
inferre gradus tarda senectus?
OCT. Excipe nostras lacrimas, nutrix,
testis nostri fida doloris.
NVTR. Quis te tantis solvet curis,
miseranda, dies?
OCT. Qui me Stygias mittet ad umbras.
NVTR. Omina quaeso sint ista procul.
OCT. Non vota meos tua nunc casus,
sed fata regunt.
NVTR. Dabit afflictae meliora deus
tempora mitis; tu modo blando
vince obsequio placata virum.
OCT. Vincam saevos ante leones
tigresque truces, fera quam saevi
corda tyranni.
odit genitos sanguine claro,
spernit superos hominesque simul,
nec fortunam capit ipse suam
quam dedit illi per scelus ingens
infanda parens. licet ingratum
dirae pudeat munere matris
hoc imperium cepisse, licet
tantum munus morte rependat,

---

73 *Gruterus codices suos praeter unum omnes* cesses *praebere calami errore tradidisse videtur* (cesset *ΣΦLΠ* cessit, cesit, cessat(?), cessas *ς*) 79 undas *L* (*vulg. v. l.*) 80 omnia *L v. l. RD* 81 nunc] non *ΦO* 82 sed vota r. *N¹T* sed mea vota r. *D* 86 v. fulvos *LQ* (*vulg. v. l.*) 90 superbos humilesque *ΣΦΠ* superbos humiles *expuncta* b *L correxit Delrio* (superos *Q v. l.*)

feret hunc titulum post fata tamen
femina longo semper in aevo.
NVTR. Animi retine verba furentis,
temere emissam comprime vocem.

OCT. Toleranda quamvis patiar, haud umquam queant
nisi morte tristi nostra finiri mala.
genetrice caesa, per scelus rapto patre,
orbata fratre, miseriis luctu obruta,
maerore pressa, coniugi invisa ac meae
subiecta famulae luce non grata fruor,
trepidante semper corde non mortis metu,
sed sceleris — absit crimen a fatis meis,
mori iuvabit; poena nam gravior nece est
videre tumidos et truces miserae mihi
vultus tyranni iungere atque hosti oscula,
timere nutus cuius obsequium meus
haud ferre posset fata post fratris dolor
scelere interempti, cuius imperium tenet
et sorte gaudet auctor infandae necis.
quam saepe tristis umbra germani meis
offertur oculis, membra cum solvit quies
et fessa fletu lumina oppressit sopor:
modo facibus atris armat infirmas manus
oculosque et ora fratris infestus petit,
modo trepidus idem refugit in thalamos meos;
persequitur hostis atque inhaerenti mihi
violentus ensem per latus nostrum rapit.
tunc tremor et ingens excutit somnos pavor
renovatque luctus et metus miserae mihi.
adice his superbam paelicem, nostrae domus
spoliis nitentem, cuius in munus suam
Stygiae parentem natus imposuit rati,
quam dira post naufragia superato mari
ferro interemit saevior pelagi fretis:
quae spes salutis post nefas tantum mihi?
inimica victrix imminet thalamis meis
odioque nostri flagrat et pretium stupri

---

97 hinc N^1 100 *inscribitur* Ottavia. nutrix *M*. — aut ΣT^1 105 furor ΣH^1 108 nam *MII*] non *N* nunc ΦLO 114 morte *codd. correxit Lipsius.* — nefandae ΦO 116 affertur *L* offeretur *M*. — oculis *i. ras. 1 m. L* 117 flessa *H* flexa *M* 121 inerti Σ inherti *H* inhorrenti *O* 123 sonos Σ 127 stige *RT*

iustae maritum coniugis poscit caput.
emergere umbris et fer auxilium tuae
natae invocanti, genitor, aut Stygios sinus
tellure rupta pande, quo praeceps ferar.
NVTR. Frustra parentis invocas manes tui,
miseranda, frustra, nulla cui prolis suae
manet inter umbras cura: qui nato suo
praeferre potuit sanguine alieno satum
genitamque fratris coniugem pactus sibi
toris nefandis flebili iunxit face.
hinc orta series facinorum: caedes, doli,
regni cupido, sanguinis clari sitis;
mactata soceri concidit thalamis gener
victima, tuis ne fieret hymenaeis potens.
pro facinus ingens! feminae est munus datus
Silanus et cruore foedavit suo
patrios penates, criminis ficti reus.
intravit hostis, ei mihi, captam domum,
dolis novercae principis factus gener
idemque natus, iuvenis infandi ingeni,
scelerum capacis, dira cui genetrix facem
accendit et te iunxit invitam metu.
tantoque victrix facta successu ferox
ausa imminere est orbis imperio sacri.
quis tot referre facinorum formas potest
et spes nefandas feminae et blandos dolos
regnum petentis per gradus scelerum omnium?
tunc sancta Pietas extulit trepidos gradus
vacuamque Erinys saeva funesto pede
intravit aulam, polluit Stygia face
sacros penates, iura naturae furens
fasque omne rupit: miscuit coniunx viro
venena saeva, cecidit atque eadem sui
mox scelere nati; tu quoque extinctus iaces,
deflende nobis semper infelix puer,

---

133 captat *codd. correxit Gronovius* 134 undis *codd. correxit N. Heinsius adv. p. 501.* — hei fer *Φ* 135 invocati *M* 141 g. terris *M.* — captus *codd.* (nactus *M v. l.*) *correxit Peiperus* 144 diri *ΣΦLΠ* (dira *D*) *correxit Buechelerus* 149 facti *ΣΦLΠ correxit Lipsius* 150 ei] hei *ΣQΠ* hey *l* heu *RH* 152 infandi *LD*] nefandi *ΣΦΠ* 153 scelerumque capax *Σ* (capas *N*) *ΦLΠ correxit Peiperus* (que *om.* *ς*) 159 gradus *O*] gradum *ΣΦLΠ* 162 stiga *N* 163 natura *N* 164 f. o. furens r. *Σ* 165 atque] que *M* 166 quoque] que *Σ*

modo sidus orbis, columen augustae domus,
Britannice, heu me, nunc levis tantum cinis
et tristis umbra; saeva cui lacrimas dedit
etiam noverca, cum rogis artus tuos
dedi cremandos membraque et vultus deo
similes volanti funebris flamma abstulit.
OCT. Extinguat et me, ne manu nostra cadat!
NVTR. Natura vires non dedit tantas tibi.
OCT. Dolor ira maeror miseriae luctus dabunt.
NVTR. Vince obsequendo potius immitem virum.
OCT. Vt fratrem ademptum scelere restituat mihi?
NVTR. Incolumis ut sis ipsa, labentem ut domum
genitoris olim subole restituas tua.
OCT. Expectat aliam principis subolem domus;
me dira miseri fata germani trahunt.
NVTR. Confirmet animum civium tantus favor.
OCT. Solatur iste nostra, non relevat mala.
NVTR. Vis magna populi est. OCT. Principis maior tamen.
NVTR. Respiciet ipse coniugem. OCT. Paelex vetat.
NVTR. Invisa cunctis nempe. OCT. Sed cara est viro.
NVTR. Nondum uxor est. OCT. Iam fiet, et genetrix simul.
NVTR. Iuvenilis ardor impetu primo furit,
languescit idem facile nec durat diu
in Venere turpi, ceu levis flammae vapor:
amor perennis coniugis castae manet.
violare prima quae toros ausa est tuos
animumque domini famula possedit diu,
iam metuit eadem — OCT. Nempe praelatam sibi.
NVTR. Subiecta et humilis, atque monimenta extruit
quibus timorem fassa testatur suum.

---

169 cinis tantum levis *RO* cinis essem (*vulg. v. l.*) levis *Q* 171 suos *Φ* 172 dedit *codd. correxit Buechelerus* 173 fervens flamma *MΦΠ* flamma fervens *LN* (flamina *N*) *correxit Buechelerus post* 173 *spatium XXXI versuum vacuum relictum et adnotatum:* hic deficiunt XXX versus secundum aliquos et ideo intermisi spatium *Q; spatio non relicto ad marg. v. 173 adnot.:* hic desunt XXX versus qui non erant in exemplo *T;* 174—199 *bis in tricenorum versuum spatio (185—188 octonis lineis) scripti (H*[a] *et H*[b]*) et semel addito 1 m.* va – cat *deleti H. nullum eius rei in ΣRLOD vestigium. cf. I, 45* 175 vires non *ML*] non vires *NΦΠ* vires *D* 179 labentem *ΣLH*[b]] labantem *ΦODH*[a] labentem *T* 181 expectat *ΦLDH*[b]] expectas *ΣT*[a] (*i. ras.*) expectet *O* expectabat *H*[a] 184 revelet *M* levat *R* 186 p. vetat vetat *RII* (vectat vectat *H*[a] vetat *semel erasum H*[b]) 191 seu *Σ* 193 q. t.] t. q. *Φ* 195 metuit *M*] metuet *NΦLII.* — OCT. *om. codd., add. Bothius* 196 NVTR. *om. codd., add. Ritterus* 197 falsa *N*

et hanc levis fallaxque destituet deus
volucer Cupido: sit licet forma eminens,
opibus superba, gaudium capiet breve.

Passa est similes ipsa dolores
reginà deum,
cum se formas vertit in omnes
dominus caeli divumque pater,
et modo pennas sumpsit oloris
modo Sidonii cornua tauri,
aureus idem fluxit in imbri;
fulgent caelo sidera Ledae,
patrio residet Bacchus Olympo,
deus Alcides possidet Heben
nec Iunonis iam timet iras,
cuius gener est qui fuit hostis.
vicit sapiens tamen obsequium
coniugis altae pressusque dolor:
sola Tonantem tenet aetherio
secura toro maxima Iuno,
nec mortali captus forma
deserit altam Iuppiter aulam.
tu quoque, terris altera Iuno,
soror Augusti coniunxque, graves
vince dolores.

OCT. Iungentur ante saeva sideribus freta
et ignis undae, Tartaro tristi polus,
lux alma tenebris, roscidae nocti dies,
quam cum scelesti coniugis mente impia
mens nostra, semper fratris extincti memor.
utinam nefandi principis dirum caput
obruere flammis caelitum rector paret,
qui saepe terras fulmine infesto quatit
mentesque nostras ignibus terret sacris
novisque monstris; vidimus caelo iubar
ardens cometam pandere infestam facem,
qua plaustra tardus noctis aeterna vice

---

198 destituet *O*] destituit *ΣΦLΠ* 201 nutrix *inscribitur ΣT* 205 sensit *Q* (*vulg. v. l.*) 207 fluxit *ΣΠ*] fulsit *ΦLO* 210 heben *ΣΠ*] hebem *Ql* ebem *R* 215 aethereo *codd.* 222 sid. f. saeva *O* saeva *om. TD* 224 noctis *NT* 225 coniugi *M* 228 obrueret f. c. r. potens *ΦO* 233 aeternae *codd. correxit Avantius*

regit Bootes, frigore Arctoo rigens:
en ipse diro spiritu saevi ducis
polluitur aether, gentibus clades novas
minantur astra, quas regit dux impius.
non tam ferum Typhona neglecto Iove
irata Tellus edidit quondam parens:
hic gravior illo pestis, hic hostis deum
hominumque templis expulit superos suis
civesque patria, spiritum fratri abstulit,
hausit cruorem matris — et lucem videt
fruiturque vita noxiam atque animam trahit!
pro summe genitor, tela cur frustra iacis
invicta totiens temere regali manu?
in tam nocentem dextra cur cessat tua?
utinam suorum facinorum poenas luat
Nero insitivus, Domitio genitus patre,
orbis tyrannus, quem premit turpi iugo
morumque vitiis nomen Augustum inquinat!
NVTR. Indignus ille, fateor, est thalamis tuis;
sed cede fatis atque fortunae tuae,
alumna, quaeso neve violenti move
iram mariti. forsitan vindex deus
existet aliquis, laetus et veniet dies.
OCT. Gravi deorum nostra iam pridem domus
urgetur ira, prima quam pressit Venus
furore miserae dura genetricis meae,
quae nupta demens nupsit incesta face,
oblita nostri, coniugis, legum immemor.
illi soluta crine, succincta anguibus
ultrix Erinys venit ad Stygios toros
raptasque thalamis sanguine extinxit faces;
incendit ira principis pectus truci
caedem in nefandam: cecidit infelix parens,
heu, nostra ferro meque perpetuo obruit

---

234 bootes *NII*] boetes *MΦlT*. — frigido *codd. correxit Is. Pontanus* 237 quas *Φ*] quae *ΣLII* 238 typhona *LII*] typhoea *ΣΦ* 240 haec gr. *ΣΦLII corr. l* (*Buechelerus*) 245 sume *Σ* 249 insidivo MH^1T^2 insidioso *M v. l. N* (*i. e. Σ*) nisi divo LT^1ODH^2 divo *Φ correxit Lipsius* 252 nutrix. Octavia *inscribitur Σ*. — est] et *ΣTO*. — tuis *i. ras. M* meis *NT et H* (*vulg. v. l.*) 254 violenta *ΣH* violenti T^2 (violentam *ut vid.* T^1) 259 dura *ΣLII*] duro *ΦO* dira M^2 260 incerta *Σ* 261 nostri coniugii *T* nostri veri coniugis *R* (al' veri *Q i. mg.* al' iusti al' coniugium *M i. mg.*) 262 illo *codd. correxit Bothius* 263 victrix *Σ*

extincta luctu; coniugem traxit suum
natumque ad umbras, prodidit lapsam domum.
NVTR. Renovare luctus parce cum fletu pios,
manes parentis neve sollicita tuae,
graves furoris quae sui poenas dedit.

CHORVS

Quae fama modo venit ad aures?
utinam falso credita perdat
frustra totiens iactata fidem,
nec nova coniunx nostri thalamos
principis intret teneatque suos
nupta penates Claudia proles;
edat partu pignora pacis
qua tranquillus gaudeat orbis
servetque decus Roma aeternum.
fratris thalamos sortita tenet
maxima Iuno; soror Augusti
sociata toris cur a patria
pellitur aula? sancta quid illi
prodest pietas divusque pater,
quid virginitas castusque pudor?
nos quoque nostri sumus immemores
post fata ducis, cuius stirpem
prodimus † aevo suadente metu.
vera priorum virtus quondam
Romana fuit verumque genus
Martis in illis sanguisque viris.
illi reges hac expulerunt
urbe superbos ultique tuos
sunt bene manes,
mactata tua miseranda manu,

virgo, dextra
caesa parentis, ne servitium
paterere grave et improba ferret
praemia victrix dira libido.
te quoque bellum triste secutum est,

270 c. f.] iam fletu *N* cum flectu *M* cum flexu *T* 273 *inscr.* chorus Romanorum *ΣQH.* — *totum carmen dimetris decurrit in codd.* — q. modo fama *ΦO* 276 coniunx nostri *ΣΠ*] nostri coniunx *ΦLO* 280 quam *N* 290 saevo OT^2 (evo *rell.*) acri *Gronovius* aevo suadente metum *de Wilamowitz* 291 vera p. v. q. *ΣΠ*] virt. q. vera p. *L* vera q. p. virt. *Φ* v. q. prior virtus *O* 293 martisque *RD* 294 expulerunt *R*] expulerant *ΣQLΠ* 297—301 *delevit Richterus* 300 diri *N*. — cupido M

nata Lucreti, stuprum saevi
passa tyranni.
dedit infandi sceleris poenas
cum Tarquinio Tullia coniunx,
quae per caesi membra parentis
egit saevos impia currus
laceroque seni violenta rogos
nata negavit.
haec quoque nati videre nefas
saecula magnum, cum Tyrrhenum
rate ferali princeps captam
fraude parentem misit in aequor.
properant placidos linquere portus
iussi nautae, resonant remis
pulsata freta:
fertur in altum provecta ratis,
quae resoluto robore labens
pressa dehiscit sorbetque mare.
tollitur ingens clamor ad astra
cum femineo mixtus planctu.
mors ante oculos dira vagatur;
quaerit leti sibi quisque fugam:
alii lacerae puppis tabulis
haerent nudi fluctusque secant,
repetunt alii litora nantes;
multos mergunt fata profundo.
scindit vestes Augusta suas
laceratque comas rigat et maestis
fletibus ora.
postquam spes est nulla salutis,
ardens ira, iam victa malis:
'haec' exclamat 'mihi pro tanto
munere reddis praemia, nate?
hac sum, fateor, digna carina,
quae te genui, quae tibi lucem
atque imperium nomenque dedi
Caesaris amens. exere vultus
Acheronte tuos poenisque meis
pascere, coniunx:

305 tarquino *HD* 307 saevos egit *L* 308 laceroque *LQT*^{2}] lacerosque *ΣRII* (que *om. O*) 310 hec: ec *i. ras. T*^{2} hoc *ΣQ* 311 scelera m. *Σ* 317 profecta *codd. correxit Avantius* 331 est] huic *Σ* 336 tu *N*

ego causa tuae, miserande, necis
natoque tuo funeris auctor
en, ut merui, ferar ad manes
inhumata tuos, obruta saevis
aequoris undis.'
feriunt fluctus ora loquentis,
ruit in pelagus rursumque salo
pressa resurgit, pellit palmis
cogente metu freta, set cedit
fessa labori. mansit tacitis
in pectoribus spreta tristi
iam morte fides: multi dominae
ferre auxilium pelago fractis
viribus audent, bracchia quamvis
lenta trahentem voce hortantur
manibusque levant. quid tibi saevi
fugisse maris profuit undas?
ferro es nati moritura tui,
cuius facinus vix posteritas,
tarde semper saecula credent.
furit ereptam pelagoque dolet
vivere matrem
impius ingens, geminatque nefas:
ruit in miserae fata parentis
patiturque moram sceleris nullam.
missus peragit iussa satelles:
reserat dominae pectora ferro.
caedis moriens illa ministrum
rogat infelix, utero dirum
condat ut ensem:
'hic est, hic est fodiendus' ait
'ferro, monstrum qui tale tulit.'
post hanc vocem
mixtam gemitu cum supremo
animam tandem per fera tristem
vulnera reddit.

SENECA

Quid me, potens Fortuna, fallaci mihi

---

341 miserande *LRII*] miseranda *ΣQT* 346 luctus *Σ* 348 refugit *M* 349 fata et *codd. correxit Buechelerus* 354 ardent *L* (*vulg. v. l.*) 355 trahentes *LR* 360 al' tardaque *M i. mg.* 366 missusque *Φ* 376 v. fudit *Σ*

blandita vultu, sorte contentum mea
alte extulisti, gravius ut ruerem edita
receptus arce totque prospicerem metus?
melius latebam procul ab invidiae malis
remotus inter Corsici rupes maris,
ubi liber animus et sui iuris mihi
semper vacabat studia recolenti mea.
o quam iuvabat, quo nihil maius parens
Natura genuit, operis immensi artifex,
caelum intueri, solis alternas vices
orbemque Phoebes, astra quem cingunt vaga,
lateque fulgens aetheris magni decus;
qui si senescit, tantus in caecum chaos
casurus iterum est — nunc ades mundo, dies
supremus ille, qui premas genus impium
caeli ruina, rursus ut stirpem novam
generet renascens melior, ut quondam tulit
iuvenis, tenente regna Saturno poli.
tunc illa virgo, numinis magni dea,
Iustitia, caelo missa cum sancta Fide
terris regebat mitis humanum genus.
non bella norant, non tubae fremitus truces,
non arma gentes, cingere assuerant suas
muris nec urbes: pervium cunctis iter,
communis usus omnium rerum fuit;
et ipsa Tellus laeta fecundos sinus
pandebat ultro, tam piis felix parens
et tuta alumnis. alia sed suboles, minus
experta mitis, tertium sollers genus
novas ad artes extitit, sanctum tamen;
mox inquietum, quod sequi cursu feras
auderet acres, fluctibus tectos gravi

---

solis et currus sacros | mundique motus 387b388a

---

379 gravis *ΣTH* 387b 388a *delevit Delrio* 387 tueri *M.* — cursus *Φ* (*R vulg. v. l.*) 388 *post v. 390 O* 391 qui sese nescit *codd. correxit Scaliger* 392 est *om. codd., addidi.* — non *M.* — adest *ΣΠ* adsit *ΦL correxit Grotius* 393 premat *ΣΦLΠ* (premit *O*) *correxi* 399 terra *ΣΠ* terram *Φ correxit Bothius* 400 nec tubae *Σ* 405 tam] cum *N* 406 tuta] cura *M* 407 conspecta *codd. correxi* (secuta *Buechelerus*) 409 q. s.] prosequi *N* 410 graves *codd. correxit Gronovius*

extrahere pisces rete vel calamo levi
decipere volucres * *
tenere laqueo, premere subiectos iugo
tauros feroces, vomere immunem prius
sulcare terram, laesa quae fruges suas
interius alte condidit sacro sinu.
sed in parentis viscera intravit suae
deterior aetas: eruit ferrum grave
aurumque, saevas mox et armavit manus;
partita fines regna constituit, novas
extruxit urbes, tecta defendit sua,
aliena telis aut petit praedae imminens.
neglecta terras fugit et mores feros
hominum et cruenta caede pollutas manus
Astraea virgo, siderum magnum decus.
cupido belli crevit atque auri fames
totum per orbem, maximum exortum est malum
luxuria, pestis blanda, cui vires dedit
roburque longum tempus atque error gravis.
collecta vitia per tot aetates diu
in nos redundant: saeculo premimur gravi,
quo scelera regnant, saevit impietas furens,
turpi libido Venere dominatur potens,
luxuria victrix orbis immensas opes
iam pridem avaris manibus, ut perdat, rapit.
sed ecce, gressu fertur attonito Nero
trucique vultu. quid ferat mente horreo.

NERO

Perage imperata: mitte, qui Plauti mihi
Sullaeque caesi referat abscisum caput.

---

412 *om. RD, suppl. in imo mg. 1 m. L* d. v. crate vel calamo aut levi *ΣQT* d. v. crate vel calamo levi *L* d. v. crate aut levi *H* d. v. vel calamo aut levi *O* d. v. *omissis reliquis cod. Malat. 11, 20, 1 cf. I, 46. ascripta ad v. 411 varia lectione intercidisse conieci tale quid:* [turbidos forti canes] 414 t. f. et v. *ΦO.* — vulnere *codd. corr. ed. Basil. a. 1541* 415 laesa] lege (*induct.*) laesa *M* 416 interius alto *R et Q v. l.* (*i. e. Φ*) interior alte *ΣLQII* 421 suis *codd. correxit Buechelerus* 422 al' appetit ut pute (*i. e.* puto) *M i. mg.* 423 n. terras transfugit *Φ* 424 et *om. ΣΦLII add. L² sup. v.* 428 *et* 434. 435 *sic adferuntur a Vincentio Bellovacensi spec. hist. IX c. 113:* 'idem (Seneca) in Octavia: luxuria blanda pestis. victrix orbis immensas opes avaris manibus ut perdat rapit.' 433 d. opes potens *N* d. patens *M* 438 *scaenae inscriptum* Nero. Praefectus (pr. militum *O*) Seneca 439 Sillaeque *codd.* (*et v. 465* Sillam). — abscisum *ΣQDT*] abscissum *RLOH*

PRAEFECTVS

Iussa haud morabor: castra confestim petam.
SEN. Nihil in propinquos temere constitui decet.
NER. Iustum esse facile est cui vacat pectus metu.
SEN. Magnum timoris remedium clementia est.
NER. Extinguere hostem maxima est virtus ducis.
SEN. Servare cives maior est patriae patri.
NER. Praecipere mitem convenit pueris senem.
SEN. Regenda magis est fervida adolescentia.
NER. Aetate in hac sat esse consilii reor.
SEN. Vt facta superi comprobent semper tua.
NER. Stulte verebor, ipse cum faciam, deos.
SEN. Hoc plus verere quod licet tantum tibi.
NER. Fortuna nostra cuncta permittit mihi.
SEN. Crede obsequenti parcius: levis est dea.
NER. Inertis est nescire quid liceat sibi.
SEN. Id facere laus est quod decet, non quod licet.
NER. Calcat iacentem vulgus. SEN. Invisum opprimit.
NER. Ferrum tuetur principem. SEN. Melius fides.
NER. Metuant necesse est — SEN. Quidquid exprimitur grave est.
NER. Iussisque nostris pareant. SEN. Iusta impera.
NER. Statuam ipse. SEN. Quae consensus efficiat rata.
NER. † Despectus ensis faciet. SEN. Hoc absit nefas.
NER. An patiar ultra sanguinem nostrum peti,
inultus et contemptus ut subito opprimar?
exilia non fregere summotos procul
Plautum atque Sullam, pertinax quorum furor
armat ministros sceleris in caedem meam,
absentium cum maneat etiam ingens favor
in urbe nostra, qui fovet spes exulum.
tollantur hostes ense suspecti mihi,
invisa coniunx pereat et carum sibi
fratrem sequatur. quidquid excelsum est cadat.

NER. Decet timeri Caesarem. SEN. At plus diligi.

---

441 iusto *T(O)* 447 satis *codd. correxit Muellerus de re metr. p. 153* 449 s. v. esse *ΣΦLΠ corr. ς* 454 libet *M* 457 *delevi cf. I, 58. 59* 458 metuat *Φ* 460 efficiet *Φ* 461 despectus *codd.* respectus *Buechelerus* despectum ut ensis feriat? *de Wilamowitz* 462 ultro *Φ* 463 invictus *codd. correxit Raphelengius* 467 absentum *ΣO.* — al' furor *Q i. mg.* 471 patrem *D*

SEN. Pulcrum eminere est inter illustres viros,
consulere patriae, parcere afflictis, fera
caede abstinere tempus atque irae dare,
orbi quietem, saeculo pacem suo.
haec summa virtus, petitur hac caelum via.
sic ille patriae primus Augustus parens
complexus astra est colitur et templis deus.
illum tamen Fortuna iactavit diu
terra marique per graves belli vices,
hostes parentis donec oppressit sui;
tibi numen incruenta summisit suum
et dedit habenas imperi facili manu
nutuque terras maria subiecit tuo.
invidia tristis victa consensu pio
cessit; senatus, equitis accensus favor;
plebisque votis atque iudicio patrum
tu pacis auctor, generis humani arbiter
electus orbem iam sacra specie regis
patriae parens: quod nomen ut serves petit
suosque cives Roma commendat tibi.
NER. Munus deorum est, ipsa quod servit mihi
Roma et senatus quodque ab invitis preces
humilesque voces exprimit nostri metus.
servare cives principi et patriae graves,
claro tumentes genere quae dementia est,
cum liceat una voce suspectos sibi
mori iubere? Brutus in caedem ducis,
a quo salutem tulerat, armavit manus:
invictus acie, gentium domitor, Iovi
aequatus altos ipse per honorum gradus
Caesar nefando civium scelere occidit.
quantum cruoris Roma tum vidit sui,
lacerata totiens! ille qui meruit pia
virtute caelum, divus Augustus, viros
quot interemit nobiles, iuvenes senes
sparsos per orbem, cum suos mortis metu

484 nutuque *Π*] nutuique *ΣΦlD* 487 votum *ΦL.* — iudicium patrum est *ΣΦLΠ correxit Lipsius* 489 iam *om. codd., addidit Bothius* (tu *Avantius*). — specie sacra *ΣΠ* sapientia sacra *ΦL correxit Avantius* 490 patriaeque p. *ΦL* 495 cives *L* (vires *v. l.*) *T*²] viros *ΣΦΠ* (servare principi viros patriae graves *Σ*) 500 g. d. *ΣL*] domitor gentium *ΦΠ* 501 a. a. saepe *codd. correxit Buechelerus* 503 tunc *ΦL* (non *v. l.*) non *ΣΠ correxi* 506 quos *Σ* 507 sparsos *ΣRD, L et Q v. l.*] sparsosque *TO H*² sparsitque *L H*¹ *ut vid.* sparsit *Q*

fugerent penates et trium ferrum ducum,
tabula notante deditos tristi neci!
exposita rostris capita caesorum patres
videre maesti, flere nec licuit suos,
non gemere dira tabe polluto foro,
stillante sanie per putres vultus gravi.
nec finis hic cruoris aut caedis stetit:
pavere volucres et feras saevas diu
tristes Philippi, † hausit et Siculum mare
classes virosque † saepe cedentes suos
concussus orbis viribus magnis ducum.
superatus acie puppibus Nilum petit
fugae paratis, ipse periturus brevi:
hausit cruorem incesta Romani ducis
Aegyptus iterum; nunc leves umbras tegit.
illic sepultum est impie gestum diu
civile bellum. condidit tandem suos
iam fessus enses victor hebetatos feris
vulneribus, et continuit imperium metus.
armis fideque militis tutus fuit,
pietate nati factus eximia deus,
post fata consecratus et templis datus.
nos quoque manebunt astra, si saevo prior
ense occuparo quidquid infestum est mihi
dignaque nostram subole fundaro domum.
SEN. Implebit aulam stirpe caelesti tuam
generata divo Claudiae gentis decus,
sortita fratris more Iunonis toros.
NER. Incesta genetrix detrahit generi fidem,
animusque numquam coniugis iunctus mihi.
SEN. Teneris in annis haud satis clarus ferest,
pudore victus cum tegit flammas, amor.
NER. Hoc equidem et ipse credidi frustra diu,

---

516 mersit *Gronovius* pavit *Buechelerus* 517 que *om. D.* — sepe ce *i. ras. 1 m. Q* 518 c. est o. *QH locus interpolatus ut videtur.* sparsit Actiacos sinus | concussus *proposuit Buechelerus. hoc fere temptamus:* traxit et Siculum mare | classes, virosque; miscuit gentes suis | concussus orbis viribus. tandem aemulus | superatus (suis – viribus. *Rutgerstus V. L. p. 64 sq. conl. Luc. I, 5* certatum totis concussi viribus orbis) 527 tutum *Σ* 531 occuparo: ro *i. ras. QT*^{2} occupavero *O* occupabo *LT*^{1} 532 fundato *lH*^{1}, *T*^{1} *ut vid.* 533 implebit *R*] implevit *ΣQLII* 537 coni. numq. *Φ* 538 clarus] clara est *codd. correxit Th. Mommsenus.* — ferest] fides *codd. correxi*

manifesta quamvis pectore insociabili
vultuque signa proderent odium mei;
tandem quod ardens statuit ulcisci dolor.
dignamque thalamis coniugem inveni meis
genere atque forma, victa cui cedat Venus
Iovisque coniunx et ferox armis dea.
SEN. Probitas fidesque coniugis, mores pudor
placeant marito: sola perpetuo manent
subiecta nulli mentis atque animi bona;
florem decoris singuli carpunt dies.
NER. Omnes in unam contulit laudes deus
talemque nasci fata voluerunt mihi.
SEN. Recedet a te (temere ne credas) amor.
NER. Quem summovere fulminis dominus nequit,
caeli tyrannum, saeva qui penetrat freta
Ditisque regna, detrahit superos polo?
SEN. Volucrem esse Amorem fingit immitem deum
mortalis error, armat et telis manus
arcuque sacras, instruit saeva face
genitumque credit Venere, Vulcano satum:
vis magna mentis blandus atque animi calor
Amor est; iuventa gignitur, luxu otio
nutritur inter laeta Fortunae bona.
quem si fovere atque alere desistas, cadit
brevique vires perdit extinctus suas.
NER. Hanc esse vitae maximam causam reor,
per quam voluptas oritur; interitu caret,
cum procreetur semper humanum genus
Amore grato, qui truces mulcet feras.
hic mihi iugales praeferat taedas deus
iungatque nostris igne Poppaeam toris.
SEN. Vix sustinere possit hos thalamos dolor
videre populi, sancta nec pietas sinat.
NER. Prohibebor unus facere quod cunctis licet?
SEN. Maiora populus semper a summo exigit.
NER. Libet experiri, viribus fractus meis

---

541 insociabili *OD*] insaciabili *ΣΦLHT*^{1} insanabili *T*^{2} 543 urgens *L* 545 cedat *ΦL*] cedet *ΣΠ* 553 recedat *codd. correxit Bothius* 559 arcusque (artusque *OH*) sacros *codd. correxit Buechelerus* 562 iuventae *MO*^{2} 566—569 *Senecae continuant ΣΦLΠ Neroni tribuit O (Delrio)* 571 i. meis *Φ* 572 posset *ΣΦLΠ corr. l (Baehrensius miscell. crit. p. 119)*. — sinet *Φ* 574 prohibeor *QLD* 575 p. s. *ΣΠ*] semper populus *ΦLH* 576 fractus *ΣDH*] fractis ΦLTG

an cedat animis temere conceptus favor.
SEN. Obsequere potius civibus placidus tuis.
NER. Male imperatur, cum regit vulgus duces.
SEN. Nihil impetrare cum valet, iuste dolet.
NER. Exprimere ius est, ferre quod nequeunt preces?
SEN. Negare durum est. NER. Principem cogi nefas.
SEN. Remittat ipse. NER. Fama sed victum feret.
SEN. Levis atque vana. NER. Sit licet, multos notat.
SEN. Excelsa metuit. NER. Non minus carpit tamen.
SEN. Facile opprimetur. merita te divi patris
aetasque frangat coniugis, probitas pudor.
NER. Desiste tandem, iam gravis nimium mihi,
instare: liceat facere quod Seneca improbat.
et ipse † populi vota iam pridem moror,
cum portet utero pignus et partem mei.
quin destinamus proximum thalamis diem?

AGRIPPINA

Tellure rupta Tartaro gressum extuli,
Stygiam cruenta praeferens dextra facem
thalamis scelestis: nubat his flammis meo
Poppaea nato iuncta, quas vindex manus
dolorque matris vertet ad tristes rogos.
manet inter umbras impiae caedis mihi
semper memoria, manibus nostris gravis
adhuc inultis: reddita est meritis meis
funesta merces puppis et pretium imperi
nox illa qua naufragia deflevi mea;
comitum necem natique crudelis nefas
deflere votum fuerat — haud tempus datum est
lacrimis, sed ingens scelere geminavit nefas.
perempta ferro, foeda vulneribus sacros
intra penates spiritum effudi gravem

---

577 animus *Nl* 581 e. vix *M* 582 dirum *l* 583 remittat *ΣΠ*] permittat *ΦL*. — sed vict. fama f. *Φ* f. servitium feret *O* 584 varia *Q* 587 frangat *MΠ*] fragat *N* frangant *ΦLH* 590 en T^1. — nota *Σ*. — iam *om.* H^1. — *Poppaeae nomen desiderari et versum sic fere refingendum esse Buechelerus vidit:* iam pridem et ipse vota Poppaeae moror (*populi vota ad prolem Trevethus refert*) 591 ac *Φ* 593 *inscr.* Agrippina mater Neronis *NQOH* mater neronis s. agrippina *M* agrippa mater Neronis *T* Antigona. Ottavia. societas Romanorum *D* 596 pepea *L* poppeia *T* 600 reddita et meritis *codd. correxit Buechelerus* 602 nox *D*] vox *ΣΦΠ et L i. ras. 1 m.* 603 crudele *Φ* 606 sacris *Σ* 607 *inter L*

erepta pelago, sanguine extinxi meo
nec odia nati: saevit in nomen ferus
matris tyrannus, obrui meritum cupit,
simulacra, titulos destruit matris metu
totum per orbem quem dedit poenam in meam
puero regendum noster infelix amor.
extinctus umbras agitat infestus meas
flammisque vultus noxios coniunx petit,
instat, minatur, imputat fatum mihi
tumulumque nati, poscit auctorem necis.
iam parce: dabitur, tempus haud longum peto.
ultrix Erinys impio dignum parat
letum tyranno, verbera et turpem fugam
poenasque quis et Tantali vincat sitim,
dirum laborem Sisyphi, Tityi alitem
Ixionisque membra rapientem rotam.
licet extruat marmoribus atque auro tegat
superbus aulam, limen armatae ducis
servent cohortes, mittat immensas opes
exhaustus orbis, supplices dextram petant
Parthi cruentam, regna divitias ferant:
veniet dies tempusque quo reddat suis
animam nocentem sceleribus, iugulum hostibus
desertus ac destructus et cunctis egens.
heu, quo labor, quo vota ceciderunt mea?
quo te furor provexit attonitum tuus
et fata, nate, cedat ut tantis malis
genetricis ira quae tuo scelere occidit?
utinam antequam te parvulum in lucem edidi
aluique, saevae nostra lacerassent ferae
viscera: sine ullo scelere, sine sensu innocens
meus occidisses; iunctus atque haerens mihi
semper quietam cerneres sedem inferum,
proavos patremque, nominis magni viros,
quos nunc pudor luctusque perpetuus manet
ex te, nefande, meque quae talem tuli.
quid tegere cesso Tartaro vultus meos,
noverca coniunx mater infelix meis?

611 mortis metu *codd. correxit Buechelerus* 615 que *om. TOD* 617 t. nasci *OD* t. ulcisci *Q* 618 puto *LQ (vulg. v. l.)* 628 cruentem *M* cruenta *R* cruenti *O* 631 et — ac *ΣΦLΠ corr. l* 635. 636 *inverso ordine N* 636 dedi *LR* 639 meus *ΣQΠ*] mecum *LΦ (Q v. l.)* 640 sede *Σ* 641 que *om. ΣO* 644 non tegere *Φ (Q* vulg. *v. l.)*

OCTAVIA

Parcite lacrimis urbis festo
laetoque die, ne tantus amor
nostrique favor principis acres
suscitet iras vobisque ego sim
causa malorum. non hoc primum
pectora vulnus mea senserunt:
graviora tuli; dabit hic nostris
finem curis vel morte dies:
non ego saevi cernere cogar
coniugis ora,
non invisos intrare mihi
thalamos famulae;
soror Augusti, non uxor ero.
absint tantum tristes poenae
letique metus.
scelerum diri, miseranda, viri
potes hoc demens sperare memor?
hos ad thalamos servata diu
victima tandem funesta cades.
sed quid patrios saepe penates
respicis udis confusa genis?
propera tectis efferre gradus,
linque cruentam principis aulam.

CHORVS

En illuxit suspecta diu,
fama totiens iactata dies:
cessit thalamis Claudia diri
pulsa Neronis, quos iam vietrix
Poppaea tenet, cessat pietas
dum nostra gravi compressa metu
segnisque dolor.
ubi Romani vis est populi,
fregit claros quae saepe duces,
dedit invictae leges patriae,
fasces dignis civibus olim,

---

646 *inscr.* Octavia. chorus *ΣQH* 649 sum *ND*^{1}*H*^{1} 652 dabis *Σ* (*M vulg. v. l.*) 653 mortem *Q* (*vulg. v. l.*) *OD* 654 saevae *codd. correxit Avantius.* — cogar *Σ*] cogor *ΦLΠ* 661—668 *choro tribuit O* 661 scelerum *OD, L v. l.*] socerum *ΣΦ* soror *LTH*, *R v. l.* soror o *L v. l.* 662 *hoc NRODL*^{2}] haec *MQL*^{1}*TH* 675—681 *dimetri in codd.*

iussit bellum pacemque, feras
gentes domuit,
captos reges carcere clausit?
gravis en oculis undique nostris
iam Poppaeae fulget imago,
iuncta Neroni!
affligat humo violenta manus
similes nimium vultus dominae
ipsamque toris detrahat altis,
petat infestis mox et flammis
telisque feris principis aulam.

NVTRIX POPPAEAE

Quo trepida gressum coniugis thalamis tui
effers, alumna, quidve secretum petis
turbata vultu? cur genae fletu madent?
certe petitus precibus et votis dies
nostris refulsit: Caesari iuncta es tuo
taeda iugali, quem tuus cepit decor,
contempta Senecae tradidit vinctum tibi
genetrix Amoris, maximum numen, Venus.
o qualis altos quanta pressisti toros
residens in aula! vidit attonitus tuam
formam senatus, tura cum superis dares
sacrasque grato spargeres aras mero,
velata summum flammeo tenui caput;
et ipse lateri iunctus atque haerens tuo
sublimis inter civium laeta omina
incessit habitu atque ore laetitiam gerens
princeps superbo: talis emersam freto
spumante Peleus coniugem accepit Thetin,
quorum toros celebrasse caelestes ferunt,
pelagique numen omne consensu pari.
quae subita vultus causa mutavit tuos?
quid pallor iste, quid ferant lacrimae doce.

---

686 affligat *O*] affigat *ΣΦLTDH*² affiga *H*¹ *cf. v. 796* 688 petat infelix *codd. correxit Grotius* 690 *inscr.* nutrix. Poppaea 691 quodve *ΣRLΠ* quove *Q correxit Q v. l.* 692 manant *QTOD* 696 et culpa Senecae (senecte *M*) *codd. correxi* (culpata Senecae *Peiperus*). — victum *ΣTH* 701 que *om. Π.* — spargens *NOH* 702 flamine *Φ* (*R*, *Q v. l.*) 703 herens: he *i. ras. 2 m. T* horrens *D* 704 omina: mina *i. ras. 2 m. T* omnia *L* ora *Q* 705 ore *om. Q* ope *R* 708 quorum: o *i. ras. 2 m. T* quarum *Σ* 709 consessu *O*

POPPAEA

Confusa tristi proximae noctis metu
visuque, nutrix, mente turbata feror,
defecta sensu. laeta nam postquam dies
sideribus atris cessit et nocti polus,
inter Neronis iuncta complexus mei
somno resolvor; nec diu placida frui
quiete licuit. visa nam thalamos meos
celebrare turba est maesta: resolutis comis
matres Latinae flebiles planctus dabant;
inter tubarum saepe terribilem sonum
sparsam cruore coniugis genetrix mei
vultu minaci saeva quatiebat facem.
quam dum sequor coacta praesenti metu,
diducta subito patuit ingenti mihi
tellus hiatu; lata quo praeceps toros
cerno iugales pariter et miror meos,
in quis residi fessa. venientem intuor
comitante turba coniugem quondam meum
natumque; properat petere complexus meos
Crispinus, intermissa libare oscula:
irrupit intra tecta cum trepidus mea
ensemque iugulo condidit saevum Nero.
tandem quietem magnus excussit timor;
quatit ossa et artus horridus nostros tremor
pulsatque pectus; continet vocem timor,
quam nunc fides pietasque produxit tua.
heu quid minantur inferum manes mihi
aut quem cruorem coniugis vidi mei?
NVTR. Quaecumque mentis agitat † infestus vigor,
ea per quietem sacer et arcanus refert
veloxque sensus. coniugem thalamos toros
vidisse te miraris amplexu novi
haerens mariti? sed movent laeto die

---

714 iam *RD* 721 *om. Q.* — tubarum *LΠ*] turbarum *NRD* turbatum *M* 723 saevam *QO* 725 diducta *ΣΠ*] subducta *ΦL* (*Q et R vulg. v. l.*) 726 t. aitu (*induct.*) hiatu *M* t. habitu (*sic:* hitu) *N* 728 residi (*LTO*) *Peiperus*] resedi *ΣΦDH.* — intuor *ΣDT*] intueor *ΦLOΠ* 731 pristinus i. *ΣΠ* pristinis i. *R* pristinus et i. *L* pristinos et i. *Q correxit Avantius* 732 inter *L.* — cum *ΣΠ*] tum *ΦlO* 733 e. vulgo *N.* — ferum (*vulg. v. l.*) *L* 735. 736 *om. D* 735 ora *codd. correxit Buechelerus* 736 quę *om. TO.* — *fort.* vocem diu 737 quem *Σ.* — perduxit *RD* 740 intentus *Gronovius* agitat intra aestus vigil *de Wilamowitz* 742 rogos *ΣΦLΠ* thoros H^2 *v. l.*

pulsata palmis pectora et fusae comae?
Octaviae discidia planxerunt sacros
inter penates fratris et patrium larem.
fax illa, quam secuta es, Augustae manu
praelata clarum nomen invidia tibi
partum ominatur. inferum sedes toros
stabiles futuros spondet aeternae domus.
iugulo quod ensem condidit princeps tuus:
bella haud movebit, pace sed ferrum teget.
recollige animum, recipe laetitiam, precor,
timore pulso redde te thalamis tuis.
POP. Delubra et aras petere constitui sacras,
caesis litare victimis numen deum,
ut expientur noctis et somni minae
terrorque in hostes redeat attonitus meos.
tu vota pro me suscipe et precibus piis
superos adora, maneat ut praesens status.

CHORVS

Si vera loquax fama Tonantis
furta et gratos narrat amores
(quem modo Ledae pressisse sinum
tectum plumis pennisque ferunt,
modo per fluctus raptam Europen
taurum tergo portasse trucem),
quae regit et nunc deseret astra,
petet amplexus, Poppaea, tuos,
quos et Ledae praeferre potest
et tibi, quondam cui miranti
fulvo, Danae, fluxit in auro.
formam Sparte iactet alumnae
licet et Phrygius praemia pastor:
vincet vultus haec Tyndaridos

---

745 pulsata manu *Φ* 746 dissidia *L* descidia *M* desidia *Q* 748 augustae *LΠ*] augusta *ΣQ* (*vulg. v. l.*) angusta *R* 752 quod *MQΠ*] que *L* (*vulg. v. l.*) *RO* per *N.* — tuis *M* 760 et vota *codd. correxit Gronovius* 761 praesens metus *codd. correxit Buechelerus* 762 loquax *ND(T)H*^{2}] loquar *MOH*^{1}, *Q v. l.* loquor *ΦL* loquas *R v. l.* 764 quem *ΦLO*] que *ΣΠ* 765 plumis *Σ.* — ferunt *LQ*] ferum *ΣRΠ* (ferum *H*) 766 europen *Σ*] europem *LRΠ* europam *Q* 771 al' mutatus *Q i. mg.* 772 dane *N* danne *Φ* damne *MLH* dampne *TD* dapne *O correxit Avantius.* — fulxit *Q* fulsit *RT* 773 iactat *RLT* iactent *D* 775 hoc *Σ*

qui moverunt horrida bella
Phrygiaeque solo regna dedere.
Sed quis gressu ruit attonito
aut quid portat pectore anhelo?

NVNTIVS

Quicumque tectis excubat miles ducis,
defendat aulam cui furor populi imminet.
trepidi cohortes ecce praefecti trahunt
praesidia ad urbis, victa nec cedit metu
concepta rabies temere, sed vires capit.
CHOR. Quis iste mentes agitat attonitus furor?
NVNT. Octaviae favore percussa agmina
et efferata per nefas ingens ruunt.
CHOR. Quid ausa facere quove consilio doce.
NVNT. Reddere penates Claudiae divi parant
torosque fratris, debitam partem imperi.
CHOR. Quos iam tenet Poppaea concordi fide?
NVNT. Hic urit animos pertinax nimium favor
et in furorem temere praecipites agit:
quaecumque claro marmore effigies stetit
aut aere fulgens, ora Poppaeae gerens,
afflicta vulgi manibus et saevo iacet
eversa ferro; membra per partes trahunt
deducta laqueis, obruunt turpi diu
calcata caeno. verba conveniunt feris
immixta factis quae timor reticet meus.
sepire flammis principis sedem parant,
populi nisi irae coniugem reddat novam,
reddat penates Claudiae victus suos.
ut noscat ipse civium motus, mea
voce haud morabor iussa praefecti exequi.

CHOR. Quid fera frustra bella movetis?
invicta gerit tela Cupido:

---

779 qui *M.* — pectore portat *codd. correxit L. Muellerus* (pectore quid portat *B. Schmidtius d. em. tr. p. 66*) *inscr.* nuntius. chorus 780 miles exultat *codd.* (milies *M* milles *H*) *correxit Bothius* (m. excubat *Raphelengius*) 784 temere *om. MD* 785 quid *ΦD.* — attonitas *Φ* 786 furore *codd. correxit Gronovius* (*Grotius*) 787 et *om. Φ* 790 torosve *Φ* 791 conc. vice *Φ* (*R vulg. v. l.*) 792 furor *ΣΦLΠ correxit Grotius* (*cod. Laur. 37, 11*) 795 aut ara *codd. correxit Lipsius* 798 deducta *T*] diducta *ΣΦLΠ* 800 recipit *codd. correxit Delrio* 801 edem *ΣOH* 803 iunctus *vel* uinctus *LRDH*

flammis vestros obruet ignes
quibus extinxit fulmina saepe
captumque Iovem caelo traxit.
laeso tristes dabitis poenas
sanguine vestro. non est patiens
fervidus irae facilisque regi:
ille ferocem iussit Achillem
pulsare lyram, fregit Danaos,
fregit Atridem, regna evertit
Priami, claras diruit urbes;
et nunc animus quid ferat horret
vis immitis violenta dei.

NERO

O lenta nimium militis nostri manus
et ira patiens post nefas tantum mea,
quod non cruor civilis accensas faces
extinguit in nos, caede nec populi madet
funerea Roma quae viros tales tulit.
admissa sed iam morte puniri parum est:
graviora meruit impium plebis scelus;
at illa, cui me civium subicit furor,
suspecta coniunx et soror semper mihi,
tandem dolori spiritum reddat meo
iramque nostram sanguine extinguat suo.
mox tecta flammis concidant urbis meis,
ignes ruinae noxium populum premant
turpisque egestas, saeva cum luctu fames.
exsultat ingens saeculi nostri bonis
corrupta turba nec capit clementiam
ingrata nostram ferre nec pacem potest,
sed inquieta rapitur hinc audacia,
hinc temeritate fertur in praeceps sua:
malis domanda est et gravi semper iugo
premenda, ne quid simile temptare audeat
contraque sanctos coniugis vultus meae
attollere oculos; fracta per poenas metu

---

809 quis *ΣΦLΠ corr.* ς 811 laesi *codd. correxit Bothius* 812 s. v. *monometer, deinde dimetri ad v. 817* claras, *denique monometer* (d. u.) *et duo dimetri codd.* 815 sonare l. *Σ* 820 *inscr.* Nero. prefectus *O* Nero *rell.* 821 n. t. *L*] tantum nefas *ΣΦΠ* 822 quid *ΦL* 824 funerea *MO*] funera *NΠ* funesta *ΦL* 827 et illa *codd. correxit Bothius.* — subiecit *ΦLO* 840 p. est ne *ΣOH²*

parere discet principis nutu sui.
sed adesse cerno rara quem pietas virum
fidesque castris nota praeposuit meis.

PRAEFECTVS

